PROLOQUIORUM MORALIUM
EXAMEN ALTERUM

SUB AUSPICIIS

AUGUSTISSIMI CELSISSIMI PRINCIPIS

VICTORII AMEDEI
DUCIS SABAUDIÆ

AUCTORE

F. JO. CLEMENTE
VIGANEGO

ORDINIS MINIMORUN PROVINCIÆ TAURINENSIS .

LUGANI)(MDCCLXI.)(

(o)————————————————(o)

Excudunt AGNELLI diplomatica Libertate, & Privilegio .

PRINCEPS AUGUSTISSIME.

NUnquam mihi fuit exoptandum adeo vehementer, ut lucubrationes meæ cum quadam elegantia, & nitore prodirent, quam quum in Patrocinium tuum, PRINCEPS INCLITE, omnino gratiosè fuſceptæ, publicam lucem adſpiciunt. Jure ſuo in primis illud poſtulat amplitudo, ac dignitas tua;

Deinde præclara animi tui indoles, plane singularis rebus optimis aſſueta; præſtantia mentis ad excellentiores diſciplinas natæ, conſuetudine ſtudiorum, ac Studioſorum excultæ, cui nihil, quod optimum non redoleat, placere unquam poteſt.

Quando vero præcipuum erat conſilium; gratiſſimo tui ſuffragio comprobatum adgredi, & evertere quamdam cujuſdam effati interpretationem, & abuſum, quæ rudioris vulgi animos invadere poterat (& utinam jam non invaſerit!) ad corrumpendos hominum mores, & Legum, etiam Divinarum vim, poteſtatemque enervandam, aut eludendam, tum utile, niſi neceſſarium eſſe putavi, ut argumentum plana quadam dictione proponerem, ad eum exinde commodius conſequendum uberem fructum, qui ex recta ad Leges Divinas exacta doctrina propoſita ſine fuco peregrè accerſito ſperatur. Fallunt plerùmque orationes conquiſitis elegantiæ floſculis exornatæ, & diſtinctæ, quum quod pulchrum eſt, delectabile, & corrupto veteris hominis guſtui accomodatum venuſta facie, & Tulliani ſtili faſcino proponunt, atque

ho-

honeſtum, amplectendumque oſtendunt.

Hanc fallaciſſimam diſſerendi rationem; quam *artem fallendi* non nemo Eruditus appellat, alienam eſſe ab officio Theologiæ Moralis Cultoris, qui ſimplicem PP. Eccleſiaſticorum formam ſequi debet, ſemper ſum arbitratus. Et quid aliud arbitrari licebat, quod apud Te gratioſum foret, & probari a Te mereretur? Norunt omnes, novi & ego, quam maxime Religioſiſſimæ, & Regali voluntati tuæ ad imitationem ſolidæ Paternæ Pietatis glorioſiſſimè contendenti conſentaneam futuram non fore, nec propterea acceptam iri opellam hanc meam, niſi elaborata fuiſſet ad normam chriſtianæ doctrinæ, qua cavetur, ne quid minus digne fiat, cogiteturve. Hanc vero perſuaſionem meam, quam tuæ Regiæ dotes Evangelicis regulis undequaque conformes jam pridem ingeſſerant, confirmavit, quod ſummopere Tibi placuiſſe illud primum examen hoc eodem ſpiritu digeſtum, ſignificare pro tua in me benignitate dignatus fueris.

In hoc autem ſecundo, ſi de tractationis habitu, & quaſi coloribus minus ſollicitus eſſe de-

bui, non cmifi sanè, quod præseferret gravitatem sententiarum, quibus evidens demonstratio plena nervorum, ac virium redderetur, gnarus Te quidem esse amatorem eloquentiæ nitidioris, Religionis autem zelum singularem, rerum gerendarum prudentiam eximiam, excelsarum virtutum omnium amorem, quo flagraris, ut dulcissimum Regis Patris delicium, ac magna Regni spes, evaseris multo magis cupidum efficere populorum utilitatis, quam omnino a morum probitate pendere, nemo, qui recte senserit, inficiabitur.

Jam vero quum in illo integerrimæ morum doctrinæ tuta principia inveniantur constabilita, in ea fide sum, Te illud æqui, bonique facturum, atque in Tui Præsidium validissimum suscepturum, quod inter optabilia maximum hoc mihi bonum summa animi fiducia operiebar.

BENE-

BENEVOLE LECTOR.

Jam pridem in examine illius Prolequii Semel fractum semper fractum *Cesenates Impressor fidem meam tibi obstrinxerat, brevi nimirum editurus hoc secundum super eam Regulam* Melior est conditio Possidentis *, quod ei me daturum spoponderam, fecissemque, nisi hi, quibus non obtemperare nefas fuisset, alio me vocassent, & adeo distraxissent, ut vix sperare possem aliquando satis me tibi facturum. Quando vero aliquid otii ab officiis meis nactus sum, nihil carius habui, quam ut sponsionem meam implerem.*

In retractandis porrò quæ tumultuariè paraveram, subiit consilium adoriendi Systema Thomæ Hobii, ~~ac~~ una simul omnium illorum, qui cum illo Naturæ leges, Divinasque aut abnegant, aut pervertunt, facultatemque Ethices hac perversitatis via ne dum deformant, sed omnino abolent. at

Quia vero res isthæc majorem, & sublimiorem indaginem exposcit, quam duram provinciam cum præclarissima ingenia susceperint; ea tantummodo adducere statui rationum momenta, quæ ob-

via

via magis videntur , & Religionis Christianæ canonibus proximiora . Tametsi non pauca reperiantur , quæ inconsulta etiam revelatione , quod hi Pseudomorales peroptant , ex ipsa naturæ rationalis indole petuntur . Non nemini , cui communicaveram hoc meum Consilium, visum est perperam me acturum , quasi assuere incongrue vellem cum re morali Catholicis domestica eas difficillimas quæstiones, quæ impios concernere unice existimantur . Is unus ex illis est , quibus placere minime potest , quod suis præjudicatis contrarium quoquomodo suspicantur , & maximopere metuunt ostendi eorum doctrinam analogiam contraxisse cum ejeranda impiorum . Semel etenim hoc firmato cavillis , quibus a pueritia assueti sunt, nullus locus relinquitur . Exuat tantummodo (rem difficilem postulo) hunc partis spiritum , & manifeste dignoscet non abs re id me facere . Cadunt sub eodem judice morum , *quæ communia sunt catholicis , & impiis , ut commune utrisque esse principium potissimum sumus demonstraturi . Quare nemo indignari potest , si uno , eodemque lapide utrique feriantur , quin rem gratissimam me facturum arbitror , sinceris veritatis , & sanæ Moralis amatoribus , si contingat patefacere quidquid monstruosum , & impium ex eorum irregulari , & devia progressione recta dimanet . Facile etenim illis tunc erit sequi Lucani consilium nimirum* ; Adde moram, præceps sententia fallit , *& potissimum , ubi de summa rerum agitur , nihil affirmare tamquam Canonicum , firmatumque sine examine , aut levi populari trutina contenti , quod vix expensum falsum , & perniciosum comperitur .*

Illud autem si perfecerim, nolim invidiam concitare quorumdam , quibus solis permissum esse arbitrantur decernere , quid judicandum , sequendumque sit , quasi privativè tribubus jus haberent dicendi , ut nemini inficiari , & contrarium opinari liceret ; aut si id fecerint, eorum opera , ac si personas cum doctrinis confundant , tamquam mali animi partus proscribenda traducunt, ut inde liberum sit opiniones , vel etiam auctores proscindere , nec injuria lacessitis justam permittere defensionem , ac veluti si Roma loquatur , dictis , & auctoritati ipsorum fasces litatos esse submittendos .

Hanc pravam scribendi , agendive rationem semper sum detestatus , & fallor quam maxime, nisi qui recte sentire consueverunt, detestentur similiter . Semetipsum ignorat , ceterorumque ho-

mi-

minum imbecillitatem , si errori obnoxios se aut aliquos non esse sibi blanditur . Solius Dei prærogativa est Sponsæ suæ Ecclesiæ concredita , ut fallere , & falli sit nescius . Cæteri hominum filii mendaces sunt in stateris judiciorum , (Psalm. 61. 10.) *qui aliter opinatur, ne dum Religioni infensus est , sed etiam naturæ mortalium conditioni .*

*Hæc quidem exotica videntur , & accersita à temporibus methodi Scholasticæ , quæ maxima barbaries infuscaverat , unde nihil in præsentia timendum sit . Utinam semel in exilio multata postliminium sperare ei minime liceat . Vereor tamen , ne libido rixandi in Regno morali emortua non sit : quæ vero causa patulum est recogitanti . Ut ut sit : Esto cuilibet jus judicandi ; absint modo contumeliæ , ne dum alios insipientiæ damnamus , ipsi insipientes fiamus,*Proverb. 10. 18. *Spiritu* rationabili *Ecclesiæ agendum semper caritate sequestra , non turba , non jocis . Hi , si qui opellam meam dignam censebunt , surdo canent , si canant . Sin autem errorem in sententia quem deprehenderint indicare voluerint, mihi gratificabuntur .*

Hoc institutus more cohibui quamdam primam animadversionem censoriam (dignum patella Operculum) in quemdam Aristarcum, *ut verbis censoris utar* , cui jus in omnes cœco excitatum casu, *eo quod acribus salibus redundaret , & alias , nec pili faciendum , quod tantisper homo* Enciclopedicus *scabere avens Aristum, cum squammas non invenerit ad ineptias , & joca declinaverit .*

Non ita indulgens fuit Animadversor : ægrè tulit primo , quod historicus cum sit , aut esse velit , Critici Magistri , & judicis inapellabilis *partes sibi , & officia sumpserit, nulla fultus legitima auctoritate , ac sine ulla prorsus jurisdictione omnes suo irreformabili judicio subjectos esse velit . Secundo , quod tamquam Apollinis oracula proposuerit magistros , & arbitros rei moralis recentes quosdam , quos etiam per otium legere Eruditos pudet . Id vero ab eo factum esse suspicatur , ut si quam mereretur Aristus laudem , totam illis novitiis vastatoribus (sic eos appellat) Ethices facultatis tribueret .*

Ast Animadversori huic sint sui sales , & historico A A in quorum gratiam scripsit historiam , *ab his suasionibus , & acredinibus temperare ille poterat , & sociari potius Pelagio de* Planctu Ecclesiæ . *Quæcumque licent non semper expediunt , præ-*

cipuè privatis hominibus , quorum nimius Zelus in audaciam degenerat ; quandoque melius est pro quibusdm orare ; ut monet Doctor Charlatius de delect. opinion. ; *quam cum ipsis disputare , & potiore jure ipsos atticis salibus vellicare . Unum ego reticere non possum , quod scilicet in vellicando Aristum duo protulerit historicus patentissima mendacia , à quibus profectò abstinuisset , si Aristum examinasset , & Constitutiones Bened. XIV. legisset . Verum id condonandum Viro majoribus curis detento , qui in* maximis occupationibus , *saltem aliorum oculis* non intermittit Studia . *Quare mendacia* materialia *appellarim , cum præsto sit quibuslibet morbis sanandis felix illa carissima* ignorantia invincibilis , *potius quam ei* formalitatis *notam inurere , suspicando quod lubens , & volens ea Typis à credulis bibenda propinaverit .*

Duo a me sciscitari te video primo quidem , cur cum plurima in re Morali examina paraverim , in hoc secundo tamdiu immoratus sim .

Secundo, cur , cum primum examen lingua dederim vernacula, hoc secundum latina ediderim .

Pro secundo tibi satisfacturum promitto sub finem hujus Epistolæ . Primum, quod percontaris , longiorem poscit expositionem .

A primis studiorum meorum initiis institutus sententia P. Palanci , tanta ipsius doctrinæ claritate sum perfusus , ut vix credere possem reperiri virum , nisi fuerit rebellis lumini *Job. c.* 24. 13. *qui concurrente probabiliore , & graviore motivo, judicare posset opinionem minus probabilem veram esse , & illi præ alia assentiri . Sed me juvenem fefellit credulitas . Expertus enim sum, quanta cum contentione , veluti pro Aris , & focis pugnent innumeri , qua qua scriptis, qua verbis pro sequela opinionis minus probabilis : à nemine tamen eorum contigit , quid tandem semotis verborum lusibus , & circuitibus nitide sentirent . Si eorum auctoritati cessissem, mysterium judicassem , atque sapientissimos Norisios, aliosque jure inter ignorantes Probabilismum accersitos , cum tamen clare proposita quæstio mulieres bonæ frugis vix latere potest . Quod tandem inter Probabilistas insigniores agnoverunt , fassique sunt , quam infirmum , rationalique naturæ ad veritatem natæ dissonum ipsorum sistema . Cum vero prævaleret veritati obfirmatus animus in propriam sectam , nullum lapidem immotum reliquerunt , nullam ingenii vim quam non exererent , ut lubricam*

jam fatiſcentem machinam novis molitionibus , ne omnino rueret, ſartam tectamque ſervarent .

Jam probe noſti , Amice Lector , ſermonem eſſe de illis reflexionibus , ſive regulis reflexis , quibus circumvenire putant quotquot veritatis amatores Probabiliſmum merito jure averſantur . Harum potiſſima ea eſt Melior eſt conditio poſſidentis , *ad quam facilime cæteræ reducuntur , vel ab ea ortum agnoſcunt . Siquidem* licite fieri poſſe exorto dubio , quod ante dubium exortum fieri poterat . *Quod cæteræ Regulæ ſpectant, aliud nihil eſt niſi :* Perſeverat licentia , & libertas agendi , quæ ante dubium vigebat . Poſſidebas libertatem , poſſides & nunc .

Probabiliſmi machinam deiicere tentarunt Summi Pontifices Alex. VII. , Innoc. XI. , & Alex. VIII. damnando plurimas propoſitiones , quæ a Probabiliſmo , tamquam a radice vitiata pullulare dignoſcuntur . Nec aliud cordi fuit Epiſcopis Galliæ , totique Clero illius Nationis in Comitiis Generalibus adunatis , dum illum damnarunt , tamquam ab Evangelio , a ſpiritu Canonum , & Eccleſiæ , ac demum à doctrinis , & traditione Patrum alienum , ut merito dici poſſit novum hominum inventum à Concilio Nationali proſcriptum . Conciliorum autem Nationalium auctoritas maxima ſemper fuit in Eccleſia ubique ſemper , & apud omnes . Idipſum expoſtulare videnter Enciclicæ , & Paſtorales , quæ ſuis reſpective Gregibus dedere Cardinales Epiſcopi , Archiepiſcopi Germaniæ , Hiſpaniæ , & Italiæ . Tot Paſtorum , ſummorumque Theologorum ſolicitudine maxima ſperare licebat brevi ab omnibus ejerandum laxitatum Parentem Syſtema illud . Plurimi quidem ab eo deſciverunt , tametſi antea Probabiliſticæ ſententiæ propugnatores , & Magiſtri , quod in illis veritas prævaluerit , inter quos plurimùm eminent, Em. Aquirez , Bellarminus , & Palavicinus .

Verum dolendum ſummopere his remediis nihil factum extrinſeca Auctoritas , Poteſtas , & animus nequit (ut docent aliqui) tollere ab opinionibus probabilitatem intrinſecam , quam male arbitrantur opinionibus ineſſe , atque adeo , verum adhuc eſſe, qui probabiliter operatur, prudenter operatur . *En aliam Regulam , quam recte dixeris Lesbiam , & puram putamque petitionem Principii , poſt tot Præſulum , Theologorumque etiam primi ſubſelii aliter definientium , adhuc opinio probabilis licite ſequi poteſt . Ad arceſſendos autem Proſelitos libros multiplicarunt , quibus effe-*

 ctum

ctum est, ut nonnulli propter studiositatis defectum magis amaverint aliis cæca fronte credere, quam veritatem diligentissime, uti apud Deum tenentur, investigare. Alii propter excessum amoris in propriam causam probro sibi reputantes lipam desponsatam Liam deserere, & meliorum doctrinæ subscribere; veluti si ab hominibus, & non à Deo veritatis, & securitatis Auctore legem recepturi forent, maluerunt cum Magistris errare, quam cum aliis vera sentire, *ut de Origene dictum fertur apud Lirinens. cap. , & interim à veritate, & conscientiæ securitate elongari. Quot industriæ, quot tentamina; ut Probabilizantium numerus augeretur, & propria staret causa? Adhuc in aures resonat tumultus, qui Theologos ultro citroque commiserunt in ea quæstione, num dispensatus a Carne jejunare nihilominus deberet, si posset. Jam Summi Pontifices carnes indulgendo sæpius Populis Hyspaniæ, Portugalliæ, & Ducatus Mediolanensis causa pestis, aut extremæ caritatis Oraculum protulerant*, in reliquis tamen servata forma, jejunii. In cæteris stent legibus jejunii *Summus Pontifex Clem. XI. quot annis Romæ publicarat teneri ad jejunium qui ad carnes &c. Tot tantorumque Pontificum aperta mens, & Summa auctoritas compescere ne valuit argutantium, & cavillantium ingenia? Minime gentium. Res tandem finivit* Sedes Roma Petri *S. Prosper loquente Pont. SS. Benedic. XIV. Sed nondum finis loquendi. Unus est, si forte non multi, qui docet, rem intactam adhuc remanere, dummodo sic dispensatus jejunet, præceptum, & non decisionem insinuat: De quæstionis vero substantia relictum esse libertati, & disputationi Theologorum. Venia tamen ipsius fallitur, & turpiter fallitur.*

De his monitus cum fueris, intentionem meam tibi aperio, nimirum tentare volui, num si ad oculum commonstrem hanc Regulam, cui potissimum fidunt, falso, inepte, injuriose, & perniciose applicari in foro conscientiæ modo infra explicando, aliqui sint addicendi ad dubitandum de cæteris proloquiis, ut obtigit illo primo examine, semel fractum semper fractum, *propter quam causam denuo impressum fuit. Hæc igitur spes nostra est, quam, & si a paucis obtineremus, contenti nihilominus essemus.*

Si namque ad hoc salutare dubium adducti fuerint, non eos obruet librorum, & Auctorum turba, nec vanidico illo timore

per-

percellentur , insimulari scilicet odiosis notis , quibus subiicere volunt contra Pontificias Sanctiones , nonnulli eos qui Probabilismo adversantur , quasi hujus novissimæ sectæ doctrina foret Doctrina Ecclesiæ , *ut totis lacertis non pauci persuadere indoctis tentarunt insaniter .*

Remanet , ne quid habeas quod de me queraris , ut secundæ investigationi satisfaciam , id breviter exsolvo . Eminentissimus Cardinalis Enricus Enriquez humanissima ad me data Epistola 8. *Ottobris* 1755. *ut latine scriberem in expendendo hoc proloquio consilium significavit . Hujus Sanctissimi , ac doctissimi Principis monitum tamquam jussionem sum veneratus , ac proinde si non* floride latine, *tamen scribere malui , quantum patiuntur res morales , quæ ut intelligantur præsertim à Ruralibus Theologis stilum potius humilem , ac pedestrem , quam sublimem expostulant . Id vero dum a te probatum iri confido , meumque hoc opusculum benigne acceptandum , nestoreos annos tibi auspicor , æternamque fælicitatem .*

IN-

INTRODUCTIO

Profert operis Syntagma.

UNiversa agendorum ratio, ut tradebat Plato, his duobus concluditur officiis; optimas nimirum leges constituere, & optimè constitutis rectè uti: una ex iis bene constitutis, illa est regula *in pari causa possessor potior haberi debet* (1), cujus utilitatem infra expendemus.

Quia vero nihil est tam bene dictum, quod non male intelligendo possit depravari, contingere facile est, ut opinionibus hominum privatorum transverse acta parum utilitatis, perniciei plurimum referat.

Infortunium hoc alicubi passa est civilis juris prudentia, quod lugent primi subselii J. C T J. *quum per contrarias interpretantium sententias totum pene jus conturbatum est* (2).

Jam vero si hujusmodi agendi ratio magnum Reipublicæ malum censetur, corruptio nimirum legum, earumque spiritus, quæ magnopere conduxit ad perversam pragmaticorum progressionem, & usum, pejus quam maxime existimandum, si hæc grassari in foro conscientiæ permittatur. Illic etenim de temporalibus res est hominem inter, & hominem, hic vero de rebus ad animam, vitam æternam, & Deum pertinentibus: futura proinde pernicies major, quo salus, anima, & Deus

(1) l. *in pari* 170. §. de diver. Reg. jur. antiq. lib. 50. tit. 17. Terent. in Phorm:
(2) Lib. 5. nostrum cap. de vet. jur.

Deus cæteris præstant. Lex illa unice pro prædiis, domibus, atque aliis, quæ vero in sensu ab homine possideri dicuntur, & possunt, lata est, & quidem inter pares, & *causa pari*, minime vero pro rebus spiritualibus, & ad forum animæ spectantibus, minusque pro Deo, atque in ipsius odium: quare ut excitam incompetenter ad alium forum repelli debere, communiter Canonistæ apud Fagnanum arbitrantur. (1)

Inter benignos plurimi sunt, quos *Melioristas* apellare liceat ab ea regula: *melior est conditio possidentis*, non autem contemptus causa (Alteri nolim, quod mihi nollem) plurimi, inquam, sunt, qui eam pertrahunt ad conscientiæ Terriorium, etiam extra rem commutativæ justitiæ, ita ut in dubiis Deus sit actor, homo vero propriæ libertatis possessor, quam mens ipsa hominis, tametsi in propria causa, sibi adjudicare possit, aut debeat, atque de Deo tamquam odioso perturbatore tranquillitatis conscientiæ, & importuno actore repulso, reportare victoriam.

Clarius loquamur: Deus causa cadere debet, utpote negligens suorum jurium, homo vero prœmio cumulandus, quod jura sua diligentius custodiat: punitur Deus ut pacis perturbator, fitque pejoris conditionis homine, cui ab judice conservatur libertatis possessio, atque ita declaratur melioris conditionis. Vides, Christiane Lector, quam ideam tibi ingerat horrificam usus illius regulæ in foro conscientiæ. Horrebis magis, si demum perspicias principium, ex quo legitimum illius usum derivare sibi blandiuntur; principium, inquam, quo nihil scelestius excogitari potest, illud idem esse, quo usi sunt Carneades, & novissime Thomas Hobbesius, ut omnem omnino legem tum naturalem, quum divinam pessumdarent, & hominem exlegem facerent.

In ea fide sum, a te detestatum iri illius regulæ abusum, si modo legere digneris, quæ pro modulo nostro sumus dicturi. Id, ut a te rerum justo æstimatore assequamur, opellam hanc quatuor in partes partimur. In prima, usum Probabilistarum illius Regulæ proponemus. In secunda, fines, & privilegia, quibus ea regula potitur, in foro fori expendemus, quibus omnibus expoliatam in foro poli demonstrabimus, ut evidens,

(1) Cap. ne innitaris n. 183.

dens, patulumque fiat, vel etiam lippis, non nisi per summum abusum pro dubiis conscientiæ solvendis usurpari. In tertia examinabimus principium, quo ad locandam in foro conscientiæ eam regulam utuntur, ex quo principio, quæ deductiones monstruosæ, homine nedum Christiano indignæ legitime progignantur, ad oculum ostendemus. In quarta Legum existentiam, & necessitatem commonstrabimus.

Res, ut vides, Christiane Lector, est maximi momenti; agitur enim de summa rerum. Si fallimur, periclitamur æternum. Importunum itaque non tibi videatur examini subiicere, quod tam bene multi tamquam normam agendi tradunt. Ubi divina non loquitur veracitas, nihil sine examine adoptandum. Quid? Cæco oculo amplectendum, & captivo corde credendum, quod alii, qui homines sunt, & errori obnoxii, ab aliis sola fide acceperunt, cæterisque gratis, aut sola personarum existimatione venditant? Apage hanc judicandi, vivendique irregularem praxim. Sequamur doctissimorum Dialecticorum methodum; nimirum nihil verum judicare (Divinam, ut fas est, auctoritatem exceptam volumus) nisi prius recto adhibito examine, verum, aut saltem verosimilius prospexerimus. Hoc præceptum Aristotelis, Tullii, SS. Augustini, & Thomæ nobis norma erit in hac re exponenda. Si id male nobis cesserit, minime reprobandus erit animus veritatem inquirens; si autem bene, Deus laudandus veritatis auctor.

PARS PRIMA

CAPUT PRIMUM

Gemino casu usus regulæ Melioristarum proponitur.

§. PRIMUS.

DUodecim sunt convivæ, quilibet suo instructus horologio. Horologia septem signant, jam advenisse mediam noctem tum diei Veneris, tum Dominici, quinque vero nondum advenisse. Quæritur num liceat vesci carnibus, tum nocte Jovis, tum Sabbati. Melioristæ arbitrantur posse quidem nocte Jovis, minime vero nocte Sabbati. Ducuntur autem hoc judicio; paulo ante exortum dubium stabat Libertas comedendi, quum ante mediam noctem, nimirum die Jovis nulla esset lex prohibens esum Carnis; e contrario nocte Sabbati stabat paulo ante vigor præcepti prohibentis. Quum igitur in dubiis possessor potior haberi debeat; decidendum nocte quidem Jovis in favorem libertatis comedendi, nocte vero Sabbati in favorem præcepti prohibentis.

Si minime morosus sit animarum director, habet, dummodo hanc calleat regulam, obviam, facilemque Theologiam; & quidquid desiderari potest pro eo munere exercendo, cæteroquin formidando his, qui portant orbem. Si autem, ut decet, sollicitus sit in veritate inquirenda, cavebit quam maxime ab ea adoptanda, assuetus non emere simplici credulitate merces, quæ solo verborum circuitu venduntur. Pudeat in rebus tanti momenti, tam levibus ratiunculis inniti. Videamus necesse est, quid ponderis habet illud oraculum, cui vulgo Theologi proprium captivant judicium, rem autem dividamus in plures paragraphos.

§. II.

§. II.

Ex responsione secunda pronum videtur fere semper decidendum esse in dubiis in favorum legis .

Ita plane plurimi etiam ex Melioristis autumant , & specitim quando obligatio præcedit dubium . Sic Sanchez (1) bligat ad horam canonicam recitandam in dubio , *num perverit* , docetque sæpius detarminandum esse pro valore actus, iam pro nativa libertate , & signanter quando adest præmptio legis . Delugo post Vasquesium apud Viva (2) judit Militem in dubio de belli justitia militare non posse, quia otior est conditio legis prohibentis injuste pugnare. Hac vero octrina semel admissa, uti quibunt Probabilioristæ ad exuflanm illud famosum argumentum , quod tanti faciunt Probabilistæ , & centies oggerunt , nimirum teneri subditum ad parndum Prælato præcipienti ; tametsi sibi sit probabilius rem ræceptam malam esse, & a Deo vetitam . Si namque Miles a dubio de belli justitia pugnare, & obedire non potest, cur nus obediendi imponendum Monaco , & Sacerdoti Sæculari , um Prælati rem illis dubiam præcipiunt ? Arridet nobis magis S. Augustini sententia , nimirum in dubio de belli justitia teneri Militem pugnare, quando *non esse contra* Dei præceptum certum est, vel utrum sit , certum non est , itaut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem Militem ostendit *ordo serviendi* lib. 22. , & 74. , 75. ontra Faustum apud Gratianum ; Can. causa 23. quest. 1.(3) Si item Miles tenetur , coguntur etiam subditi Prælatis parere , uod obedientia Principi , & Prælatis debita præcedat dubium. em igitur confectum est in his dubiis , meliorem esse Legis onditionem, eamque esse præferendam libertati .

Perpendamus autem eorum motivum ; Miles non tenetur a dubio belli justitiæ obedire Principi præcipienti pugnam , quia

(1) Lib. 1. cap. 10. n. 12.
(2) Op. 2. q. 3. art. 2. n. 3.
(3) Apud Berardum p. 3. cap. 19. de Augustino .

quia inquiunt, potior est conditio legis, v. gr. *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: potior autem non erit conditio legis, nisi quia est lex Dei, quæ longe venerabilior est, & prætiosior hominum libertate, vel quia ea lex anterior est omni dubio.

Si vero ita arbitrantur, in omni dubio in favorem legis Divinæ eundum erit, quia nimirum est lex Dei, & quia præcedit omne hominis dubium. Itaque dum dubitatur, num hic contractus, hæc operatio sit fæneratitia, aut injuriosa, in favorem legis Divinæ erit inclinandum, cum illa, & venerabilior libertate, & anterior sit omni dubio. Quemadmodum quod Sabbati obligatio abstinendi a carnibus sit anterior dubio mediæ noctis, abstinendum est ab esu illarum, decidendumve dubium in legis favorem, quia *melior est conditio &c.*

Hinc palam fit ad summum juxta horum D. D. mentem decidendum esse in favorem libertatis, quando dubium inciderit de lege nova, secus vero si dubium sit de lege jam promulgata; quia nimirum dubitatur, num comprehendat hunc, vel alium casum; nam quemadmodum quia præexistente lege vetante Sabbato esum Carnis, decidendum est in favorem legis, & quia jam extat lex, *nulli injuriam facito*, non licet Militi pugnare, si illis auctoribus credimus, in bello dubio, nimirum num sit justum; ita pariter præexistente Decalogo, dum incidit dubium, num hæc quæstio Decalogo sit contraria, ab ea erit abstinendum, atque adeo in dubiis tantummodo circa leges noviter assertas adhiberi poterit in favorem libertatis regula, *melior est &c.* Hanc doctrinam plurium cæteroquin Probabilistarum, si pensitasset Viva, non ita fidenter protulisset oraculum illud *universim agere potes orto dubio, quod immediate ante dubium exortum agere poteras.*

DEMONSTRATIO.

Non potest quis in dubio diei Dominici vesci carnibus; quia cum lex affixa diei Sabbati præcedat dubium, melior est ipsius conditio: sed lex naturæ, Decalogi, & Evangelii anterior est in præsentia omni dubio: igitur in dubiis has leges spectantibus, earum erit melior conditio, nec agere poterimus, quod forte vetant.

§.III.

§. III.

Ostenditur doctrinæ inconstantia Melioristarum.

Totis contendunt lacertis esse hominis libertati favendum, nisi æque certum sit homini, existere legem vetantem, ac sit conscius homo se libertate a Deo præditum esse, ut eorum doctrina infra p. 3. c. 1. §. 1. erudimur. Cum etenim, ajunt, leges sint odiosæ, & læsivæ juris humani, nec teneatur homo dubias juris exceptiones acceptare, nisi hic, & nunc constet homini instare legem vetantem actionem, poterit homo vesci carnibus, si prudenter dubitet, num jam inuraverit tempus diei Dominici; quum autem opinio innixa septem horologiis sit prudens, æque saltem ac ea, quæ solis quinque innititur, evidens sit vesci posse etiam nocte Sabbati.

Præterea qui sequitur judicium probabile, addamus *solide* (importunum, fucosum, & inexplicabile verbum) procul dubio prudenter operatur: effatum hoc, ipsis familiare, incessanter audimus. Porrò vero si quinque horologia fundant adversus septem judicium probabile *solide*, quod adhuc perseveret dies Jovis, monstro similius erit, quod septem horologia, contradicentibus quinque, non dent locum judicio *solide* probabili, quod jam adventarit dies Dominicus. Insuper si quis ductus opinione nata ex quinque horologiis, quod adhuc sit dies Jovis, fallatur, tamen carnes edendo non peccat, cur quæso? quia, inquiunt, homo tectus eo judicio probabili, si forte fallatur, excusabitur, quum laboret ignorantia invincibili, quod sit jam tempus Veneris. Belle quidem! quinque horologia adversus septem causant ignorantiam invincibilem diei Veneris, dantque scientiam, aut opinionem solidam, prudentemque, quod adhuc perseveret dies Jovis; & septem horologia non causabunt ignorantiam invincibilem diei Sabbati, nec ingerere poterunt scientiam, aut opinionem solidam, prudentemque, quod jam advenerit dies Dominicus. Credat Judæus Apella, credat, qui cæcutire curat.

DEMONSTRATIO.

Inconstans est ea sententia, quæ in eisdem circumstantiis, modo

modo quædam principia adoptat, modo respuit, modo ex debiliori motivo judicium certum, & verum efformat, modo ex fortiori judicium falsum, & incertum, hujusmodi est Melioristarum sententia. Igitur &c.

§. IV.

Sensa Melioristarum enucleatius producuntur.

Nemo tenetur vitare pericula remota peccandi, alias deberemus de Mundo exiisse. (1) In sequela autem opinionis partæ a quinque horologiis periculum non est proximum, sed remotum; quare si fortassis jam tempus Veneris intraverit, vescens carnibus a peccato immunis erit, ejusque peccatum, si forte adsit, erit *materiale*, minime imputabile non *formale*, & Deo injuriosum.

Insuper qui certo non novit intrasse jam tempus Veneris, hoc ipsum ignorat, & quidem ea ignorantia, quæ vinci non potest; contradicentibus enim quinque horologiis, quomodo nam certiorari potest transisse jam diem Jovis, & adventasse diem Veneris? porro autem ignorantia, quæ vinci non potest, invincibilis est. Definitum autem est, ignorantia invincibili ductum hominem inculpabilem evadere, & impunem; (2) Igitur conficitur in specie proposita licite posse quempiam vesci carnibus nocte nimirum Jovis.

Ulterius, quum de Deo sentire debeamus in bonitate, arbitrandum est, quod nolit vim habere obligandi eam Legem, de qua dubitatur, num existat, aut liget: rigidum namque nimis videtur hominem culpæ, & damnationi æternæ submittere, si imbecillitate, qua premitur, veritatem non potest attingere, & non semel amplectitur, quod omnibus inspectis ignorat, duciturve opinione solide probabili, quemadmodum eam esse censemus, quam pariunt quinque horologia.

Tandem demus probabile directum mimime sufficere ad hominem excusandum, si forte actum exerceat contra legem, eo quod tunc dubitare deberet pressus ex altera parte a septem horologiis,

(1) 1. Chor. 5. 10.
(2) Prop. II. Alex. VIII.

giis, & ideo abstinere ab eo actu, qui fortasse peccatum est; si tamen ei opitulentur principia reflexa, excusatum iri evidens fit, quia tunc ita certioratur de licito actu, ut nedum certus moraliter sit se minime peccare, sed metaphysice etiam. (horrendum hoc sæpius audivimus) Præcipuum autem ex principiis reflexis illud est, in dubiis *melior est conditio possidentis*. Illud autem regula est, & firma lex, itaut nonnisi ignarus, & imprudens eam in dubium, aut falsi suspicionem revocare possit. Igitur posito eo dubio de media nocte, firmus, certusque erit quilibet, qui judicat licitum esse esum carnis, quod melior sit conditio hominis possidentis libertatem vescendi, hoc adjuvamine nimirum, eo reflexo principio, judicium de licito usu carnium fit prudens; quod ante usum illius principii erat imprudens, & peccato proximum.

His similibusve ratiunculis confectum esse negotium non nemo inclamat, prostratumque Probabilioristarum systema, ac veluti geometrice demonstratum usum licitum opinionis, etiam minus probabilis. Ast ubi nam memoria, & experimentum humanæ pusillitatis, ut tamquam ex Tripode oracula pronuntiare quis valeat, ita certa, fixa, & firma, ut homo certus sit etiam metaphysice se minime peccare, tametsi omnibus inspectis, videat, sentiat, experiatur animum fluctuare, & dubitare, num agenda operatio sit peccatum, nec ne? Hæc omnia puderet vel referre, nisi foret compertum his næniis, laxitates, atque decidendi jus, & licentiam propagari, quod graphice ostendit P. Terillus (1) cujus nonnulla hæc sunt verba: vidi ego ex hisce recentioribus nonnullos, qui quum in rebus summi momenti ad Dei legem, & conscientiæ obligationem pertinentibus, ad intolerabilem laxitatem declinassent, aliud tamen, quo moverentur, quam argumentum a simili non haberent, vidi, & exhorrui.

Et quid porro tandem proferunt Melioristæ, si analisim suarum rationum tentemus, nisi argumentum a simili? ita plane; nam soliditatem, prudentiam, & firmitatem judicii, quatenus a temerario, & periculoso distinguant, & separent, totam ex eo argumento a simili repetunt; in foro fori melior est conditio possidentis domum; igitur & in foro poli melior est

(1) Terill. præf. ad Lectorem.

est conditio possidentis libertatem. Refellamus autem isthæc Melioristarum effugia.

CAPUT II.

Refelluntur Melioristarum effugia.

§. I.

Differitur de periculo remoto.

ULtro concedimus expositum vere remoto periculo iri excusandum culpa presse tali, sive imputabili, & punibili; sciant tamen Melioristæ minime auferri actus deformitatem beneficio remoti periculi, & invincibilis ignorantiæ, si forte actus revera, & coram Deo vetitus sit.

Intentio tunc operantis bona esse poterit, oculus simplex, & prœmio digna, ut prœmio cumulata fuit a Deo intentio obstetricium Ægyptiarum, minime vero placere potuit earum mendacium Deo, qui est veritatis auctor, & Pater, nisi Deum fingamus, qui odit, vetat, abominatur actum, sed tamen eumdem contrarium suæ voluntati, adeoque & amori amet, & diligat; exemplo ostendamus veritatem hanc, quam maximi faciendam esse nonnullorum conatus satis commonstrant.

Duorum Principum acies ad pugnam sint dispositæ, excubiæque aptis in locis locatæ ad invigilandum, nequa fraus irrepat. Alterius Principis unicus filius, ut inopinato, fraudeque hostes adoriatur, habitus, & arma hostis effingit, prope unam excubiarum transit stipatus militibus, iterque contorquet. Excubiarum Magister juvenem Principem, quem inimicum arbitratur, occidit. Casus ad Patrem narratur, laudat quidem excubiarum diligentiam, & zelum, & fortassis prœmiat, verum complacet ne sibi in morte unigeniti, quem unice diligebat? an non potius lacrymis deplorat, odit, detestatur? indulget excubiæ, non punit; sed horret filii mortem, & interitum. Non secus accidit in re nostra. Putat quis se obsequium præstare Deo, si hominem, quem feram ad devorandum puerum currentem putat, occidit. Grata est Deo

Deo intentio illa caritatis; sed odit, & detestatur homicidium, quod vetat, & abominatur, quum hominis vitam proprio subiiciat dominio, nullique submittit, nisi publicæ potestati, & in casu enormis delicti.

Periculum porro remotum esse in casu, circa quem versamur, tam falsum est, quam quod maxime. Et quidem, ut jam dicebamus, periculum non est remotum, sed proximum, si nocte Sabbati quis carnibus vescatur indicia sequens septem horologiorum; & remotum erit nocte Jovis, si quis carnes edat, sequens indicia quinque horologiorum? Magica quadam ne gaudet vi tempus Jovis, ut mentem fascinet, cogatque efformare judicium prudens, se minime peccare, quum tamen nocte Sabbati in iisdem circumstantiis, iisdemque personis, non possit beneficio septem horologiorum illud ipsum prudens judicium concipere? an forte numerus quinarius ad titillandas, commovendasque fibrillas aptior est, ut in animo excitetur, vel progignatur idea clarior de non existentia peccati, qua vi non polleat numerus septenarius?

Nihil ad rem faciunt, ajunt, numeri quinarii, vel septenarii, sed tota vis est, & quidem energica in usu illius regulæ *melior est conditio possidentis*, ut jam superius est declaratum. Verum metuendum est, ne sicut in foro fori stat pro ratione possessio, stet in foro conscientiæ libertas, idest voluntas. Quid ad rem temporis dirimendam conducunt leges? Numquid consulti Codices, & Leges Imperatoriæ ad correctionem Gregorianam?

Actio est temeraria, & ideo culpabilis, si quis se exponat periculo proximo violandi legem Dei, secus si periculum sit remotum. Periculum autem dicitur remotum, vel proximum a vicinia, vel distantia temporis, cui affixa est lex. Si Venator die festo, (quo plurimi abutuntur in eo exercitio, quo summe a Deo distrahitur mens, ne festum piis exercitationibus sanctificetur) mensurari velit periculum non audiendi Sacrum, leges non debet consulere, sed unice itineris distantiam, & temporis durationem, ut hinc prudenter dignoscat sibi superesse, ut perveniat ad Ecclesiam, in qua circa meridiem v. gr. Missa celebratur: lex prohibens esum carnis affixa est diei Veneris, & Sabbati; licentia vero comedendi diebus Jovis, & Dominico, ita, ut tam certi simus, nos peccaturos, aut minime, quam certi de diebus Veneris, & Sabbati, aut

Jovis, & Domini. Si itaque ſeptem horologia non elongant periculum a tranſgreſſione legis Sabbati; potiori jure quinque non elongabunt a tranſgreſſione legis Veneris; ac propterea ſicuti ea regulâ *melior eſt conditio* non producit tempus Sabbati, nec impedit adventum temporis Dominici; ita neque fixare poteſt tempus Jovis, & præpedire tempus Veneris, ne ingrediatur, & fluat.

Hinc facile concludere eſt, præfatam deciſionem prorſus arbitrariam eſſe, nulli ſolido fundamento ſuffixam, unamque eſſe ex his, quæ reprobat laudatus P. Terillus *ad obligationes tollendas, aut minuendas*. Dum tamen ab Angelico docemur in quæſtionibus, ubi de peccato mortali agitur, nonniſi periculoſe res determinari. Quod oraculum ſi frequentur præ oculis haberemus, non ita proni eſſemus ad dubia moralia diſſolvenda, principiis, & regulis quæ ſi examinare tantiſper velimus, falſa ut plurimum reperire erit.

Sit filiusfamilias, cui ab Avo defuncto legata ſit domus, quam inhabitat. Is ſub patria exiſtens poteſtate, niſi prodat ignominiam ſuam fæminas adventantes pellere non poteſt. Ex his una eſt, cum qua male ſe habuit frequenter; hic ex rumore, aliiſque circumſtantiis, dubio angitur, num illa ingreſſa ſit, domum. Inquiramus nunc, an teneatur exire, & periculum declinare ſtuduerit Melioriſmo, en illum ita fantem.

Ante dubium domi pacifice, innocenterque ſtabam. Jam vero dum exoritur dubium, perſeverat mea libertas. Quando *immediate ante dubium ſubortum certa erit moralis libertas* (1). Igitur innocenter domi commorari poſſum, dubium ſolvere, timores, ſollicitudines, & angores pellere, quia *melior eſt conditio* &c.

Sciſcitamur autem ab hoc juvene juridice moralizante; num relata lex, num hæc principia reflexa valeant mulierem e domo repellere, ſi forte ſit ingreſſa, vel ante fores more Militum ſtare, ut ingreſſum ei proibeant? hanc vim, virtutemque, ut arbitror, non habent leges, non habet totum Jus ſive Civile, ſive Canonicum. Porro vero in ingreſſu mulieris, ſtat ſumma periculi, nec concludere ille poteſt, *melior eſt conditio poſſidentis*, ergo *mulier non eſt domi*, fugiat igitur *tamquam a facie colubri* (2) ſi innoxius.

(1) Viv. op. 2. q. 3. ar. 1. n. 5.
(2) Eccl. 21. 2.

noxius esse cupit. Remotum aut proximum censendum est periculum, ex judicio prudenti, quod formare potest de ingressu, aut non ingressu mulieris, minime vero ex scientia legum.

Simili modo judicandum in hac quæstione, comestio carnium peccatum est, & si tempus Veneris ingressum sit, Leges, Codex, Infortiatum &c. vim non habent sistendi Solem, tempus, & protrahendi diem Jovis; nec valet quis sensate concludere, leges mihi assistunt, sum in possessione libertatis, *melior est conditio possidentis*; ergo est dies Jovis; quare nec poterit carnes comedere, si peccatum declinare velit. Quum etenim congestis omnibus legibus judicare nequeamus diem Veneris non subintrasse, & stare adhuc diem Jovis; ita neque ex his concludere periculum esse proximum, vel remotum, peccatum esse materiale, vel formale, sed unice hæc dignoscenda sunt ex motivis judicandi de tempore, quæ certissime alia esse nequeunt, nisi horologia. Septem autem horum fortius impellunt ad judicium ferendum quam quinque, atque adeo proximiorem judicandum esse diem Veneris, quam Jovis.

DEMONSTRATIO.

Certitudo peccandi, vel non peccandi oritur ex certitudine temporis, cui est affixa prohibitio, aut licentia comedendi carnes: sed nulla lex parere potest certitudinem temporis, igitur, &c.

§. II.

De asserta ignorantia invincibili.

Omne, quod non est ex fide, peccatum est (1), nimirum peccamus, quando sine practico judicio de operis honestate operamur; agendo etenim ea animi præparatione, sive opus sit prohibitum, sive non, *illud facere volo*, procul dubio peccamus; expositi nimirum periculo proximo transgrediendi Dei legem; quum vero operamur sine practica persuasione, quod opus

(1) Ad Rom. 14. 23.

inhonestum non sit, ea animi dispositione ducimur, temeritatis rectissime redarguti.

Hoc ita certum est, ut Melioristæ expostulent certitudinem, nonnulli etiam metaphysicam de actionis honestate, ~~quam~~ quum possint ex directa vi probabilitatis aquirere, eam exsciscare conantur ex principiis reflexis, laxitatisque eos insimulant, qui permittant homini posse operari cum opinione probabilissima, tametsi propter imbecillitatem humani judicii tantisper vereantur, ut moris erat apud Sanctissimos viros, nimirum opera sua vereri. Quæ doctrina si locum habeat mirabili metamorphosi videbimus Probabilistas transformatos in rigidissimos Tutioristas.

Sed res vere miranda ad hanc certitudinem assequendam sufficere, ajunt, quod non constet certissime de lege prohibente, ducti procul dubio Caramuelis principio, ex quo profluit, ut insinuavimus, & inferius demonstrabimus, omnium malorum execrabilius Hobesianum systema. Itaque, ajunt, dum non constat certo de lege prohibente, homo laborat ignorantia invincibili legis, minime culpabilis evadit, si faciat opus, quod fortasse vetatur.

Animadvertendum nonnullos excessive abuti nomine ignorantiæ, utque tollant peccata Mundi, sufficere ajunt ad veri nominis ignorantiam excusatricem, etiam puram non advertentiam ad peccatum, ut in Belgio libellis publicis sub specioso nomine cathechismi traditum fuisse legimus; quare qui exagitatus passionibus, & effreni concupiscentia absorptus de Deo, de lege, de culpa non cogitat actu immunem a peccato nonnulli faciunt, quia, inquiunt, elaborat ignorantia *invincibili, & naturali*, quam enormem, & omnium prævaricationum fontem, quilibet de Deo, de Christi doctrina, deque bono rationis usu recte sentiens detestari, & ejurare debet. Grassatores viarum, Lenones, impudicos, infideles omnes, & maxime incultarum nationum, a peccatis fere omnibus absolvet quorumdam Auctorum hæc sententia.

Non ita tamen Deo favente doctrinam hanc passis ulnis amplectuntur Doctores, quin ita obsistunt hisce temporibus, ut etiam arbitrentur non semel vel unam ispirationem, parvumque Spiritus Sancti lumen sufficere, ut inexcusabiles sint infideles, si in sua permaneant Secta, ut novissime censet P. Ghesius. Rem hanc concludamus pro nunc cum D. Bernardo ex

quo

uo apparet quantum in ignorantiæ tenebris jaceat , qui ignorat eccari posse per ignorantiam . Epist. 77. Ignorantia ea dicitur nvincibilis , & reapse est : quam vincere nobis nulla est poestas , ut reperitur in eo , qui nulla facultate pollet , nullo djuvatur medio , nullum motivum ei præsto est , ut ab erroe liberetur . Est autem duplicis generis , nimirum Metaphyica , & Moralis . Metaphysicam ignorantiam dicimus eam , uam mox descripsimus , quum nimirum nullum suppetit meium ad errorem expellendum, qualemque communiter admitunt Theologi in nationibus barbaris circa positivas Evangelii , c Ecclesiasticas leges ; quum nusquam audierint aliquem eas prædicantem , *quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent , quem non audierunt , quomodo autem audient sine prædicante* ? (1)

Alia moralis ignorantia est , & contingit , quum quidem omo etiam secundum præsentes , quas habet vires , potest errem depellere , sed ei difficile ita est attenta ratione status , nditionis , aliarumque circumstantiarum , ut sit ei moraliter npossibile ab errore liberari .

Ut vero quis ab errore surgat , necesse non est , ut veriitem clara , & evidenti idea cognoscat ; aliàs omnes in erro: , tenebrisque immersi essemus . Quis enim est , nisi fortassis uidam albus Corvus ; qui analisi perfecta rem agnoscat, quum nnes fere quæstiones sive philosophicæ, sive morales , sive requarum facultatum innumeris subiacent difficultatibus , ut npossibile sit examen præcisionis instituere , & ita veritatem nsequi , ut nullum supersit vincendum , solvendumque duum .

Ut quis igitur ab errore , & ignorantiæ tenebris urgat , sufficiens est , ut de re aliquem acquirat scientiæ adum ; eo passu , quo error depellitur , scientia acce: ; imo quia scientia accedit , ignorantia pellitur ; quatisu dignus esset , qui diceret externa die nesciebam ascenn Mercurii in tubis effici a pondere aeris , nunc lectione P. rtoli aliquod lumen aquisivi , ita ut de mea præjudicata opione dubitem ; igitur sum ignorans sicut heri . Sciha , & rbarus quum sim , nihil audivi , nihil prorsus sciebam de risto , ejusque doctrina ; nunc audivi Missionarium prædican1 Evangelium ; ita ut nunc dubitem de veritate Sectæ meæ; igitur

(1) Ad Rom. 10. 14.

igitur quum non videam evidentur Evangelii veritatem, nihil de eo scio, & omnino ignorans sum sicut prius.

Lumen veritatis lumini Solis simillimum est, suosque habet gradus. Sufficit ad tenebras minuendas auroræ initium, ut nox paulatim recedat, sufficit vel aurora veritatis, scilicet illustratio aliqua, ut non dicatur homo omnino ignorans.

Nemo inficiatur admittere ignorantem in aliquo sensu appellari posse, qui demonstratione Metaphysica, Physica, aut morali rem non assequitur, attamen aliquo scientiæ gradu perfunditur, qui rem non omnino ignorat. Fide pollebat salutari, qui dicebat, *credo Domine*, incredulum tamen fatebatur se esse, dum subdebat, *adjuva incredulitatem meam* (1). Ignorare dicuntur Apostoli doctrinam Magistri, sed instructos eosdem declarat alibi Evangelium. Non robuste credebat ille, sicut optabat, sed jam ab infidelibus secretus fidem habebat, nam ob ipsius fidem ejus filius liber evasit. Non undequaque edocti erant discipuli; sed tamen a tenebris, & errore emergentes, cum reliquo Hæbreorum vulgo non connumerabantur.

Non excusatur *ab infidelitate infidelis ductus opinione minus probabili*; non excusabitur certissime infidelis ductus opinione æque probabili, cum minus probabilis, si auctoribus Melioristis credimus, suppeditet prudentiam judicio practico, ac æque probabili, quia *parum pro nihilo reputatur*. Itaque idem de ambobus ferendum judicium. Ex hac vero doctrina Ecclesiæ, quod nimirum non excusetur infidelis ab errore, si ducatur opinione minus probabili, æque ex alia similiter Ecclesiæ sententia, quod nimirum excusetur quis, si in agendo ducatur ignorantia invincibili, evidens fit opinionem minus probabilem non afferre invincibilem ignorantiam.

§. III.

Scrupulus inanis removetur.

Hic aures erigit quispiam ajens male nos sentire de nostra fide, quasi Secta quædam præter Catholicam possit alicui apparere solide, licet minus probabilis, sed quæso quid damnarunt Sum-

(1) Marc. 9. 23.

Summi Pontifices in propositione ? chimeram ? Ast quod summa admiratione dignum est, bene multi admittunt facile fore, ut quis ignoret invincibiliter existentiam Numinis, legis Evangelicæ, Religionis Catholicæ, & adeo morosi sumus in admittendo, minorum probabilitatem subiectivam Sectarum a Catholica discretarum ? Hi autem adeo indulgentes Atheistis viam forte straverunt Lokio, ut Atheos in immensum multiplicaret. Verum hoc interest discrimen, quod Lokius veri nominis culpam in suis Atheis agnoscit, quod non bene usi sint ratione, atque cum Apostolo Paulo asserit damnandos esse. Isti autem Doctores Catholici solo peccato philosophico inficiunt; quumque eos a culpa morali excusent, quod laborent ignorantia invincibili, forte in Paradiso Theologico collocandos necesse est asserant, tametsi damnandi in Inferno Philosophico. Illud verbum *solide* non amandamus, dicimusque nemini Infidelium videri probabilem Sectam propriam si bene perpendat motiva veræ Religionis. Si autem perpendere negligat; culpabilis est, ejusque ignorantia eum minime excusabit illo die, quo supremus judex revelabit secreta cordis.

Itaque ad pellendam eam ignorantiam, quam invincibilem, & excusatricem dicimus, sufficit quæcumque notitia, quæ præbeat judicio, aut dubio prudenti fundamentum de veritate, quam clare adhuc non agnoscimus. A Scholis Peripateticorum incipit deficere, qui dubitat prudenter, an verus sit ille famosus *horror vacui*, ea eductio *formæ materialis*, quæ non est *materia*, *nec spiritus*, sed nescio quid medium; & temeritatis argueretur qui in præjudicatis obstinate persisteret, quod solo dubio sit concussus, & minime evidentia modernorum sententiæ convictus. Pari modo non excusatur Viator, si jam semel arreptam animo obfirmato viam sequitur, dum novis motivis ad dubitandum adducitur. Illa etenim motiva incipiunt errorem, & ignorantiam depellere, ita ut inexcusabilis sit, si judicium non suspendat, cursum non retineat, usque dum rectiorem, securioremque viam dignoscat. Ita se gerere debet mens nostra in judiciis efformandis, ut docet Aristoteles. (1)

Pellitur quidem ignorantia omnino, vel error per *inventionem.*

(1) Aristot. lib. 3. Meth. cap. 1.

tionem rei, quam quærebamus, ut post Aristotelem docet S. Thomas: ast non omnino ignorans est, qui dubitare prudenter incipit; dum vero dubitat, utique prudenter, temerarius, & imprudens est quisquis operatur. Id ultro concedunt adversarii nostri; verum, inquiunt, dubium solvimus beneficio reflexi judicii, quod *melior sit conditio possidentis*, si isthæc regula minime potis est causare scientiam, quod sit dies Jovis, & non Veneris, ignorantiam causare non potest diei Veneris, adeoque nec dubium pellere, non secus, ac quæcumque alia lex insuficiens sit ad affirmandum quo die Petrarca Lauram viderit; *possideo libertatem*, *ergo ignoro existentiam diei Veneris* similis ratiocinatio huic est, *Luna est in Apogeo*, *ergo Apella Hæbreus est*. Possessio ignorantiam non pellit, prædo, & possessor malæ fidei, quod certo possideat non ignorat, rem, quam possidet alterius esse, quum possessio nihil conducat ad illuminandam, vel obscurandam possidentis mentem.

Monstruosam hanc ignorantiæ doctrinam enormitatum parentem esse, mox nervose, & omni evidentia demonstraturi sumus. Interim percunctimur, an qui nocte Sabbati indicio septem horologiorum, impellitur ad judicandum jam adventasse diem Dominicum, certus nihilominus sit, & quidem metaphysice esse tempus Sabbati, & ignorantia invincibili obumbretur circa tempus dominicum; si ad bene operandum necesse est, ut quis certus sit legem non adesse, ut quis peccet, necessarium pariter erit, ut certo sciat legem existere vetantem opus. Sed etiam concedunt; pergamus autem; nocte Jovis beneficio quinque horologiorum, Meliorista certus est legem abstinentiæ non adesse: nocte Sabbati autem eorumdem quinque horologiorum beneficio certus est legem adesse; igitur quinque horologia certam existentiam legis faciunt, & certam ejusdem legis non existentiam.

Septem reluctantibus horologiis affirmat nocte Jovis legem non adesse, & nocte Sabbati jurat legem adesse; quinque motivis adversus septem est certus non peccare; & septem motivis non est certus non peccare. Bone Deus! Nocte Sabbati septem hominibus asserentibus esse tempus Dominicum, non laborat ignorantia invincibili de lege abstinentiæ, & septem iisdem affirmantibus esse diem Veneris laborat ignorantia invincibili de eadem abstinentiæ lege? Si paradoxa hæc minime sunt, mysteria eleusiaca erunt.

Rem

Rem finiamus. Tam certus esse debet quis non se peccare, quam certus sit diem esse Jovis, aut Domini; item tam certus se peccare, quam certus sit esse tempus Veneris, aut Sabbati. Tam igitur formare potest judicium certum se peccare, aut non peccare, quam affirmare possit, esse diem Jovis, & Dominicum, aut diem Veneris, vel Sabbati; nam ideo non pecco, quia lex non adest; ideo autem non adest, quia est dies Jovis, & Domini. Ideo pecco, quia adest lex vetans; adest autem, quia est dies Veneris, vel Sabbati. Advocemus jam regulam *melior est conditio possidentis*, experiamurque, quid prosit ad efformanda ea judicia. Ratiocinetur Meliorista hac methodo. Sum in dubio, an sit dies Jovis, vel Veneris; sed quia *melior est conditio possidentis*, & heri erat dies Jovis, igitur possum comedere.

Non ita concludendum mi sodes, sed *ergo est dies Jovis*, videlicet heri *erat dies Jovis, nunc sum in dubio, num sit dies Jovis, sed melior est conditio possidentis; igitur est dies Jovis*. His ratiociniis similia addamus. Mulier illa mane non erat ingressa domum, nunc dubito, sed melior est conditio possidentis; igitur nunc non est ingressa. Mane febri non laborabam, nunc dubito, sed melior est conditio possidentis, igitur febri non laboro. Heri navis tuta erat, nunc dubito ex ventorum impetu, sed melior est conditio possidentis, igitur in tuto est. His argutationibus, vel balbus crederet?

Longe melius, & rationi undequaque consentaneum, si ita discursum efformaremus. Dubito an sit dies Jovis, an Veneris; diei Jovis est affixa libertas comedendi carnes, diei Veneris affixa prohibitio; igitur dubito an peccem, aut possim carnes comedere; ex præmissa etenim dubiâ non nisi dubia elici potest consecutio. Regula porro formandi judicium de tempore Jovis, aut Veneris non sunt leges, ut jam usque ad ravim dictum est; sed nocturno tempore unice horologia sunt manualia, lunare etenim *nono fiet in anno*. Tribuere autem quinque horologiis majorem vim præ septem, arbitrarium omnino est, & a ratione alienum; quod si prout libuerit res invertere velimus, poterunt Sanchez, Palaus, Fagund, Joannes Lug-Trullenc, Bonacina apud P. Vivam asserere, quod si unum horologium indicet jam advenisse diem Dominicum, possit Sacerdos vesci carnibus; si autem aliud horologium etiam habuerit indicans non adhuc mediam esse noctem,

ctem, celebrare mane queat; nec facile eam opinionem reiiciet, qui verbo uno assereret horologia quidem facere opinionem probabilem, sed in eo casu opiniones illas non esse *comprobabiles*, nisi contradictoria comprobabilia sint. Contradictoria autem sunt, quæ Melioristæ asserunt in solutione gemini casus, ut demonstratum est. Solvamus hic incidenter importunam opinionem.

§. IV.

Vana intorsio Melioristarum ostenditur.

Intorquere arbitrantur Melioristæ passim argumenta adversus probabilioristas hoc modo. Decem horologia indicent nondum subintrasse diem Veneris nullo refragrante, quod significet jam intrasse diem Veneris. Quum nulla lex, aut regula remorari possit, aut accelerare tempus; si forte jam tempus Veneris advenerit, peccabit ne, si quis forte carnes comederit? Minime gentium. En ergo nunsurari minime opus esse culpæ admissionem ab existentia physica temporis, sed ab judicio, quod prudenter formamus. Jam vero qui in dubio innititur regulæ *melior est conditio possidentis*, format judicium prudens, quod sibi liceat vesci carnibus; quid igitur ad rem nostram temporis ratio, & existentia?

Ut plene satis sit factum huic instantiæ, quam frequentissimè oggerunt, manifestandum est discrimen, quod intercedit judicium Melioristarum inter, & Probabilioristarum. Qui consultis decem horologiis, quæ unice consulere potest, hanc consecutionem concludit *non est dies Veneris*; *igitur non existit lex prohibens esum carnium*. Has autem consecutiones minime infert ex legibus, aut principiis reflexis; sed ex horologiis, quæ unica sunt regula temporum dignoscendorum.

Verum, qui in dubio, num sit dies Veneris, aut Jovis, concludit, igitur possum comedere carnes; minime concludit, ut necesse foret, igitur non est dies Veneris, sed Jovis, & ideo est mihi libertas comedendi carnes, ac propterea nequit formare judicium prudens de non peccato, siquidem, ut repetere cogimur, si est dies Jovis non pecco; sit est dies Veneris pecco, utpote agens contra legem huic diei affixam. Jam igitur erit prudens judicium de non peccato, quam erit prudens de non existentia diei

diei Veneris, ut ex præmiſſis Melioriſtarum deducat has conſecutiones, igitur non eſt dies Veneris, igitur non pecco. Omnem excutiat ſinum, atque in omnem ſe vertat laterem, quicumque dialecticus laterem lavabit. Quænam autem ſunt præmiſſæ? En paratiſſimas. Dubito, an ſit dies Veneris, an Jovis, melior eſt conditio poſſidentis, igitur poſſum comedere; verum non potes comedere, niſi ſit dies Jovis; reſtat igitur, ut primum concludas, eſt dies Jovis; ſed unde nam id concludendum? procul verborum circuitus, en neceſſariam conſecutionem, dubito num ſit dies Jovis, melior eſt conditio poſſidentis, ergo eſt dies Jovis; die Jovis poſſum comedere, igitur comedere poſſum. Si minime concludimus; igitur eſt dies Jovis, numquam adhibitis etiam trocleis Bonavuoti, hanc conſecutionem elicies, quemadmodum, ut jam patefactum relinquimus ex legibus favorabilioribus filio familias, nuſquam is legitime concludere valuit: igitur mulier non eſt ingreſſa domum; & ſicuti ille ita ratiocinari debuerat, dum dubito an Mulier ſit ingreſſa, domi morari non poſſum, tametſi leges omnes domum mihi adjudicent; nunc dubito igitur tamquam a facie colubri fugiendum; ita quilibet optimus Dialecticus diſcurrere debet, ſi eſt dieis Veneris, pecco, ſecus ſi ſit dies Jovis; dubito; igitur dubito an peccem, in dubio autem minime manducandum.

Itaque Probabilioriſta his motivis, nimirum decem horologia nullo obſtante indicant nondum advenìſſe diem Veneris, ſed adhuc perſiſtere Jovis tempus; die Jovis eſt certa libertas comedendi, & non exiſtentia legis, concludit: igitur *non pecco ſi comedam*; quod judicium prudens eſt, & motivis irrefragabilibus innixum. At Melioriſta efformare debet judicium ex his motivis. Dubito, an ſit dies Jovis, an Veneris, adeoque num adſit libertas, aut prohibitio, conſequenter an agam contra legem nec ne, & concludere, igitur non pecco, ſi comedam, quod judicium ut imprudentiſſimum damnare nemo non debet.

§. V.

Evidenter concluditur inconſtantia doctrinæ Melioriſtarum.

Opinio aliud nihil eſt, quam judicium, quo mens fertur in veritatem, ſed non omnino firmiter, & conſtanter ad diſcri-

fcrimen judicii fcientifici, quo mens judicat indubitanter rem ita effe. Jam vero dum ajunt Probabiliftæ, horologia facere opinionem probabilem, illud dicunt nimirum ex horologiis mentem follicitari, aut excitari, & adduci ad judicandum de tempore Jovis, Veneris, aut Sabbati, vel diei Domini in cafibus, quos verfamus. Idque ita certum tenere debemus, ut irridendus fit, qui affirmaret: illa regula, melior eft conditio poffidentis facit opinionem probabilem, five follicitat mentem ad judicandum de diebus Jovis, Veneris. Quis enim audita ea regulâ fenfit fe impelli ad judicandum, quod eft dies Jovis? Motiva porro judicandi ea funt, quæ ignorantiam depellunt, & fcientiam, vel opinionem caufant; ea funt, quæ adducimus, dum interrogamur, cur ita judicemus. Sciſcitanti etenim a me cur judicem, poffe quempiam vefci carnibus, refpondeo, quia dies eft Jovis, vel Domini; id vero ita affirmo, quia ad ita judicandum movent me horologia.

Quinque porro horologia inducunt Melioriftas nocte Jovis ad judicandum dubio, quod adhuc perfeveret dies Jovis, non obftantibus feptem horologiis pugnantibus contra exiftentiam hujus diei, & in favorem diei Veneris, adhuc igitur Meliorifta manet in ignorantia invincibili de exiftentia diei Veneris, hæcque ignorantia tota, quanta eft, nafcitur ex vi quinque horologiorum, quam depellere nequeunt feptem horologia ejufdem ceteroquin virtutis, & vis, atque adeo magis impellentia mentem ad judicandum, quod jam dies Veneris intraverit.

Aft cur feptem horologia nocte Sabbati non caufabunt opinionem prudentem exiftentiæ diei Dominici, neque inducent ignorantiam invincibilem exiftentiæ Sabbati? gratias acturi fumus ei, qui nos illuminare velit, atque docere inter duodecim paria horologia quinque majori vi pollere, quam feptem.

Animadvertendum pro generali regulâ folvendorum dubiorum, folvi dubia non poffe, nifi denuo accedat motivum aliquod, quod veritatem, vel evidenter commonftret, & tunc nulla prudens formido oppofiti in animo relinquitur: vel motivum non undequaque faciem veritatis oftendat, fed prope, aut propius menti uniat, tunc mens magis, ob illud novum motivum uni parti adhæret, eo quod ad veritatem magis accedat, eamque quafi invenit, & fentit.

In propofitis dubiis advocatur a Melioriftis ea regula melior

lior est conditio possidentis; ast ut evidenter commonstratum est, nullam vim habet movendi mentem ad judicandum, & assentiendum huic propositioni: est dies Jovis, aut est dies Veneris, sicut neque est dies Sabbati, aut est dies Dominicus. Quum autem dubium non solvatur, nisi per inventionem rei, de qua dubitabamus, necesse est mentem perplexam remanere sicut antea; quare male pro dubiis solvendis ea utimur, sicut abutimur re indifferente ad utrumque, ut uni parti adhaereamus, ut evidens est.

Rem ita claram, patentemque, tam prolixe tractamus, quod petitiones principii advertantium nos cogant; una vero est principiorum petitio, quod regula illa quidem ad rem non est pro dignoscendis temporibus, sive diebus Jovis, Veneris &c. Quid etenim cum Luna Cancer? Sed nihilominus illud operatur, quod dubitans possit prudenter judicare se minime peccare, si nocte Jovis carnes comedat.

Ut paenitus rem dilucidemus, finemque imponamus, animadvertamus necesse est, quempiam excusari posse in opere, quod forte vetatur, vel quia judicat judicio prudenti, & moraliter certo, legem prohibentem non adesse, vel quia tametsi lex prohibens adsit, operans laborat ignorantia invincibili illius, quod in idem recidit; vel quia tametsi sciat legem adesse, ea tamen lex vim non habet obligandi. Nullo autem ex enumeratis modis ea regula operanti opitulari potest; siquidem ut ad oculum demonstravimus, virtute illius regulae non potest formari judicium moraliter certum de existentia diei Jovis, adeoque nec de licentia comedendi, nec deservire ad causandam, vel depellendam ignorantiam praecipue invincibilem, & excusatricem. Restat igitur, ut tertium examinemus.

Salva Religione negare non possumus diebus Veneris, & Sabbati affixam esse legem abstinentiae a carnibus, quidquid dixerit de diebus jejunii Socrates Romanis infensus, Marsamus, Dallaeus, & Calaber quidam, cui legi vim obligandi nemo Catholicorum inficiabitur, statim igitur ac judicamus de Legis existentia, aut non existentia; nec juvat ad concludendum legis vigorem, aut impotentiam obligandi, judicium de existentia, aut non existentia temporis Jovis, aut Veneris, adeoque existentiae, vel non existentiae libertatis, vel legis,

prae-

præcedit omnino usum illius Regulæ ; quippequæ advocatur ad dubium jam præconceptum ex horologiis deponendum ; si itaque non juvat ad judicandum de lege, vel ipsius non existentia, ut excusare possit comedentem, necesse est, ut vim habeat faciendi licitum, & non vetitum, quod est vetitum etiamsi lex adsit, sive quod lex perdat vim obbligandi.

Quis autem legum lator tantam potestatem tribuit, ut enervet ipsius legis vigorem? quis est, qui huic legi abstinentiæ deroget? inquies, ita opinantur auctores. Belle quidem, auctores erunt legum latores; sed alii his Melioristis refragantur; ad minus igitur authentice dubia est ea regula; regula autem dubia non solvit, sed auget, obfirmatque.

Dignentur Melioristæ fidem facere indubiam vigoris excusandi a culpa, quo præditam esse eam regulam opinantur. Lex obligat usque dum abrogetur consentiente utique legislatore, aut ejusdem lege contraria, aut desuetudine, aut consuetudine; nihil horum probatur adversus legem abstinentiæ, si forte sit dies Veneris. Igitur recursus ad hanc regulam mere arbitrarius est.

Protestantes non negant furtum, adulterium, maledictum aliaque opera legibus tum Divinis, tum naturæ esse contraria, atque directe veri nominis crimina pænis condignis punienda, id inficiari non possunt, nisi Evangelio, & lumini rationis abrenuntient; verum ajunt hominem baptizatum excusari a Deo statim ac animum subit se Christianum esse, & pertinere ad pactum, quod Deus cum Abraham pepigit, & in Redemptore confirmavit. En reflexam regulam ad excusandas excusationes in peccatis. Directe peccata sunt, & imputabilia; sed reflexionis ope excusantur.

Perpensis motivis, quæ mentem movent ad judicandum de tempore, de lege, de comestione carnium, peccatum erit comedere nocte Jovis, quia horologia dubium causant. At si memoriam subeat ea regula, *melior est conditio*, quod nimirum homo est a Deo libertate donatus, sui juris, & dominii, aliaque ejusmodi recogitet, culpa vacabit omni, tametsi operetur opus a lege vetitum.

Perperam Protestantes, & gratis pactum Divinum proferunt actioni extraneum, quod proinde eam non immutet, nec a malitia purget, eamque relinquit in suo statu, in honestate, & merito ad pœnam, Deumque non privat jure aversionis,

nis,

nis, & animadverſionis in ipſam. Non jure aptiore Regula melior eſt, utpote extranea ad dubium, & motivum dubitandi adducitur. Quum nec legem enervet, privetque ſua vi obligandi, neque ejus non exiſtentiam oſtendat, atque adeo malitiam omnimodam comeſtioni relinquit, ſi forte in legem peccet, ſive ſi lex jam exiſtat. Directe igitur comeſtio peccatum erit, ut vel ipſi fatentur, nec quacumque reflexione ſanctificabitur.

Non deſunt pariter regulæ reflexæ pro purganda comeſtione carnis nocte Sabbati; nam ad libertatem quod attinet, ſi ſtandum eſt doctrinis adverſariorum, potiori jure licentiam facere debemus comedendi carnes nocte Sabbati, quam nocte Jovis; nam leges ſunt odioſæ, & reſtringendæ, favores ampliandi, libertas comedendi carnes nativa eſt, jus eſt homini datum a natura, non tenetur quis acceptare limitationes juris incertas, contra jus certiſſimum. In dubiis melior eſt conditio poſſidentis libertatem naturalem. Hic ſumus in dubio regulæ judicandi de tempore libertatis, vel legis reſtringentis libertatem; fortius in hominis favorem prævalent; ſunt etenim ſeptem horologia, igitur jus erit carnes comedendi die Sabbati magis, quam die Jovis, quum tunc nonniſi quinque horologia faveant.

Ulterius quinque horologia nocte Jovis faciunt mihi probabile nundum adveniſſe diem Veneris; quod etenim id probabile fiat, evenit ex directa vi horologiorum, non ex reflexa vi regulæ: melior eſt conditio poſſidentis; hæc etenim aſſumitur ad decidendum dubium, atque adeo ſupponit hinc inde momenta cauſantia dubium. Si autem quinque horologia inducunt menti opinionem graviter, & ſolide probabilem, a fortiori ſeptem, ac proinde nocte Sabbati erit ſolide probabile, quod jam advenerit dies Dominica; imo erit magis probabile. Jam vero, qui ſequitur opinionem ſolide probabilem prudenter operatur, in ejus ſequela periculum non eſt, niſi remotum, & peccatum, ſi forte adſit, non eſt, niſi materiale, cur igitur licitum non erit veſci carnibus nocte Sabbati, licitum tamen erit nocte Jovis?

Recurſus ad regulam inutilis eſt, quia huic regulæ reflexæ opponuntur eæ, quas modo adduximus, nimirum de nativa libertate, de legum odioſitate, & præterea alia potiſſima ratio, nimirum Probabiliſtarum, qui ſequitur opinionem ſolide probabilem prudenter operatur; quum autem horologia faciant opi-

opinionem probabilem, septem adversus quinque facient, opinionem probabilissimam, vel solidissime probabilem, horum autem vim non enervat illa lex, tum quia ei aliæ opponuntur; tum quia illa jam advenit, utpote reflexa opinioni formatæ in animo, tum tandem, quia illa nec minimam vim habet movendi mentem, quod adsit, vel non adsit tempus abstinentiæ, vel libertatis, ut per se manifestum est.

Hinc demonstratum est, vel malefacturum, qui carnes comedit, sive nocte Sabbati, sive nocte Jovis; vel utrobique futurum innocentem, periculumque esse, vel utrobique remotum, vel proximum; quia utrobique norma judicandi de tempore, de lege, de libertate eadem est, nimirum horologia, ac utrobique eadem saltem ignorantia invincibilis, aut vincibilis.

§. VI.

Proponitur, & solvitur unum argumentum.

Quempiam esse possessorem justum, vel injustum pendet a proprietate rei, quam possidet, sicuti hominem esse innocentem aut reum comedendo carnes pendet ab existentia temporis Jovis, aut Veneris. Verum licet Possessor dubius sit de rei proprietate, nihilominus, quia revera possidet, tutus est in conscientia, si ea re usufruatur. Quid ei ergo dicamus de usu nostræ libertatis in dubio proposito?

Horret P. Terillus; Quis non horreret? Præceptum solidissimis rationibus comprobatum unico argumento a simili eludit. Pandamus, quam infirma sit isthæc comparatio. In antecessum monere juvabit, possessionem, etiam longævam temporis in casu proposito nihil omnino conducere ad solutionem dubii, & ad perseverantiam licentiæ comedendi carnes. Demus, nullum extare præceptum jejunii, & abstinentiæ a carnibus, excepto tempore Quadragesimæ: habemus in hac hypothesi decem menses possessionis libertatis a jejunio, nocte postrema hujus temporis sint duo horologia, quæ signent, per dua minuta jam subintrasse diem Cinerum: si possessio diei Jovis conducit ad solvendum dubium, ad enervandam vim legis affixæ diei Veneris, & justificandum comedentem carnes, quid non juvabit possessio decem mensium relate ad duo minu-

ta

ta ? Buccis crepantibus exclamaret *parum pro nihilo reputatur*, qui ita argumentari vellet : *Decem menses sunt, quibus libertatem possideo comedendi carnes : igitur & nunc possum : Decem menses sunt, quibus nullum est tempus Quadragesimæ : igitur neque nunc adest*.

Non solidius argumentatur, qui dicit : heri erat dies Jovis, eram in libertate comedendi carnes : igitur quidquid innuant septem horologia in contrarium, nunc est dies Jovis, & possum vesci carnibus.

In Foro Judicii post longævum tempus præscribitur contra jus proprietatis. Si igitur quid probat argumentum hoc a simili, qui per decem menses possidet libertatem vescendi carnibus : aut adolescens, qui per viginti annos ; aut si mavis Idololatra Legibus Ecclesiæ minime subditus, si in sexaginta annorum ætate Evangelio subdatur ; hic per illud sexaginta annorum spatium fuit in libertate non jejunandi, poterit non jejunare, quidquid exprimant illa duo horologia, cum illis quatuor minutis.

Proposito autem argumento juxta duplicem sententiam duplici occurrimus responsione. Prima sententia docet Possessorem dubium teneri in conscientia proprietario satisfacere. Qua supposita sententia argumentum nobis favet. Sic etenim dubitans de adventu legis in die Veneris tenebitur Ecclesiæ satisfacere, & abstinere a carnibus, propter jus saltem dubium, quod habet Ecclesia.

Possessor igitur dubius in hac opinione, erit quidem justus *Civiliter*, si minime satisfaciat ; quia leges Civiles, quæ dantur *ad regendas Civitates*, forum conscientiæ non introspiciunt. At erit injustus *moraliter*, si rem in dubio possideat, eo quod Leges Civiles non invalident injustitiam Proprietatis, ut faveant Possidenti ; cujus Possessionem quidem tuentur, ad jurgia evitanda, sed non cum Proprietate confundunt, aut eam tollunt. Verum isthæc asserta libertas, & affixa diei Jovis tollit adventum diei Veneris, legem enervat, operaturque, quod etsi advenerit dies Veneris, non advenerit, aut lex non vetet cibum carnis, quo nihil magis ridendum.

Altera sententia docet Possidentem dubium tutum esse in conscientia, tametsi non satisfaciat, & perseveret in sua Possessione : & hujus rei ratio est, quia Respubblica potestatem habet auferendi ab uno jus possidendi, sive usum rei, & alteri dare, quoties id expostulet bonum publicum ; ut constat in lege

Præscriptionis, quæ nedum usum, & possessionem, sed & etiam proprietatem aufert a vetere Proprietario, & in Possidentem transfert; quo casu, ut docet S. Thomas, Respubblica punit socordem *in re sua*.

Quæ autem Respubblica. Quis Princeps, aut Legislator potest punire Deum, aut Ecclesiam in re sua? Deum, & Ecclesiam socordiæ damnare, & dare homini usum propriæ libertatis in dubio Veneris, sive legis vetantis carneum esum? Neccesse namque erit, ut licitus sit illius libertatis usus, firmum stare diem Jovis, & impedire adventum diei Veneris, ad quod præstandum tam potens est Regula *melior est conditio &c.*, aut quælibet alia lex, quam potens sit Rana firmare Planetarum motum.

§. VII.

Sit ne simile Dubium ortum ex Auctoribus ei, quod ex Horologiis.

Sunt, qui putant, non idem dicendum in dubiis ex DD. ortis. Horologia, inquiunt cum Caramuele, concepta sunt in peccato originali, & subjacent pluribus actualibus; sunt mortua authomata, res non examinant, neque examinare queunt, quæ ipsis non satis fidendum. Secus dicendum de Auctoribus, hi namque serio quæstiones disquirunt, & ponderant, ut proinde eorum decisiones amplecti, & opiniones adoptari possint, tamquam fructus prudentiæ, & doctrinæ eorum.

Hoc lepidum ex parte ratiocinium latum aperit campum interminabili quæstioni de usu licito, vel non licito opinionis Probabilis, quam provinciam modo ex professo non agredimur; egerint alii. Satis erit si dixerimus tam male usuros regula in dubiis quibuscumque, ac in eis ex horologiis occasionatis.

Nam ut lepida comparatione Caramuelis utamur: Horologia sunt, sicut homines concepti in peccato originali, & pluribus actualibus subjacent. Si auctores sunt ex his, qui sicut oves, & aves alios sequuntur, ut loquuntur Navarrus, Vasquez, Layman, aliique: si ex his innumeris, qui sine examine, aut animo non bene ad veritatem affecto, & disposito; sive ex his, qui toti sunt in minuendis obligationibus, ut

ut monet Terillus, his, minus certè fidendum, quam horologiis.

Horologia quidem mortua sunt authomata, sed diriguntur arte, quæ ratione non caret. Sol pariter mortuum, & inanime Corpus est, cum tamen sit regula dignoscendorum temporum. Tempore noctis unica cognoscendi tempus, & horas metiendi, sunt horologia: Authores autem non sunt unica Regula noscendarum veritatum; alias habemus certiores, quas consulere debemus; habemus Scripturam Sacram, habemus Ecclesiam, Canones, Patres: his non decidentibus casum particularem, eorum spiritum, & legum medullam rimari, & sequi debemus in dubiis solvendis, ut bene monet Archiepiscopum Compostellanum Benedictus XIV. Habemus & alios Doctores, quos consulere possumus, & præcipue si eorum doctrinæ magis ad Evangelicum rigorem accedant, ac denique præditi sumus ratione, & lumine, quo a Deo perfundimur, & donamur: Hanc abnegare non possumus, nisi & Divinam Legem, cujus est participatio, & scintilla, aspernemur. Sequi etenim contra rationem nostram placita Auctorum est videre aliorum oculis, & vivere aliorum anima. Ratio nostra ea est, quæ æfformare debet conscientiam nostram, si recte operari velimus. Hæc erit, ad cujus normam ex parte judicandi sumus. Nec etenim Deus in supremo die nos erit interrogaturus, an vixerimus juxta doctrinam illius, vel alterius Doctoris; jam bene si vitam nostram compoluimus ad normam legis conscientiæ nostræ intimatæ. *In lege quid scriptum est*? Inquiet, non autem in Auctoribus quid legisti? Si Cæci sumus, aut Cæci esse velimus, facilimum erit a Cæco duci, & in foveam cadere.

Certe si tuta via est ad adipiscendam perfectionem, & sanctitatem, ad quam tenemur incumbere, atque æternam acquirendam falicitatem, ad quam nati sumus sequi quoslibet Authores, & eorum quamlibet opinionem, poterit quis seligere, & infinitis opinionibus Auctorum benigniores, & laxiores, eas sequi, ad praxim redigere, & hoc modo Belial sociare cum Christo, videlicet sensibus indulgere non parum, divitiis inhiare, nihil de legibus curare, studere ignorantiæ Privilegiis; vanidum, phantasticumque honorem vita etiam aliorum totis viribus sibi procurare; uno verbo agere quidquid fieri licitum dicunt

dicunt laxi Auctores, & nihilominus Sancti, pie, devote vivere, & mori in osculo Domini.

Sed inquies hi Auctores pii, prudentes, & sancti sunt, quid ni & in eorum judiciis securi vivere?

Pii, Prudentes, & Sancti erunt, si purgato in primis oculo scribant; si legem Dei meditentur die, ac nocte; si ad normam Evangelii suas opiniones direxerint; si doctrinam Dei, potius quam proprias ideas, & inventa diligant; si humiles, pavidi, & trementes affirment, quod affirmant; si scribant, doceant alios, scientes rationem reddituros de animabus eorum hominum, qui vitam componere possunt ad regulas suarum opinionum; si denique illis potiantur dotibus, quibus ornati erant SS. PP. quos nobis Ecclesia Christi sequendos proponit: ast neque in omnibus, sed in his tantum, quæ Evangelio, & Ecclesiæ spiritui consonant.

Summi Judicis partes sunt Sanctitatem examinare, non nostra interest. Sed tametsi Sanctos Auctores etiam laxiores credamus (quod ægre permulti tulerint) Sancti erunt, & sanctiores alii, qui rigori Evangelii proximiores dignoscuntur. Sancti igitur sint Auctores omnes, quid inde? Homines non sunt, infirmi, fragiles, erroribus obnoxii? audiamus S. Pium V. constit. *ex. omnibus* an. 1567. *Magno mærore afficimur, quod plerique spectatæ alioquin probitatis, & doctrinæ in varias sententias offensionis, & periculi plenas tum verbis, tum scriptis prorrumpunt*. Has sententias non unus, sed plerique docebant, quos spectatæ probitatis, & Doctrinæ affirmat sanctissimus Pontifex. Jam vero opinio, quam docent plures spectatæ probitatis, & Doctrinæ est solide probabilis, quam sequi prudentis est; & in cujus sequela si periculum aliquod est, remotum erit; sive periculum peccati *materialis*; si quod scandalum ex eis opinionibus enasci possit erit Pharisaicum, & acceptum non datum. Non ita, non ita loquitur oraculum Ecclesiæ, non inani, & puerili mærore afficitur SS. Pontifex, sed judicat, & affirmat, ex eis opinionibus oriri periculum veri nominis culparum, & peccatorum, ut proinde qui eam sequantur, imprudentes, & peccantes sint.

Aut Theologi sumus, aut hujus muneris incapaces: si incapaces, cur & nomen, & Theologi partes assuminus consiliandi, & decidendi de rebus summis, de conscientiæ dubiis, de animarum statu, obnoxii ad reddendas pro illis districtam ratio-

rationem Divino Judici. Si Theologos nos esse putamus, nostrum est examinare Auctores, eorum rationes disquirere, & ponderare, sed quod præcipuum est, Divinam legem in Scripturis diligentissime investigare. Lex Divina ea est Regula, quæ discernit opus honestum, ab inhonesto; homines tametsi doctissimi sint, non sunt illud Principium, ex quo dignosci possit, num actio bona, vel mala sit, sed unice pertinet ad Legem Dei prærogativa hæc. Quis Jurisprudentem laudet, & approbet, qui cæco vestigio Pragmaticos, & Statutarios sequitur in Causis primæ classis, & summi momenti inconsultis Legibus; & eo maxime, si Senatus illos Scriptores nullo in prætio habeat, prohibeatque eos, vel nominari in vadimoniis dicendis, sed unice Legum spiritu agendum esse constituerit?

Supremus Judex Deus legem suam meditari jugiter jussit; hoc præceptum velle ignorare insipientis est, cum ignorari non possit. Qui onus dirigendi animas suscipit, eas dirigere debet, & pascere non doctrinis hominum, sed verbo, & doctrina Dei; Id autem effici nequaquam potest nisi jugi studio, quo legem Dei tanquam normam operibus applicamus. Hoc juge studium; hanc Divinæ Legis applicationem observare est in PP. qui nihil commendant, aut vituperant, quod non ex Divinis Scripturis videant, aut comendari, aut vituperari: Videatur S. Thomas & sit omnibus exemplar scribendi, & dicendi, potissimum in discernendis virtutibus, & vitiis.

Si licitum nobis facinus, quod scriptum invenimus, licitum erit utrumque contradictorium, videlicet honestum, & turpe; verumque illud Famosum *Potest*, *& non Potest*, cum nullus sit casus, in quo non dissentiant Auctores. Arbitror autem nec ipsis Auctoribus arridere eam regulam; quam certe si acceptam haberent, & licitam improbo labori parcerent, nec jugi studio, examinibus, & disquisitionibus laboriosis non necessariis semetipsos, cum temporum, sanitatisque dispendio, emanciparent.

Sed cur immorati fuimus in scrupulo hoc refellendo, cum sufficere posset commune apud Probabilistas Proloquium: *Horologia faciunt opinionem Probabilem*: si autem faciunt opinionem probabilem, idem ferre judicium debemus de dubio ex horologiis, ac ex Auctoribus orto, *cum facilius sit*, ut ait Seneca *horologia convenire*, *quam Philosophos* (morales Theologos) *secum ipsis convenire*. De Luc.

Demum, ajebant, Auctores examinant dubia, & dubio-

rum

rum rationes. Utinam id verum esset, non tot essent cæci, qui videntes appellari volunt. Sed si ita est, cur uni adhæremus, secus alteri, si rationes, & meritum æquale sit, nisi quia ita affecti sumus? natio quandoque, Secta, aut alia necessitudo animum commovet, incitat, & impellit, & præcipuè præjudicata opinio.

§. VIII.

Monitum Em. Bellarmini refertur.

Si quis velit in tuto salutem suam collocare .... is omnino debet certam veritatem inquirere, & non respicere, quid multi dicant ... Et si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi, & nulla ratione, nullius Imperio .... ad minus tutam declinare. Agitur enim de summa rei, cum de salute animæ tractatur: & facillimum est cosscientiam erroneam exemplo aliorum inducere; & eo modo conscientia non remordente, ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis nen extinguitur.

Tanti ponderis sententia contemnenda non videtur, & unica, trita, & injuriosa responsione explodenda, quod nimirum Bellarminus fuerit *Tutiorista*. Reprobat, & merito eos, qui in rebus ad salutem animæ pertinentibus sine examine procedunt; eos qui veritatem non inquirunt, & ad eam non afficiuntur, sed contenti probabilitate, & judicio aliorum eam sequuntur partem, quæ omnibus perpensis magis a veritate recedit, & ad falsitatem accedit. Reprobat tandem eos, qui Imperio aliorum propriam accomodant conscientiam.

Hic, licet brevius, quam par foret, differere juvat de duplici Imperio, cui Benigni subditam esse volunt voluntatem, ut sequatur opinionem, etiam minus Probabilem, pro qua re emucleanda.

DIS-

DISSERTATIO INCIDENS

De duplici Imperio.

§. I.

De Imperio voluntatis propriæ.

EO quod Imperio voluntatis subjaceat mens in suo assensu, putant Benigni, liberum esse homini judicare veram opinionem, quam maluerint, eique adhærere, tanquam veræ, aut saltem probabiliori præ altera solvitur, inquiunt, hoc modo dubium ortum ex æqualitate motivorum, & animus jam non amplius hæret anceps. Utamur verbis cujusdam Probabilismi antesignani: *Fateor, quod hæc opinio de se est minus probabilis, quam opposita: tamen mihi est magis probabilis, quia pro illa stat mea auctoritas, & meum judicium, & hæc sunt rationes, & motiva, vi cujus est mihi magis probabilis.*

Si tantisper meditemur hæc verba, facile erit conijcere nec sibi credidisse hunc Auctorem, dum ea scriberet. Ipse exosam habet probabilitatem majorem *subiectivam*, eamque Probabilistæ post eum Antiprobabilistis exprobat. Sed summa injuria. Siquidem Antiprobabilista format propriam conscientiam ex rationibus, & motivis, quæ considerat, & ab eis convincitur dicere, & judicare veram eam opinionem, quam sequitur, licet alii contrarium judicent. Quis damnaverit Rusticum, aut alium quemcumque, qui ex motivis, quæ examinat, format conscientiam sibi licere, coram Deo, Barbam radere in die Festo, licet Doctiores agnoscant id esse vetitum? Non stat tum pro ratione voluntas, sed absentia legis, quæ sibi proponitur a motivis, quæ perpendit.

Verum in ea agendi ratione istius auctoris stat pro ratione voluntas; hæc est, que menti imperat assensum, non ratio, non veritas existimata ex fortioribus motivis; voluntatis auctoritas ea est, quæ auget verisimilitudinem, si ipsi credimus. Hæc est illa major probabilitas *subjectiva*, quæ ab omnibus recte sentientibus damnari debet, utpote, affectata, volita, & arbitraria. Bella quidem: *Id perpensis motivis est falso similius, sed volo a mente judicari verisimilius, sic volo, sic jubeo.* Quis hanc

hanc ratiocinandi methodum non irrideat, non explodat, non ejiceretur indignam Philosopho, Theologo, & animarum Directore?

Percunctamur num voluntas possit imperare menti ut judicet *astra esse numero paria*, dum nulla est ratio nec pro, nec contra? Ego certe, quamvis proposito egregio praemio, conarer assentiri velle, experior id mihi futurum impossibile. Et ratio omnibus pervia haec est, quia mens (excepto fidei assensu, de quo infra) non movetur nisi a motivis, & rationibus impellentibus, & sollicitantibus ad assensum; sicut enim voluntas moveri non potest ab objecto in quo non reluceat aliqua boni ratio; ita neque intellectus, qui sicut voluntas gaudet, non potitur libertate, a fortiori quibit objecto assentiri, in qua ratio aliqua veri non resplendeat; Veritas autem non nisi mediis motivis in objecto resplendet, si sermo non sit de primis Principiis, quae explicatis terminis veritatem immediate menti patefaciunt.

Pari passu discurrendum est de mente hinc inde ab aequalibus motivis detenta. Sicut observamus in Statera, quae in aequilibrio manet sive non adsint pondera, sive aequale in gemina lance. Rem examinemus.

1. Moveri potest mens a voluntate ut studio incumbat, *sicut cum indicitur alicui quod attendat, & ratione utatur*, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 17. a. 6., & tunc intellectus subjacet imperio voluntatis, *quoad exercitium actus*.

2. Moveri etiam potest, ut praecise attendat ad unam partem, alteramque non consideret. Ita se gerunt peccatores, dum cogitationem avertunt a lege Dei, ab illustrationibus Spiritus Sancti, & universim ab illis motivis, quae ipsum a peccando avertere possent. Ita pariter, qui anticipatis opinionibus praeoccupati vel videre renuunt libros adversantium. Quidam Theologus legere noluit opusculum examinis illius Proloquii *semel fractum, semper fractum*, timens conscientiae stimulis agitandum, atque adeo se velle protestatus est, perseverare in sua opinione. Laborabit ne ignorantia invincibili, si semetipsum, aliosque regat juxta anticipatam hanc suam opinionem?

3. Moveri potest mens a lumine primorum principiorum, quibus assentiri, vel dissentiri *non est in nostra potestate, nec assensus imperari potest*. D. Th. loc. cit.

4. Moveri potest mens ab objecto non viso, cujus nimirum

rum non habet evidentiam , & ſcientiam , ſed tamen habet certitudinem, & tunc aſſenſus ille eſt fides . ibid. . Advertit autem S. D. 2. 2. q. 1. a. 4. quod aſſenſus fidei ſubditur imperio voluntatis ut dicit in corp.; ſed tamen mens videt ea, quæ credit ſub communi ratione *credibilis* , *non enim crederet* , *niſi videret ea eſſe credenda* , *vel propter evidentiam ſignorum*, *vel propter aliquid hujuſmodi* : *ibi ad* 2. , *&* *q*. 2. *a*. 1. *ad* 1.

Si autem etiam in his, quæ ſunt fidei neceſſarium eſt ad hoc, quod mens moveatur ad aſſenſum, quod ei obverſetur aliquod motivum , quo videat rem ſibi propoſitam eſſe certam , atque adeo veram , nimirum miracula , Divina Auctoritas , veracitas , ſapientia incapax fallendi , aut falli , quid non exiget mens , ut moveatur ad aſſentum unius partis præ altera ? Judicium hominis ex imperio voluntatis cæco modo moventis , incertiſſimum eſt ; nec ad voluntatem pertinere poteſt ſolvere dubium cauſatum a motivis hinc inde , quandoquidem ut ait Ariſt. 3. Meth. cap. 1. *ſolvere vinculum dubitationis non eſt ignorantis* .

Si igitur menti non occurrat motivum, quo videat ea, quæ proponuntur eſſe approbanda , & judicanda , ut vera, & credenda, ei nunquam aſſentietur , tametſi accederet omnium creaturarum Auctoritas . Movebantur quidem Gentiles ad colenda figmenta Sap. 14. 16. *Tyrannorum Imperio* ; ſed ea figmenta veras divinitates non credebant ; aut ſi credebant, hoc ideo contigit , quia neglectis, & expletis ab eorum mentibus rationibus, & motivis quibus perſuaderi poterant eſſe revera figmenta hominum , *veritatem* quam facile cognoviſſent *in injuſtitia* detinebant: Rom. 1. 18. nimirum injuſti arcebant veritatem , ne jus ſuum conſcientiæ diceret .

5. Moveri , ſive agitari poteſt hinc inde mens quando apparent æqualia motiva, ita ut *intellectus non moveatur magis ad unum quam ad aliud* , *&* *hæc eſt diſpoſitio dubitantis*. De verit. q. 14. a. 1. quo caſu mens eſt *ſicut homo* , *qui habet pedes ligatos* , *&* *non poteſt in anteriora procedere* . *Sic ille* , *qui dubitat*, *quaſi habens mentem ligatam* , *non poteſt in anteriora procedere* D. Th. 3. Meth. c. 1.

Ut igitur poſſit mens in anteriora procedere neceſſe eſt, ut hujuſmodi dubium ſolvatur : non ſolvitur autem imperio , ut unicuique propria conſcientia manifeſtum facit . Nuſquam ſcrupulo-

pulosus dubium ponet ex unico Directoris imperio, nisi prius judicet Directorem verum dicere, ejus judicium sapientia regi, proprium autem ignorantia. Et ratio eadem est quam supra adduximus, nimirum quia objectum mentis est veritas, & nullo alio moveri potest nisi a motivis quæ mentem veritati approximant, ad eamque ducunt; Quare nisi superaddatur novum motivum pro una parte, hærebit sicut prius, ligata motivis iisdem, sicut statera stat in æquilibrio si nullum addatur novum pondus.

6. Movetur etiam intellectus quando inclinatur *magis ad unum quam ad alterum*; *sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum*, & determinat *ipsum in unam partem totaliter . . . , & hæc est dispositio opinantis*, *qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius*.

Hanc dispositionem opinantis acurate distinguit S. D. a dispositione dubitantis: opinans enim in actum prorumpit in eam partem, quæ licet non totaliter movet, & cogit mentem ad assensum, sed magis movet, & inclinat quam altera. Econtra dum dubitamus, una pars non magis inclinat mentem, quam altera, vel quia non adsunt motiva; *sicuti in Problematibus, de quibus rationes non habemus*; vel quia motiva apparentia sunt æqualia, & *movent ad utramque partem*. *Et hæc est dispositio dubitantis*, *qui fluctuat inter duas partes contradictionis*.

In hac diligentissima mentis operationum Analisi, quam format D. Th. nusquam asserit assensum opinativum pendere ab arbitrio voluntatis, ut perperam affirmant Benigni. Docet quidem, quod quandoque determinatur mens a voluntate, sed ibi loquitur de assensu fidei, qui a voluntate imperatur: en ejus verba: *Quandoque intellectus non potest determinari ad alteram partem . . . determinatur autem per voluntatem*, *quæ eligit assentiri uni parti determinate*, *& præcise propter aliquid*, *quod est sufficiens ad movendam voluntatem*, *non autem ad movendum intellectum*, *utpote quod videtur bonum . . . huic parti assentire*, *& ista est dispositio credentis*. Sed tamen ut ex 2. 2. citavimus q. 1. a. 4. ad 2., & q. 2. a. 1. ad 1. Intellectus non assentiretur, *nisi videret ea esse credenda*, *vel propter evidentiam signorum*, *vel propter aliquid ejusmodi*. Quod si advertisset novissimus Auctor, cautius locutus fuisset.

Dum autem agitur de motivis æqualiter moventibus, si veli-

velimus ratiocinio D. Th. uti, necessarium erit assignare aliquid movens voluntatem, insufficiens vero ad movendum intellectum. Illud autem certe non erit *præmium æternæ vitæ si crediderimus*. S. D. loc. cit. de verit. Sed ut in plurimum bonum temporale; quod certissime non moveret intellectum ad judicandum illud esse verum, quod imperat voluntas, ut judicetur. Oppositum contingit dum voluntas imperat assensum fidei, quia tunc mens convincitur a motivis credibilitatis, ita ut certissime judicet ea, quibus assentitur esse certa, atque adeo vera; licet illum articulum, cui credit, clare non videat: & propterea inquit S. Th. intellectus dicitur *captivatus*, & *terminis alienis constrictus*. Vellint ne Benigni intellectum pariter captivari in obsequium Auctorum in dubiis? Non ita dispositi sumus, ut pares Divinæ veracitati faciamus.

Sed numquid D. Th. aperte non asserit in opinabilibus, & quando mens fluctuat inter partes contradictionis, posse a voluntate imperari intellectui, ut uni assensum præbeat? ita docet q. 14. de verit. a. 1. item 2. 2. q. 1. a. 4., & alibi sæpissime.

Respondent qui summe deferunt, ut par est, Angelico Doctori, nusquam esse invenire in operibus S. D. quidpiam recte perpensum, quod adversæ sententiæ faveat. Ad q. 14. de verit. quod attinet manifestissimum est, ab ipso doceri quod mens fluctuat inter utramque partem contradictionis sive dubium oriatur ex carentia motivorum, ut in *Problematibus*, *de quibus rationes non habemus*; sive ex æqualitate moventium, in quibus casibus mens *fluctuat inter duas partes contradictionis*: & ligatur ita ut *non possit in anteriora procedere*, ut supra ex eodem S. D. retulimus. *Et hæc est dispositio dubitantis*.

Si vero de opinante sermo est. S. D. longe sentit quam credunt adversarii. Ad mentem Angelici assequendam juvat audire ipsius Magistrum nimirum Aristotelem, qui 3. meth. cap. 1. docet, *quod argumenta, quæ in utramque partem proponuntur totidem sunt vincula, quibus mens ligatur, & ab alterutrius partis assensu prohibetur: quare hæc in primis solvantur necesse est. Solvuntur autem, aut saltem illarum optimum eligitur solutis contrariis, notitia per dubitationem increscente.... Mens latura sententiam, Judicis personam sustinet.... Arbitros non adversarios oportet esse eos, qui de veritate, ut res postulat, judicium laturi sunt*. Ex quo textu plura ad rem nostram colligere est.

I. Quod quando motiva sunt æqualia, mens ligata remanet, nec a vinculis solvi potest, si nodus ignoretur, ut ibidem ait, aliter non poterit assensum alicui parti præbere.

Voluntas porro vinculi nodum ignorat utpote potentia cæca.

II. Dum mens ligatur utrinque, solvitur dubium cum eligitur momentorum optimum, illud nimirum, quod magis movet mentem, eamque allicit, & sollicitat.

Intellectus autem non a bono, sed a vero sollicitatur, & allicitur; atque adeo solum imperium voluntatis insufficiens est ad hoc, ut mens assentiatur uni parti.

III. Per dubitationem notitia increscit.

Si autem aliqua notitia per dubitationem, & per motiva causantia dubitationem, acquiritur, non erit mens occupata ab invincibili, & excusabili ignorantia, si assentiendo fallitur.

IV. Mens Judicis officio fungitur; quare sicut Judex judicans ad libitum suæ voluntatis, adversarius est uni parti, & gratiosus alteri, atque adeo ab officio Judicis declinat. Ita pariter mens dum obedit voluntati, & uni parti præbet assensum, permisso nunc quod possit: & quemadmodum si Judex existimaret unam partem alteri prævalere, eo quod dicat, accedit huic parti mea voluntas, & meum Judicium a mea voluntate imperatum, non effugeret vitium acceptionis, sive præcipitationis, ita, & mens. Præcipitatio namque mentis est, quando movetur ad judicandum *sive impetu voluntatis*, *sive perturbatione*, ut recte notat Stephanus Chauvinus in suo Lexicon V. *Præcipitatio*.

Dispositio igitur dubitantis est, quando mens æqualibus vinculis, sive rationum momentis tenetur; tunc etenim non potest in anteriora procedere, nec assensum præbere. Quænam autem erit dispositio opinantis? Hanc D. Th. diserte asserit dicta q. de verit. a. 1. Quando nimirum intellectus inclinatur magis ad unam partem, quam ad aliam, sed tamen illud, ad quod magis inclinatur, non est sufficiens ad intellectum determinandum *totaliter*. Unde accipit unam partem, sed cum formidine, & hæc est dispositio opinantis. Opinans, ut alibi ex Arist. docet S. Th. judicat verum illud, cui assentitur; at assentiri nequit nisi ei parti, quæ magis sollicitat mentem, & ad quam magis inclinat. Quia vero nomine assensus intelligit S. D. eum, qui firmus, & certus est, propterea ibidem

dem in fine Corporis art. ait *per assensum credere separatur ab opinione*.

Benigni certe non separabunt credere ab opinione per assensum, cum ipsi doceant assensum opinioni etiam minus probabili certissimum esse, ita ut damnent eos, qui in operando etiam secundum opinionem longe probabiliorem admittunt, nihilominus in sic operante aliquam formidinem, nunc necesse est, ut alteri S. D. textui nobis opposito satisfaciamus. *Quandoque determinatur intellectus ad hoc, quod totaliter adhæreat uni parti, sed hoc est quandoque ab intelligibili; quandoque a voluntate*, ... determinatur per voluntatem, quæ eligit assentiri uni parti determinatè, & præcisè propter aliquid, quod est sufficiens ad movendum voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpote quod videtur bonum vel conveniens huic parti assentire, & ista est dispositio credentis, ut cum aliquis credit . . . . sic etiam movemur ad credendum dictis in quantum nobis repromittitur si crediderimus præmium æternæ vitæ. Ita de verit. q. 14. a. 1. Id ipsum docet 2. 2. q. 1. a. 4.

Si integrum testimonium legere, & meditari dignarentur adversarii, illudque cum doctrina S. D., quam mox attulimus componere, habere Patronum minime arbitrarentur. Firmum itaque, fixumque sit juxta mentem D. Thomæ nusquam moveri posse mentem in anteriora, si aut motivis careat, aut ab æqualibus detineatur, solumque imperium voluntatis non sufficere ad eam determinandam ad assensum.

Si voluntas mentem ad assensum impellere potest, poterit, & eam determinare ad assentiendum huic objecto: *Astra sunt paria*, de quo nulla est ratio sive *pro*, sive *contra*. Nam *meum judicium, & mea auctoritas* inquiebat Auctor supra datus, *facit opinionem probabiliorem eam*, quæ sine meo judicio, & auctoritate erat minus probabilis: quidni, & poterit reddere probabilem opinionem *Astra sunt paria*? Tunc autem ignorantia erit ne invincibilis? utique, ait quidam, sed error erit culpabilis, eo, quod temere voluntas imperaret assensum. *Patere tu legem, quam ipse tuleris*, dum mens ab æqualibus motivis occupatur; & a fortiori quando imperaret assensum minus probabili.

Sciscitor, an voluntas imperans menti, ut assentiatur Sectæ minus probabiliter veræ, & probabilius falsæ, faciat eam Sec-

tam

tam illam probabilius veram, & maxime accedente judicio a voluntate imperato? Indubie, ait idem Auctor, universim enim sive in materia Fidei, sive morum opinio probabilis excusat. Cautius velim ipsum loqui, tametsi conformiter ad propria principia ratiocinetur. Sequela etenim opinionis probabilis prudens est, & si forte fallatur quis, excusatur ob ignorantiam invincibilem; propugnat idem Auctor.

Prosequamur iter nostrum. Dum rationes sunt æquales, mens ligatur, & sistitur; adeo ut nec possit opinari etiam imperante voluntate, nisi mens inclinetur magis ad unum, quam ad alterum. Tunc mens opinatur, & voluntas tunc non assentitur, seu consentit, siquidem exceptis indiciis, ad quæ necessitatur mens, semper voluntas consentit, & assensum imperat; opinamur namque quia volumus, cum possimus assensum suspendere.

Id autem adeo verum est, ut etiam in assensu Fidei necesse sit mentem inclinari magis ad unum, quam ad aliud, nec sufficit motivorum æqualitas, aut solum voluntatis imperium, sicut nec istud sufficit dum nullum ad credendum, vel non credendum adest motivum: si namque homo nullius religionis audiat credendum esse in Deum Trinum, etiamsi voluntas imperet assensum, nequibit mens assentiri, ut de Problematicis, de quibus nullam habemus rationem, docemur a D. Th.

Porro in hac re ex parte contingit fideli, quod infideli, & Dœmoni; hi autem credunt (non jam Fide salutari) sive assensum præbent coacti a signis credibilitatis, ut expresse probat S. Thomas 2. 2. q. 5. a. 2. Pariter Fidelis *non crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquod hujusmodi*. 2. 2. q. 1. a. ad 2.

Textus iste ita clarus, & puntualis est, ut nonnemo suspicarit D. Thomam adhæsisse, aut prælusisse sententiæ damnatæ ab Innocentio XI. ordine 4., cujus tamen mentem, quam longe absit ab ea opinione, quisquis legit quæ locis citatis docet, dignoscet.

Ad amovendam omnem suspicionem falsæ doctrinæ in Angelico Doctore, & simul confirmandam ipsius auctoritate nostram sententiam referam quæ docet. In dicta q. 14. de verit. a. 1. docet quod mens non habet assensum, seu non assentitur dum dubitat, eo quod non inhæreat uni parti; nec similiter

liter

liter quando opinatur, *cum non firmetur ejus acceptio circa alteram partem*.

Ex qua doctrina eruitur manifeste nullum assensum prodire a mente nisi ea inclinet magis in unam partem, sive nisi magis solicitatur ab una parte.

Pergit ulterius: *assentire a sententia dicitur .... in fide est assensus ... intellectus credentis dicitur captivatus*.

Constat pariter, ut jam tetigimus supra, nullum assensum, presse talem, reperiri in opinante, qui tamen exigitur in credente; atque adeo ut quis credat, non sufficit quod ei proponatur ut minus probabilis, Religio aliqua. Quare siquis habet opinionem minus probabilem de sua Secta, non excusabitur ab infidelitate, cujus contrarium asserit prop. 4.

Eo autem quod exigere videatur evidentem credibilitatem ut quis credat verendum non est, quod non habita tali evidentia infidelis excusandus sit si non credat. Siquidem verissimum est ad hoc ut intellectus assentiatur, quod opportet sollicitetur a motivo, quod ipsum concernat, ad eum etenim pertinet assentire, & ideo voluntatis esse dicitur consentire, id est cum alio sentire q. de verit. cit. a. 1. ad 3. Qui autem præcise opinatur non assentit proprie. Sed advertere debuerat ille auctor, quod non propterea excusatur infidelis immediate, eo quod non credat, sed quia negligit proficere, & relicto motivo credendi, quo primo percellitur, motivis suæ sectæ firmus adhæret. Itaque ut quis credat, deberet, ordinarie loquendo considerari motiva credibilitatis, ut *evidentia signorum vel aliquid hujusmodi*: sed ut quis non excusetur ab infidelitate non requiritur quod statim habeat evidentiam credibilitatis, sed sufficit quod habeat dubium prudens de falsitate suæ Sectæ; tunc etenim ei non prodest *melior est conditio possidentis* sed secundum Prudentiæ regulas rem sedulo examinare tenetur, & recta intentione inquirendi media pro adipiscenda æternæ salutis via, quo casu, si non ex imperio voluntatis, sed recto ratiocinio motivis perpensis, moveatur lucem veritatis sequendo, veram agnoscet Religionem. Quo in progressu patulum est, quantum juvet humana ratio; quæ quidem non est ea, cui innititur fides, cum potius ancilla sit pro ea consequenda, ut docet sæpissime S. Thomas sicut summopere juvat ad eam defendendam, ut notissimum factum est in Conciliis, & præcipue in Florentino, in quo Jo: Theologus,

logus, aliique Catholici PP. adversus Græcos disputantes pro processione Spiritus Sancti a Filio multum laborarunt in explicandis eis vocibus *ex*, *&* *per* adhibitis regulis desumptis etiam ex Aristot.

Sane si res nobis sit adversus Arianos, & Socinianos, si Dialectica non adjuvemur ægrè ab eorum argumentis liberabimur. Scriptura quidem Regula est præcipua, cum ad convictionem mentis hæc sola in rebus fidei potissimum valeat, sed & Sociniani Scripturis utuntur, ut norunt, qui Sandium legerunt, Crelium, & Episcopum.

Sed res clarior fiet si supponamus Infidelem audientem disputantes Deistam, cum admittente revelationem, Hebræum cum Christiano, atque demum Protestantem cum Catholico: cum hic Infidelis nullam habeat notitiam verbi Dei, & a fortiori, nec traditionis, & rectæ scripturarum interpretationis, quænam suppetit ei via, ut ad credendum fide immaculata, perducatur nisi ratio, qua discernat potiora motiva Catholicorum? Obsequium, quo captivari intellectum necesse est, esse debet *rationabile*; & qui ita captivatur, paratus debet esse ut rationem reddat fidei suæ 1. *Petr.* 3. 15. Quapropter optime ad revincendos Infideles, eos via rationis ad fidem perducunt, qua super re prostant innumeri Auctores. Abedies, Papinus, Burlamachius, Concina &c. qui tametsi contraria omnino sentiant Lochiano Systemati in suo *Christianismo Rationabili*, tamen commonstrant rationem necessariam ad veram fidem amplectendam. Videatur Valentinus in Accademia Senensi Theologiæ Antecessor, *de concordia rationis*, *&* *Fidei*.

Modus tamen tenendus in rebus, ne videamus *servos in equis*, *&* *Principes ambulantes super terram quasi servos Eccl.* 10. 7. videlicet rationem naturalem dominari fidei, esseque primam moralitatis regulam, quo vitio laborant Puphendorfius, Cumberlandius, Latzius, & fortasse Burlamachius; longe autem absunt Mersenius, Savonarola, Pinamonti, sive Segneri, Concina, Giardis, & cæteri, qui erosum habent peccatum Philosophicum, primamque propositionem damnatam ab Alex. VIII. an. 1690. 24. Augusti.

Aliud etiam extremum evitandum est, videlicet solam *signorum evidentiam*, *vel aliquid hujusmodi* sufficere ad Fidei firmitatem, ita ut tota tandem firmitas fidei sit metienda a pon-

pondere rationum impellentium ad assensum, ut tenet propositio 19. damnata ab *Innoc.* XI.

Certe, ut docet D. Thomas mens non crederet, nisi moveretur ab evidentia signorum, vel aliquid hujusmodi, verumtamen hoc judicium de evidentia signorum adhuc non est assensus fidei, quemadmodum timor ex pæna Gehennæ conceptus adhuc non est charitas; voluntas timore convertitur, & ad Divinam bonitatem diligendam excitatur; Ita mens evidentia signorum excitatur ad primam veritatem revelantem cognoscendam, eique credendum, in eis articulis, quos minime comprehendit. Hac evidentia convictus cum credit hæreticus, credunt, & Dæmones, qui evidentia signorum sciunt *Sanctum Dei*: *Marc.* 1. 24. Verum eorum prima ratio credendi non est Divina veritas, sive auctoritas Dei dicentis, sed tenent *ea quæ sunt fidei propria voluntate, & judicio, non eo modo, quo tenet Fidelis, scilicet simpliciter inhærendo primæ veritati, ad quod indiget homo adjuvari per habitum fidei* S. Th. 2. 2. q. 5. a. 3. ad 1. *Vident* Dæmones *multa manifesta indicia, ex quibus percipiunt doctrinam Ecclesiæ a Deo esse. Dæmonum fides est quodammodo coacta ex signorum evidentia, & ideo non pertinet ad laudem voluntatis ipsorum, quod credunt. Intellectus credentis assentit rei creditæ, non quia eam videat . . . sed quia convincitur per auctoritatem Divinam assentire his, quæ non videt: & propter Imperium voluntatis moventis intellectum, & obedientis Deo*. Ita D. *Thomas* 2. 2. q. 5. a. 2., & 3. ubique autem docet rationem formalem credendi esse primam veritatem revelantem, cui voluntas Deo obediens, submittit intellectum adjutum lumine fidei, ad credendum vera esse, quæ ipse non intelligit, sed certo scit esse vera, quia Deus revelat.

Scit autem mens eos articulos a Deo revelari, quia ita proponit Ecclesia Columna veritatis, qua non dicente, inquit S. Augustinus, *nec evangelio crederem*, ea vero dicente, *facilius dubitarem me vivere, quam esse vera, quæ audivi*. Quæ scientia mentis sive adhæsio non a sola signorum evidentia, vel aliquo hujusmodi proficiscitur, sed a voluntate adjuta charitate, sive gratia Dei promovente in ipsa bonum, sanctumque motum, quo fit ut mens firmius adhæreat articulis fidei, quam si per lumen quodcumque naturale evidentissime dignosceret, ut etiam docet S. Doctor, quare experimur, observamusque quandoque

doque firmiorem fidem in animabus simplicibus, indoctisque, quam in eruditis Theologis; eo quod in illis major ardeat Spiritus Sancti charitas; tunc etenim fit illi dulcis panis ille Cælestis, nimirum veritas, itaut ab eo divelli, aut separari non possit; insurgant tametsi pericula, gladii, Potestates, ipsaque mors, ut notum factum est in Martyribus.

Si vero desit isthæc caritas, & Spiritus Sancti impetus, perfundantur licet quolibet naturali lumine, vera non credent fide, homines cæteroquin sapientissimi. Hoc lumine naturali potiuntur Dæmones, sed Dæmones sunt ab albo credentium expuncti, uti & pariter hæretici, qui proprio judicio subversi sunt, & damnati.

Longius, quam par videatur, rem hanc protraximus, sed non sine causa, ut D. Thomam vindicaremus, & unum ex fundamentis satis apud Benignos validum deiiceremus; ostenderemusque nullo modo posse mentem assentiri uni parti, nisi fortius ab ea stimuletur; atque adeo dum motiva æqualia sunt, uni adhærere nequire.

Poterit tamen voluntas imperare assensum menti uni objecto probabilisti, modo eam omnino avertat a consideratione motivorum alterius partis, ut docent Benigni, etiam publicis in Thesibus: eos audiamus.

Titulus est

DE PROBABILITATE VERITATIS.

1. *Probabilis veritas illa est, quæ licet nullam evidentiam, & certitudinem conjunctam habeat, quæ excludat judicium de possibili Methaphysicè, physicè, vel moraliter errore; ita tamen proponitur intellectui, ut illi prudenter assentiri possit sine actuali errandi formidine.*

Hanc doctrinam non desumpsit hic Professor certe a D. Thoma, cui omnes consentiunt, videlicet assensum opinativum conjunctum semper esse cum actuali formidine. Inintelligibile præterea videtur, quomodo mens possit assentiri cum ea certitudine, quæ excludat formidinem, quando objectum, quod illi proponitur, nullam evidentiam, & certitudinem conjunctam habeat, quæ excludat periculum errandi etiam moraliter; certitudo namque assensus, sive ipsius firmitas ab evidentia

tia, & certitudine, quæ relucet (in scibilibus) in objecto, & in credibilibus ex sola certitudine, ut perpetuo docet S. Doctor, & est doctrina omnium Philosophorum. Forte hanc firmitatem assensus expiscatur ex principiis reflexis sub Magistro Terillo, qui in deffinitione assensus opinativi omnem exigit certitudinem excludentem vel etiam scrupulum contrarii.

Hoc illud est mysterium, quod traducunt, & prædicant. Opinio, ut non negabunt, est assensus formidolosus, sive assensus mentis adhærentis uni contradictorio, non *totaliter* quietè, sed cum formidine oppositi. Jam vero quid significant, quid volunt illæ regulæ reflexæ nitidè, & sincerè propositæ? Hoc profecto, qui opinatur, & adhæreat uni parti probabili, certissime, & prudenter operatur: Quare? quia assentitur objecto, quod non exhibet certitudinem, & evidentiam, sed inducit, aut relinquit in mente, sive in animo formidinem; Id porro in summa est: *assensus est certus, & sine formidine, quia assentitur formidolosè, & cum formidine*.

2. *Si motivum Probabile menti offeratur, cujus fallibilitatem nullo modo advertat, illi assentietur omnino necessario, secus autem si fallibilitatem motivi advertat*.

Hanc necessitatem ægre probarit, cum voluntas possit cohibere, & suspendere assensum; non enim mens convincitur tunc a lumine principiorum, aut a directa conjunctione consecutionis cum ipsis, quas duas, easque solas agnoscit S. Thomas pro assensu necessario. Sensim autem, & clam inducit hic Magister necessitatem advertentiæ actualis in peccato, quam rem mox tangemus.

3. *Si duo simul proponantur motiva, aut æqualia, aut etiam inæqualis probabilitatis, neutri necessario assentiri debet intellectus, nisi voluntatis imperio a momentis pro una parte pugnantibus distrahatur, & in aliorum cogitatione firmissime defigatur*.

Nedum necessario assentiri non debet, sed neque assentiri potest, saltem si æqualia sint moventia, ut expresse propugnat S. Thomas ut supra vidimus. Nec item assentiri cogitur tametsi distrahatur a cogitatione motivorum pro altera parte pugnantium, propter rationem mox dictam; sed permittamus posse, aut debere parere voluntatis imperio, hujusmodi assentiens erit prudens, & immunis a culpa in re morali? In speculabilibus autem quid erit? Nam non est *intelligentia*, cum

cum non attingat veritatem manifestam ex ipsis intelligibilibus non *scientia* , quia non adhæret mens consecutioni deductæ ex principiis ; non *dubitatio*, quia mens non fluctuat in utramque partem ; non *fides*, quia non adhæret vi auctoritatis dicentis ; erit igitur opinio , seu adhæsio opinativa, & opinantis. At hæc semper est cum formidine . Hæc est Summa articuli 1. q. 14. de *veritate* , ex quo potissimum adversarii , advocant patrocinium .

Videamus, quid in re morali de hac agendi ratione dicendum sit .

Aristoteles, ut supra diximus, menti atribuit officium Judicis, cujus præcipuum onus est partium jura disquirere , & secundum meritum judicare ; ea propter a suo munere deficeret , si testes unius partis repelleret , non audiret , aut ejusdem partis rationum momenta negligeret , non consideraret ; quibus neglectis si sententiam ferret in favorem alterius , injuriosus esset , acceptor personarum injustus , & rationi naturali adversarius ; cum ratio æquitatis naturalis dictet, unicuique jus suum esse tribuendum . Non tribueret autem, si illius partis spreto jure totum alteri tribueret . Id ipsum de mente , in nostro casu adamussim dicendum . Injuriosa namque Deo esset mens, si neglectis ipsius juribus , & conscientiæ stimulis causam adjudicaret humanæ libertati .

Justus non erit in rebus lance ponderandis , si suam vim non exerat pondus ex utraque parte . Non me latet his exemplis Judicis tertium , Ponderum Lancis sentire , quempiam ex Benignis magni nominis , disparitatem , sed , ut ingenue fatetur , eam nescit assignare . Assignatam expectabimus, *Spirituum ponderator est Dominus* . Prov. 16. 2., sciet Deus discrimen , si quod est homo nosse nequibit : *Quis enim hominum scit , quæ sunt hominis nisi spiritus hominis* . 1. Cor. 2. 11.

Si licet reddere probabiliorem eam partem, quæ erat minus probabilis , eo quod ex imperio voluntatis mens distrahatur a *momentis* pro altera *parte pugnantibus* , licebit sequi opinionem infra terminos *solidæ* probabilitatis probabilem, nam neglectis , & non consideratis momentis alterius partis , ea remanet unicè probabilis , & accedente *meo judicio* , *&* *meæ voluntatis imperio* , fit adhuc magis probabilis ; opinio autem probabilior, & unice probabilis licite sequi potest .

Adde quod ita se gerens homo laborat ignorantia invincibili

cibili veritatis alterius partis. Nedum igitur in cæteris materiis sequi poterit opinio minus probabilis, sed etiam in materia Sacramentorum, & in foro fori: nam in materia Sacramentorum sequi possumus opinionem unice probabilem; & aliunde ignorantia invincibilis nos a quocumque peccato liberabit. Idem judicium esto de Judice, cui licet sequi opinionem unice probabilem; probabiliorem pariter, & maxime si laboret ignorantia invincibili jurium alterius partis.

Cum opinans ex Arist. dicat *esse verum* (licet cum formidine) id quod opinatur, judicabit verum, quod consideratis prius, & cognitis momentis alterius partis, videbat esse æque falsum, ac verum, aut magis falso proximum; nihilhominus sequi mavult partem deteriorem. Huic aptari ne potest illud impii: *Video meliora, proboque, deteriora sequor*.

Si Judex secum cogitet ut persona privata, quamnam partem sequi posset, si in foro suæ conscientiæ ei occurret species contractus cujusdam, de quo sunt opiniones hinc inde probabiles, posset se determinare pro una parte, neglectis rationibus alterius, atque eo modo laboraret ignorantia invincibili; risu dignum est, quod si ad forum accedens, illa eidem species occurrat, contractus ejusdem jam a collitigantibus celebrati, evanescat in eo statim ignorantia invincibilis, qua domi suæ recogitans laborabat. Tribunal haberet pro lumine, & Magistro?

Is qui pro voluntatis libito neglectis juribus alterius partis in unam descendit, poterit mutare sententiam prout maluerit. Si tota res a libitu voluntatis pendet, poterit nunc negligere momenta partis A, postea partis B. Amico nunc poterit favere, altera hora, vel die eidem sibi inviso contrarium consulere. Impertiri poterit Confessarius Nobili cuidam absolutionem, quam mox negaverat Plebejo &c.

Discrimen quærunt Benigni, totisque lacertis conantur illud verborum apparatu afferre; sed nullum afferent solidum, nisi dicant Sylogismum in Darii V. G. in una materia concludere, secus in altera, quod irridendum erit. Ignorantia invincibilis excusat in omni materia, etiam in primis principiis juris naturæ, si possibilis foret: igitur si ea praxi uti licet, ex qua nascatur ignorantia illa invincibilis, unicuique, & in quacumque materia licebit ita agere.

Quid aliud faciunt Peccatores dum peccant, nisi voluntatis

tatis imperio distrahere mentem, ut non consideratis momentis pro lege pugnantibus, & interim figatur in cogitatione eorum, quæ ad peccandum solicitant? Si autem contingat ita mentem distrahi ut nullo modo, peccante homine, de Deo cogitet, hi qui ad peccatum exposcunt actualem advertentiam, Peccatorem obumbrant ignorantia *naturali*, & *invincibili* qua a peccato formali excusantur. Si ita autem res se habet, excusanda Eva peccatorum Mater, excusandi crucifixores Christi, excusandi & infideles quicumque.

At, ait nuperrimus Auctor, Adam, & Eva prius peccarunt *per elationem animi, & inde factum est ut eis redderetur probabilius mortem non esse secuturam; quamobrem probabilitas illa non erat vera probabilitas; sed falso putata. Præterea præceptum esse grave constabat ipsis ex certa scientia infusa.*

Verum hæc responsio robur addit argumento; si quidem hoc fuit discrimen Adam inter, & Evam, quod Adam non ignoraverit falsa esse quæ a Serpente dicebantur, sed peccarit in *particulari eligibili, quod scilicet gerendus esset mos uxori, & cum ea comedere deberet; & inexpertus Divinæ severitatis credidit quod facile ei dimitteretur. Mulier autem fuit seducta ignorantia in universali, quando scilicet credidit, quod Serpens dixit; sed vir non credidit hoc*. Ita D. Thomas in 1. ad Timot. c. 2. Lect. 3. Obiicit postea sibi S. Doctor quod in statu innocentiæ esse non poterat ignorantia, sed respondit quod Evæ ignorantiam præcessit elatio, quod *alius esset de ea solicitus, & ex illa elatione seducta est*.

Hinc recte colligitur mens D. Thomæ quod videlicet ammissa per culpam elationis innocentia, irruerit in mente Evæ ignorantia. Jam vero vel illa ignorantia erat invincibilis, vel vincibilis; quod ex systhemate horum auctorum sequatur videamus.

Voluntatis imperio mens Evæ defixa fuit in consideratione eorum, quæ a Serpente dicebantur, oblita fuit præcepti Dei, caruit igitur advertentia actuali ad peccatum; alias non incidisset in ignorantiam, neque seducta fuisset, fuit autem seducta.

Probabilismi Regulæ obviæ dicuntur ab adversariis, alias si obviæ non forent, exceptis doctis, versatisque in hoc systhemate, omnes peccarent in sequela opinionis probabilis, cum hæ regulæ necessariæ dicantur ad efformandum dictamen pra-

ctícum

cticum conſcientiæ, ut quis licite operetur, facile erat Evæ dignoſcere, ſe præditam eſſe libertatis poſſeſſione, & accedente *proprio judicio*, & *voluntatis ſuæ auctoritate* ſibi licitum eſſe amplecti opinionem de licito Pomi eſu.

Sed alias Regulas advocare neceſſe non eſt, cum ſufficiat ea, quam nobis exhibent Auctores Benigni. Defixa fuit mens Evæ in conſideratione eorum quæ a Serpente proponebantur: hinc ignorantia, qua comitante excuſanda venit ab omni culpa.

Reflexiſtarum Princeps q. 17. ſect. 2. docet actum, quo ſequimur conſcientiam culpabiliter erroneam vincibiliter nullam habere rationem peccati ſibi intrinſecam, nec eſſe novum peccatum diſtinctum a peccato ignorantiæ, ex quo conſcientia erronea procedit. Quam ſententiam judicat univerſaliter veram; ſolumque excipit caſum, quo operans advertat reflexè judicium conſcientiæ eſſe temere conceptum.

Semel autem quod imperio voluntatis defigatur mens abſtracta a momentis pro lege, in momentis pugnantibus pro libertate, nullus adeſt locus illi reflexioni, cum hoc modo hic, & nunc mens ignoret ea momenta, a quibus abſtracta fuit. Peccaverit igitur Eva in ea elatione ſuperbiæ, eius Pomi minime culpabilis erit.

Referamus deciſiones Catechiſticas, quas promulgarunt per Belgium, & Galliam nonnulli Benigni, quorum nominibus parcimus.

1. *Nullum eſt peccatum formale niſi conſcientia hic, & nunc judicet de malitia*. Eva certe fuit innocens in eſu Pomi. Innocentes erunt, qui paſſione ferveſcente de Deo, de lege, de malitia non cogitant, dum operantur.

2. *Nemo plus peccat, quam quatenus ſcit, & novit malitiam peccati*. Eva, que decepta, & ſeducta fuit, credidit verum eſſe quod ſerpens dicebat: dum Pomum comedit, deditque viro ſuo, tunc malitiam non cogitabat. Quod mirari ſubeſt, eſt, quod ſubjungunt: *Quid hic mali? Quid non commune Scholis omnibus Theologicis, excipe Janſenianam, aut Scriptores quoſdam recentiores .... Potes ne tibi perſuadere fieri poſſe, ut Deus tam bonus, tam juſtus quemquam tota æternitate puniat, quia fecit quod ex conſcientia credidit ſe debere facere? An iſti par ulla foret tyrannis? Et ſi Religio Chriſtiana talem nobis præbeat ideam, an hæc non magis Deo injurioſa foret, quam Idolo-*

latria ipsa. Ad quem gradum pertingat hæc fidentia Lectoris Christiani judicium esto.

Pergamus quæso, & fodiamus parietem, ut adhuc peiora videamus: *Si peccatoribus consumatis, & perfectis, cum Deum blasphemant, & se in luxurias suas præcipitant, desit mentis illustratio, & conscientiæ remorsus, si nullam malitiæ cognitionem, cum omnibus Theologis assero, quod non peccent per actiones istas, quæ operationibus Brutorum sunt similiores, quam hominum; nam sine libertate non potest peccari; ut autem evitandi peccatum libertas adsit, requiritur ut in objecto bonitatem, & malitiam cognoscas .... ad peccandum mortaliter non sufficit qualibet consideratio, & deliberatio malitiæ, sed exigitur cognitio plena, & perfecta malitiæ peccati mortalis.*

Tota hæc doctrina conformis est ei, quam tradit laudatus Auctor q. 13. n. 41. q. item 17. n. 44. ubi docet *ultimum conscientiæ dictamen esse semper evidenter verum, & evidens, etiam quando homo operatur ex mera conscientia erronea*. Adeo ut opus factum cum conscientia VINCIBILITER errante nullam *habet rationem peccati, sed peccatum tantummodo extrinsece denominatur a malitia voluntatis, per quam error, aut ignorantia contracta fuit*.

Hinc habes pie Lector, ut a peccato, saltem mortali Saulum blasphemum, & persecutorem Ecclesiæ Christi excuses, quod *ex ignorantia faciebat*: in se quidem *persecutio .... mortale erat, sed in Paulo tantum veniale*. Facilius autem excusabis fæminam seductam, quam Doctorem Legis, qui tametsi se nominet primum inter illius temporis peccatores salvatos; ut ait S. Thomas in eo non agnoscis nisi veniale peccatum.

A veniali etiam excusabis si defixam serpentis rationibus consideres, quo casu ignorantiam etiam invincibilem ipsi tribues, cujus patrocinio, innocentem, & forte sanctissimam canonizares.

Has similesque sententias damnarunt Facultates Gallicana, & Loveniensis, similiter, & Synodus Senonensis, ut evidenter contrarias Sacræ Scripturæ, & PP. quod ad oculum commostrare possemus, si id necessitas exposceret.

De Christi crucifixoribus, cæterisque Judæis ad mortem petentibus Christum Dominum idem judicium efformare poteris; quod nimirum innocentes fuerint quod *ignoranter* id egerint, & passione arrepti, & imperio voluntatis, distrahcti a consideratione do-

doctrinæ, sanctitatis, & miraculorum Christi, & mente defixa in his, quæ a Principibus, Doctoribus, Pontificibus, Scribis, & Pharisæis dicebantur, laboraverint ignorantia invincibili, vel saltem vincibili, atque adeo nulli mortali peccato obnoxii fuerint.

Recta nunc consecutione concludimus, quoscumque infideles futuros innocentes, si mente hæsitante in dubio, voluntatis imperio ea defigatur præcise in considerationem momentorum, quæ in favorem Avitæ suæ Sectæ pugnant.

Si tota tandem res in æqualitate motivorum, quæ menti obversantur, ad voluntatis imperium devolvitur, poterit quis in una Diœcesi, Regno vel Provincia, unam sententiam tenere, oppositam postea in aliis. Quin potuit Embolius prius Hebræus, licite fieri Arianus, deinde Catholicus, ac tandem sub Juliano Idolatra, prout tempus deposcebat, dummodo calens hanc Benignorum doctrinam lubens, & volens a motivis pugnantibus pro religione quam deserebat distraheretur, & mentem defigeret in his, quæ pro nova pugnabant.

Concludamus, nihil monstruosum excogitari posse, quod licitum non possit esse homini sic ratiocinanti.

Nihil his reponunt: nisi quod, *multorum scelerum malitia evidens est lumine ipso naturæ, multorum constat per fidem, vel per moralem certitudinem ortam ex sapientum, communique Populorum consensu, contra evidentiam autem, & certitudinem non datur vera probabilitas nullumque scelus est, quod gravi, certaque probabili ratione excusari possit*, cap. 4. §. VI. . . . . *Judæi non poterant excusari auctoritate, & exemplo Scribarum, & Pharisæorum: habebant quippe præ oculis miracula, & vitam integerrimam Christi; Præterea ipsis satis notum erat odium implacabile, quo illi contra Christum æstuabant. Ethnici vero, & hæretici præsertim rudes, & inculti, possunt ad aliquod tempus excusari ab infidelitate, & hæresi formali. Sed cum primo eorum menti occurrit dubium aliquod de vera Religione debent diligenter inquirere . . . quod si negligant, non excusantur, & peccant*. Ibid.

Venia tamen istius A. nihil solidi affert ad minuendas difficultates, quas sibi obijcit, facileque nobiscum sentiret, si cogitasset, quos tradunt Benigni Canones, & Regulas.

Itaque consideret multorum scelerum malitiam dici, & esse

se claram lumine naturæ, quæ tamen docuerunt plures Auctores ut constat de mendaciis, periuriis, furto, homicidio, aliisque sceleribus, quas doctrinas Damnarunt SS. Pontifices Alexander VII., & VIII. sicut, & Innocentius XI., quasque certas moraliter diceremus, si ad sapientes confugiamus. Quis ante damnatas propositiones ausus fuisset ab Albo sapientum radere eos Auctores? Quid scelestius quam hominem liberare ab onere diligendi Deum creatorem hominum? Nec tamen defuere, qui etiam præceptum tollerent, contra evidentissimum naturæ, & Evangelii lumen.

Communi populorum consensu antidiluvianorum Idololatria vera religio existimabatur. Pluraque scelera, quæ revera lumine naturæ malitia inquinata dignoscuntur, sed tamen in nationibus Barbaris, & incultis, constupratisque usque ad verticem, licita, & gloriosa putabantur, forte etiam nunc putantur. Vid. Eruditis. Giardil. de Duello.

Miracula Christi evidentia erant & Saulo, quem tamen Benigni primi subselii a lethali peccato excusant. Si præceptum Superiorum facere potest unam opinionem probabilem, eo quod non judicemus ipsum in præcipiendo errare, ob ipsius auctoritatem, & scientiam, quidni & poterant Hebrei se Judicio Synedrorum, videlicet Principibus, Sacerdotibus, Scribis, & Phariseis submittere, judicareque probabiliter, Christum esse reum mortis?

Quot ethnici Benigni excusent? Quot veri nominis Atheos admittunt? excusantque ab infidelitate? *Universaliter* (docet quisquiam Celeberrimus inter eos) *tum in materia morum, tum fidei opinio probabilis excusat*. Quis autem istorum Auctorum tam benignorum erga ignorantes, negaverit Infideli posse aparere propriam Sectam saltem minus probabilem?

Demus hominem educatam in una Secta, & sententia, quam diu coluerit, docueritque, sequens suos Magistros, quos doctissimos existimet, videatque ut doctissimos pariter haberi a Christianis, & Catholicis, negabimus juste sibi eam Sectam, & opinionem videri saltem minus probabilem, ea *soliditate*, qua permulti proprias opiniones propugnant etiam postquam eas damnarunt judicia (ne amplius dicam) Præsulum innumerorum pietate, & doctrina excellentium, postque doctiores, celebrioresque Universitates?

Consulamus Ministros Protestantes ad Catholicas partes tan-

tandem receptos ; Consulamus Dana , Papinum , Molinum aliosque , & eorum ingenua confessione erudiemur , ipsos cæteroquin studiosissimos , nedum judicasse antequam converterentur , propriam Sectam minus probabilem , sed probabiliorem, & Probabilissimam : Hi porro non excusabuntur ab infidelitate , si canones Benignorum ut veros amplectamur ?

Nimisne non probamus , & adversus etiam Probabilioristas sententiam dicimus ? Minime gentium .

Probabilioristæ non excusant ab infidelitate , aut alio scelere , quos rectos ignorantia vincibili agnoscunt . Infideles autem , & quicumque extra Ecclesiam sunt , ignorantia semper vincibili innectuntur , cum peccent in causa . Evam non excusamus , eo quod propter peccatum elationis inciderit in ignorantiam , & putarit probabile , ut loquitur S: Augustinus , præceptum Dei de non comedendo Pomo , aut non existere , aut obligatorium non esse .

At econtra Probabilistæ eximunt a culpa formali opus patratum sine actuali consideratione malitiæ , opus pariter factum cum conscientia etiam vincibiliter erronea , nec etenim putant esse peccatum diversum a peccato commisso in causa conscientiæ , pariter a formali malitia liberant opus factum ex opinione etiam minus probabili .

Quodsi admittamus ea , quæ hic Auctor ad propriam sententiam purgandam , nihilo tamen secius nihil proficit , si cum illis verbis conjunctum velimus Canonem illum , quem toties repetit , nimirum non posse quidem operari dum mens fluctuat inter æqualia motiva , aut inter probabilius , & minus solide tamen probabile , posse tamen , & licite , si accedente imperio voluntatis mens determinetur ad unam partem ; hoc etenim stabilito potuit Eva , potuere Judæi , possunt , & Idololatræ , Athei , Hæretici ita se gerere, ut accedente imperio voluntatis , & proprio Judicio , pars , cui adhæret eorum mens , sit probabilior , imo unice probabilis , & ideo agent beneficio ignorantiæ invincibilis ; liberi propterea a peccato formali Eva in esu Pomi , Idololatræ, & Athei in infidelitate ; Hæretici in hæresi , sicuti *peccatores consumati , & perfecti* immunes sunt a malitia blasphemiæ , Luxuriæ &c., itaut Deus illos damnare non possit sine nota Tyrannidis . Minime ne horres Pie , & Christiane Lector ?

§. II.

De Imperio exteriore.

Nunc de alterius imperio Sermonem instituimus, de quo locutus est Eminentissimus Bellarminus illis verbis; *debet omnino sequi tutiorem, & nulla ratione nullius imperio .... ad minus tutam declinare*. Quod in hac re difficultatem exhibet illud est, nimirum si legitimus Superior jubeat subdito agere secundum id quod, subdito videtur minus probabiliter licitum, & probabilius, aut æque probabile, illicitum, num possit, & debeat parere, & eam partem sequi.

Obedientiam Filiis, & subditis ubique sacræ paginæ inculcant, quin & cæcam debere esse Magistri spirituales tradunt. S. Augustinus, ut cæteros omittamus, expressissime docet militem dubium de justitia Belli, vel injustitia debere pugnare; ejus verba retulimus P. I. C. II. §. II. pag. 3.

Cum conscientia magis obliget quam Præceptum Prælati, ut probat S. *Th. de verit.* q. 17. a. 5., eo quod illa sit vox Dei, sive jura Dei proponat; Præceptum vero Prælati sit vox hominis, fit evidens non posse subditum contra propriam Conscientiam parere Prælato præcipienti, quod conscientia licitum non approbat. *Dei Vicarios* quidem Superiores appellat *S. Bernardus*, ut proinde *tamquam Deo loquenti* obedire teneamur; sed *obsequium* nostrum in eos *rationabile* debet esse, atque adeo non repugnans rationi, & Legi mentis. Non præcipit vice Dei Superior, qui contra Legem Dei præciperet, nec desineret esse peccatum, si peccatum præciperet: conscientia autem ea est, quæ intimat homini Divinam legem, qua formata, culpa non vacat, qui contra eam operatur, tametsi foret erronea etiam vincibiliter, ut docet idem S. D.

Jubemur quidem obedire Superioribus etiam discolis, sed dum jubent *sedentes super Catedram Moisis*; sive dum præcipiunt ea, quæ Legi non adversantur; Censentur autem præcipere, quæ Legi adversantur, dum jubent, quod conscientia refugit judicare id esse licitum; nec etenim mihi licitum opus facere, quis potest, usquedum possim id credere, sive judicare licitum.

Sed inquies ad subditum non pertinet examinare præceptum

tum Prælati , sed cæca mente ei se submittere debet .

Verum si subditus conscientia prudenter , & Christiano metu efformata, obediret , ex innocenti , qui fuerat , peccator evadit , si contra eam operatur , sicut *qui propter humilitatem mentitur , si non est peccator , efficitur* , ut loquitur S. Augustinus . Vera humilitas est Deo subdi , non homini contra Deum præcipienti ; formata , eo modo conscientia injustum est parere homini , & non Deo , ut Judæis præcipientibus exprobarunt Apostoli . act. 5. 28.

Quod si timeat quispiam inde eventurum, quod subditi rationes inquirent , & vias formandi conscientias contra præceptum Prælati , atque adeo , ab obedientiæ perfectione casuros ; videat potius ne injuriosus sit eis subditis , qui nullo humano respectu student in simplicitate , & rectitudine cordis Deo potius placere , quam hominibus . Timeat ne superbiam promoveat in his , qui præcipiunt , si minime studeant res examinare , antequam ad illud estremum *formalis obedientiæ* deveniant . Timeat ne hi , qui præcipiunt rationes, & vias quæritent , ut sibi , quod facile foret ; persuadeant se bene præcipere , si videant subditos cæca mente, & si lente , submissa voluntate ; obedire . *Fraus ubique parata* . Meditatione , & studio fraudibus obviare quisque potest .

Formata porro conscientia , quod turpe sit, quod præcipit Prælatus non tenetur obedire , quia ut docet S. Th. de verit. q. 17. a. 5. *Conscientia magis ligat quam præceptum Prælati* , estque *conscientiæ ligamen majus , quam ligamen præcepti Prælati* , subditus quidem *non habet judicare de præcepto Prælati : sed de impletione præcepti , quæ ad ipsum spectat . Unusquisque enim tenetur actus suos examinare ad scientiam , quam a Deo habet , sive sit naturalis , sive acquisita , sive infusa : omnis enim homo debet secundum rationem agere , ibid. ad* 4. non ageret autem secundum rationem , si propriæ rationi , sive conscientiæ facto , & opere contradiceret , faciendo quod conscientia dictat esse peccatum dum interim ageret , quod Prælatus præcipit .

Itaque si subditus, diligenti præmisso examine , conscientiam deponere non potest , & agnoscere licitum quod Prælatus præcipit , nullo modo parere tenetur ; secus si conscientiam recto rationis usu deponere valet . Sed exceptiones prius pro-

proponamus, antequam explicemus quando nam subditus teneatur obedire.

I. Si subditus sciat Prælatum esse unum ex illis, qui ut licitum proponunt, consiliantur, aut præcipiunt juxta opinionem aliorum, cum tamen ipse interius judicet esse peccatum, quod præcipit, liber erit ab ea obedientia, si, ut supponitur, sit dubius prudenter de licito, vel illicito operis præcepti. Ratio est, quia Præceptum ordinem, sive ordinationem rationis importat in superiore residentem: Lex etenim, cujus indolem participat præceptum, est *ordinatio rationis in Principe communitatis, &c.* In casu autem, quod Prælatus præcipiat, modo dicto, juxta aliorum doctrinam, quam ipse recta sua conscientia reprobat, caret ea ordinatione rationis, sed regitur aliorum ratiocinio, quod falsum ipsemet damnat. Mentitur tunc ipse sibi, & subditus, qui agit contra verba legis, sive præcepti, legis interius in animo Prælati existentis sequitur voluntatem. Si igitur subditus prudenter suspicetur ea praxi uti Prælatum, non tenebitur obedire.

II. Si subditus prudens motivum suspicandi habeat, dum audit a Superiore *mandari*, *& præcipi*, illud *mandatum*, *& præceptum* non esse nisi *consilium*, cæterum libertatem subditi sartam, tectamque esse, non tenebitur obedire.

Parere ne teneatur Meliorista sub protectione illius Regulæ: *Melior est conditio possidentis*, Problema esto: Nam ejus libertas *non bene pro toto venditur auro*; Liber natus est, apetitu connato, & a natura emanante subjectionem refugit, & dominium exoptat (quam enormem existimationem inferius expendemus); poterit sibi solide probabiliter persuadere, licitum, conservare illum apetitum, ei obsecundare, tanquam juri a rationali natura proficiscenti. Potiori jure poterit non obedire. Si cum Vasquez, & De-Lugo autumet militem dubium de justitia Belli non posse pugnare, eo quod lex justitiæ sit in possessione præcipiendi; siquidem lex, quam subdito proponit propria conscientia, anterior est præcepto Prælati, possidetque proinde præcipiendi vim, & potestatem, ut V.G. lex de veritate dicenda, dum legitime interrogamur; lex de alterius non lædenda fama; de uniuscujusque jure conservando, quando nostra interest; de promissis stando, & aliorum hujusmodi, quæ leges nobiscum nascuntur, anteriores omnino sunt quibuscumque hominum præceptis: Quare in

dubio

dubio transgressionis illarum non possumus, eam sententiam adoptando, parere præcepto Superioris.

III. Si noverit subditus præceptum Superioris oriri ex conscientia formata ex opinione minus, aut æque probabili, contra probabiliorem, aut æque probabilem de illicito, non tenebitur, saltem Probabiliorista parere; quia tunc scit certissime a Prælato præcipi id, quod minime præcipere potest.

A fortiori autem si noverit, opinionem juxta quam præcipit superior, evasisse probabiliorem, aut unice probabilem eo quod mens Superioris de industria, & *voluntatis imperio* distracta fuerit a *momentis pro parte* illiciti pugnantibus, & unice defixa fuerit in *aliorum cogitatione*: Si quidem tunc præceptum imprudens erit, & irrationale, cum non a ratione proficiscatur sed a pura putaque voluntate cæce imperante, & homine nolente intelligere, ut bene præcipiat.

IV. Si subditus certus sit de doctrina Superioris, quod nimirum liceat ab obedientia se subducere; Superiori resistere; ejus præcepta eludere, & interim agere oppositum ei, quod præcipitur. Idque sibi constet certissimis monumentis, atque in rebus gravissimi momenti; tum etenim rectissime judicare poterit, approbatum iri a Superiore, propriam resilientiam a præcepto; nec damnare velle subditum, qui sentiat juxta sententiam ipsius Superioris; qui non patitur *legem, quam ipse tulerit*.

Obedire autem tenetur subditus.

1. Quando dubium de illicito, formatum non fuerit prudenter, & hinc indeque libratis momentis utriusque partis, & semota omni passione amoris proprii, sed re bene perpensa, atque tandem judicata cum timore, & tremore Deum offendendi,

2. Tametsi ejus conscientia formata fuerit regulis, & cautelis, mox insinuatis, eam deponere debet subditus, & obedire, si superior præcipiens sit Concilium, aut SS. Pontifex in rebus, quæ fidem, mores, aut disciplinam concernant. Ratio evidens est, quia tunc præceptum descendit a Regula infallibili, cui promissa est assistentia Spiritus Sancti, quæ proinde fallere, aut falli nescit. Regulæ autem infallibili cedere debet regula, sive conscientia fallibilis, & erroris capax, sicuti est quilibet privatus quantumcumque sciens sibi videatur, qui nihilhominus

minus prudentiæ suæ inniti non debet, nec potest. In hoc casu certissimus est, si propriam conscientiam deponat, se non errare, sed vera esse, & bona, quæ a tanto Superiore jubentur.

3. Tenetur obedire subditus quoties adiecto præcepto, & judicio Superioris, propria opinio evadit ita tenuæ probabilitatis, ut vanus, & imprudens timor errandi existimandus sit. Ut cum in rebus obscuris ipse subditus minus eruditus sit; & aliunde in superiore dignoscatur prudentia, scientia, & Pietas tanta, ut temerarium videatur, ei resistere, & contrarium sentire. Tunc etenim subditus, *conscientia* scrupulosa, *expleta ad consilium Pastoris*, poterit, & consequenter tenebitur obedire, secus dicendum, si conscientia subditi scrupulosa non sit.

4. Idem dicendum quando agitur de re indiferenti, & quæ non præsefert apertum indicium peccandi; in eo namque casu, subditus si secus ageret, ac velit Superior, peccabit contra obedientiam, cum nullam habeat legem, qua excusari possit a parendo.

5. Tenebitur pariter quando exposita jussione Superioris, Subditus est inter duas leges; & alias lex obedientiæ superior esset, & fortius ligaret. Exemplum habemus in cap. *Inquisitioni* quo decisum manet, debere debitum reddere, qui dubius erat lædendi aut castitatem, aut Justitiam.

Hoc modo censere debemus, militem dubium de Bello justo, vel injusto, teneri pugnare, quia nedum ab obedientia, & pietate erga Principem ligatur, sed etiam ab justitia, tum quia contra justitiam ageret non pugnando, ad hoc etenim stipendiis adigitur, contractu cum Principe ligatus; Tum quia lege naturali constringitur pugnare pro Patria defendenda; vita, & bonis contribulorum servandis; decore, & bono communi custodiendis, & constabiliendis. Quæ rationes, aliæque esse possunt, quibus D. Augustinus Militem, sic dubium, ad pugnandum obligat.

Adde demum, quod an sit justum, vel injustum Bellum dignoscere pertinet ad eos, qui curam habent populorum, eorumque Consiliarios, quibus tantummodo, ut in plurimum contingit, nota sunt Belli motiva, quæque Populos frequentissime latent. Quod in rebus a Superioribus cæteris præceptis rarissime contingit.

CAP.

CAP. III.

Quo auctoritatis pondere gaudeat usus melioristicus illius Regulæ.

Conquerebantur PP. Tridentini Catholicæ doctrinam fidei multorum inter se dissidentium opinionibus inquinatam, & obscuratam fuisse. Mirum propterea esse non debet, si eamdem sortem passa sit doctrina morum; quæ ita dilaniata fuit, & coinquinata a multitudine opinantium, ut nihil firmum stare videatur, nihilque illicitum, quod tuto fieri non possit, permulti suis distortis judiciis scripserint. Quod autem magis dolendum est, ita excrevit fidentia nonnullorum, ut audeant calumniari, ac traducere tanquam in fide parum tutam opinionem eam, quæ ipsis minime arridet, & anticipatæ suæ sententiæ adversatur: Multoties hi sunt, qui ita disputando se gerunt, qui aut quæstionem non recte percipiunt, aut rubori, & dedecori habent veritatem, & doctrinam ab aliis addiscere, parati propriæ opinioni omnia sacrificare, quod non inficiabuntur senes Peripatetici Scholastici in adventu Philosophiæ modernæ, revera tamen Veteris, nec hi, quibus contigit in re morali, Jansenismi mendax infamatio. Mitescit, ut verum fateamur, hisce temporibus, audax nimis hic ardor, sed inter Theologos mercenarios, qui aliorum nomini addicti sunt, & emancipati, irrepsit alius abusus, nimirum dum rationibus destituuntur, nec valeant opponenti satisfacere, propriam opinionem tanquam communem, non sine clamore prædicant, ut stomaco Theologi suppleant quod merito propriæ sententiæ deest, & adversarios deterreant. Nihil communius auditur, quam *melior est conditio possidentis*, nullumque est Proloquium in decidendis occurrentibus casibus familiaribus. Disquiramus nunc jure ne, vel injuria id asseratur.

§. I.

Quodnam sit Judicium Probabilioristarum hac in re .

Ita certum est nullum Probabilioristam huic usui regulæ adhærere, ut superflua sit de eorum mente investigatio, cum etenim ea regula sit potissimum fundamentum, cui subnixum volunt Probabilistæ proprium Systhema, in illud præcipue diriguntur Probabilioristæ, ut deiiciant. Juvat tamen eum præfigere titulum huic §. ut inde subjecta conficiatur demonstratio; sed & etiam ut nonnullos, de quibus dubitatum fuit, Probabilioristis accenseamus; saltem quoad hanc opinionem, quam agitamus.

Sunt autem *Joan. Sanchez*, *Castropal. Diana*, *Vasquez*, aliique ex Benignis. Sed & ex antiquis Theologis refragantur huic regulæ usui S. *Antonin.*, *Sylvester*, *Cajetan.*, *Conrad.*, *Corduba*, *Adrianus*, *Armil. Sotus*, *Navarrus*, *Gabriel*, *Major*, *Commitol.* aliique. Quin *Sanchez* ingenue fatetur S. *Thomam* huic Regulæ adversari. Hi porro sufficiunt, ut nomen opinionis communis ab ea Regula depellerent. Hanc autem D. *Thomæ* sententiam tenent *Antisiodor*, *Hostiens.*, *Henricus Gandavensis*, *Gersonius*, *Toletus*, *Bellarminus*, *Pallavicinus*, *Sfrondatus*, *Aguire*, qui ait: *Prolixus essem, si omnes DD. Cardinales, Episcopos, nominare vellem Probabilismi inimicos, & tutiorum, aut saltem palam Probabiliorum tenaces*. Pergit vero hic Cardinalis Eminentissimus insinuare quam plurimos probitate, & doctrina conspicuos, qui Antiprobalistæ fuere, allegans bene multos ex Ordinibus SS. *Benedicti*, *Augustini*, *Dominici*, *Francisci*, *Carmelitarum*.

Catalogum Antiprobalistarum si desideres, habes apud *Palanco de coscient. q. 29.* ubi nervose probat *SS. Patres fuisse Probabilioristas*, sive *sectatores tutioris partis in dubiis*, atque longam aliorum Auctorum seriem citat. Quin Probabilismum demonstrat contrarium Divino Verbo, & Ecclesiæ canonibus. Cum vero ut jam diximus, potissimum machinæ Probabilismi fundamentum sit usus illius Regulæ, sit evidens eos omnes ab eo usu abhorrere.

§. II.

Num præter relatos Benignos alii ejusdem Sectæ sint, qui usum illius Regulæ refugiunt.

Sanchez ingenue fatetur ab usu hujus Regulæ recedere inter Benignos *Thomam Sanchez, Castropal., Dian., & Vasquez, Aragonium, Ledesmam, Salonium, Bellamen. Abbat., Azcavan., Marian., Socin., Prosel., Angel., Tabien., Coarruv., Ugolin., Flores de mera, Sayr., Bannez., Valentiam, Perez, Cartusian., Turrecrem., Azor., Coninck.*, quos omnes inter Benignos enumerant Apologistæ, sive Cronistæ Probabilistæ. Hinc concludamus.

DEMONSTRATIO.

Illa Regula, Autentice Communis dici nequit, quam reprobant ut perniciosam Schola Probabilioristarum, & plurimi, ex insignioribus inter Benignos: hujusmodi est Regula *in dubiis, melior est conditio Possidentis*: Igitur &c.

§. III.

Quanti existimanda sit quorumdam Probabilistarum, sive Melioristarum sententia, & auctoritas.

Auctores dicuntur, qui suadent, & in causa sunt, ut alii Opus prosequantur, sive ad praxim reducant id, quod inceperunt, aut publicarunt; ut hinc advertant scriptores originem esse, & causam alienorum factorum, obnoxios proinde reddendis rationibus apud Deum, si forte minus sanam doctrinam aliis tradiderint. Quia vero, quo major est auctoritas, & existimatio Doctorum, eo facilius Lectores moventur ad eorum doctrinas, & sententias sequendas, ideo Melioristarum quorundam auctoritatem examinare operæ pretium putamus. Id vero ut sine suspicione mali animi efficiamus, Regulas tantum referemus quorumdam inter Melioristas potissimorum, a quibus, veluti ab oraculis, pendere ferme omnes Probabilistæ gloriantur. Præmittamus Navarrum nemini invisum.

Na-

Navarrus in Manuali cap. 27. n. 289. Ita fatur. *Non videtur una opinio dicenda communis ad effectum præjudicandi alteri, eo solo, quod eam plures sequantur tanquam oves alias oves; vel aves, quæ unam volantem aliæ omnes sequuntur: opinio enim non ex numero opinantium fit.*

Cardenas certissime benignus tract. 1. de Probab. disp. 11. c. 4. n. 106. docet auctoritate alicujus *non fieri probabilem opinionem, si pars opposita sit certa; si levi innitatur fundamento; si docuerit improbabilia; si affirmet Conclusionem, sine eo, quod examinet fundamenta utriusque partis.*

Quæ, si vera sunt, nemo fidere poterit sententiæ Doctorum, nisi prius ei constiterit in nullo eorum, quæ dicta sunt, defecisse. Potiora jure nemo inhærebit sententiis Summistarum, & Collectorum, qui nihil de proprio ingenio promunt, sed quæ scripta reperiunt, transcribunt. Nec magis fidere quimus innumeris illis auctoribus, qui sine examine eunt; quo itur, non quo eundum esset. Multos autem hujus generis esse, vades sunt Vasquez, & Layman. Ille quidem 12. disp. 62. c. 4. addens: *Negare non possumus turbam Doctorum aliquando amplecti unam opinionem absque delectu rationum, aut saltem non tam exacte ponderatis rationibus.* Hic autem tract. 1. c. 5. §. 3. *Fieri solet*, inquit, *ut unius ductum plures eodem tramite, nulla nova ratione moti, veluf aves avem, oves ovem sequantur.*

Sed quæ differit P. Terillus Reflexistarum Parens, apud Palanc. de consc. q. 29. qui Probabilismum *tuentem sustentat dextera*, Æneid.10., majoris sunt momenti. *Innumerabiles sunt*, ait ille, *qui a triginta annis summis casuum, rerumque moralium Bibliothecas impleverunt. Quid autem facerent, ut ad famam, quam aucupabantur, pervenirent? Ad nova promenda animosiores effecti, in opiniones laxiores oculos, animumque conjecerunt, gnari eas præ omnibus rudiori legentium vulgo nimium placituros. Verum ne propter assertam ab unanimi antiquorum opinione defectionem arguerentur, cœperunt rationes aliquas excogitare, quibus & suum a majorum doctrina recessum honestarent, & apud imperitum vulgus plausum aliquem obtinerent.*

Hi ergo dum animo, ut in istis fieri solet, non bene disposito ad veritatis indagationem, ad confirmanda prurientis ingenii commenta incumberent, quidquid vel minimam veritatis speciem præseferebat, avidiori animo arripuisse noscuntur. Vidi ego ex hisce recentioribus nonnullos, cæteroquin egregios viros, qui cum

in

In rebus summi momenti ad Dei legem, & conscientiæ obligationem pertinentibus, ab unanimi omnium sententia ad intolerabilem laxitatem declinassent, aliud tamen, quo moverentur argumentum, quam a simili *non habebant. Vidi, & exhorrui. Neque hic stetit quorumdam audacia: plurimi enim, etsi doctrinâ longe inferiores, similem quoque arguendi modum sibi licitum existimantes, & laxis resolutionibus ad laxiores iter sibi (rectius dixerim) & sibi, & aliis præcipitium aperuerunt; atque ita brevi effectum est, ut plures laxitates, verè non ferendæ in oculos legentium, non sine plurimorum scandalo, frequenter incurrerent.*

Obsecro te, Lector amice, *de quo* Scriptore *dicit hoc, de se, an de alio aliquo?* act. 8. 34.

Pergit Terillus: *Nec defuere, qui laudi sibi verterent laxiores sententias in unum colligere, easque tanquam legitimas conscientiæ regulas, sub specioso Probabilitatis tegmine venditare. Cum enim apud Auctores, ob suam laxitatem celebres, resolutionem aliquam vidissent, illico eam pro verè Probabili habuerunt.*

Isti porro innumerabiles sunt, & nulla pollent auctoritate, ut merito a numero Doctorum explodi debeant: sicuti neque hi, qui, nescio, qua de causa, inducti in eo laborant, ut rationes inveniant ad obligationes aut tollendas, aut minuendas: Hi enim eum debita animi dispositione ad veritatem investigandam non accedunt, quia ex industria in omnibus latissimam viam, suâ auctoritate conantur stabilire . . . . . ansam dant præsumptionibus, quod ob affectum in unam partem indebite propensum, in suis discursibus, non ut virum prudentem decet, conclusionem elicuerint, rationesque, pro opposita parte, non ut decet, examinaverint; atque ita fit, ut apud sinceros rerum existimatores propria illorum auctoritas vilescat. Quo circa si tales viri aliquod singulare adoptent . . . . non illico censeri poterit, certo probabile . . . . ab illius auctoritate probabilitas nullum incrementum accipiet; nisi forte pro casu raro, quo arctiorem sententiam amplecteretur.

Nec vero ex modernis casuum Scriptoribus, & Collectoribus desunt aliqui, quibus hæc nota inuri posse videtur, ut ex eorum libris, & ex modo discurrendi, & procedendi apparet; qui proinde parvam suis libris auctoritatem conciliant. Novi etiam ingeniosos Theologiæ Magistros, qui sibi laudi verterent ad laxiorem in rebus moralibus sententiam propendere &c.

Utinam quos exosos habent, post Terillum nonnulli alii, ita

ita ab albo Doctorum eraderent, ut omnibus moralis facultatis studiosis horrori essent: Minueretur hoc modo Catalogus Benignorum, ita ut numero majores non essent; atque adeo nobis non venditarent sequelam licitam opinionis minus probabilis, probabiliorem esse authentice, & numero Auctorum.

Quod mirari subest, illud est, quod neminem Auctorum invenire sit, qui in suis opinionibus non approbetur, si velit quispiam eum aspernari, & oppugnare, acsi statim ac est Benignus, infallibilis sit in suis decisionibus. Verum enim vero, si sibi constent Benigni, nullum ipsorum casum quibunt reprobare; quandoquidem, nulla est decisio, in cujus favorem non descendant & plurimi alii, præcipue Collectorum, & Summistarum, qui ultro citroque citantur: Semel autem quod illorum auctoritate decisio probabilis evadat, ab omni casu, & falsitate eos tuetur maxima illa generalis, *qui sequitur opinionem, etiam minus probabilem, tuto, & prudenter operatur*. Fit etenim beneficio Regularum reflexarum, quod id, quod directe *falsum*, & *turpe* est, reflexe fiat *verum*, & *honestum*: Et quamquam hoc probare possemus innumeris exemplis, unico, ex eodem P. Terillo commonstrabimus.

Legenti, & perpendenti quæ ex Terillo retulimus manifeste apparet hæc consecutio: *Casuistæ effecerunt ut via illa arcta, (idest Evangelica) laxata fuerit*; quoniam cum sint *innumerabiles*, ut loquitur Terillus, qui laxitatem coluerunt, & a laxis, ad laxiores opiniones intollerabiles transierunt, sine examine, & animo minime bene disposito ad indagandam veritatem scribendo, & docendo accedentes, recte concluditur, quod hi *innumerabiles* &c. viam laxarunt.

Audiamus autem eundem Terillum alia loquentem lingua *Casuistæ non effecerunt, ut via illa arcta ullatenus laxata fuerit*. Quid inde concludendum, nisi quod contradictoria nectunt, & Lupum cum Agno consociant. Contradictoria faterentur illa duo *directè* quidem, ajent, sed minime adhibitis reflexionibus: nam consideratis rationibus directis, decisiones illorum Casuistarum respuere debemus; sed numero illorum attento, & eorum qualicumque auctoritate, ipsorum inspecto judicio, & voluntate, quibus fit, ut docet Terillus, quod opinio ante sententiam, & voluntatem propriam, minus probabilis, evadat postea probabilior, regulisque aliis innumeris adhibitis, quibus abundat Systema Probabilisticum, via latissima fit arcta, reflexe

flexe utique, ita ut quilibet facere possit, & dicere malum bonum, & bonum malum ea felici distinctione *directè*, *&* *reflexè*.

Si autem ***Lumen*** illarum reflexionum *tenebræ* sint, ad obscurandam veritatem, ad perturbandam rationis, & rectorum judiciorum æconomiam, *ipsæ tenebræ quantæ erunt?* *Mat 6. 23.* Reflexiones illæ excogitatæ videnrur ad eludendam simplicitatem cogitationum humanarum, quæ statim agnoscunt, ut in plurimum, & præcipue si animo sincero quæratur, veritatem, honestatemque actionum. Si porrò simplicitas oculi res lustrantis defficiat, *totum* moralitatis *corpus tenebrosum erit*. **Luc.** XI. 34.

Scifcitari liceat num in stateris P. Terilli aliquid ponderis obtineat Caramuel. Huic Auctori, cæteroquin ingenioso, conveniunt ferme omnia, quæ quibusdam auctoribus exprobat Terrillus, quorum ratione merito a Catalogo Doctorum explodi debeant: Illum ferme omnes Laxitatum Parentem agnoscunt, flocique faciunt ea, quæ docet. Miror autem, cum res ita sit, quod tanti æstimet P. Terillus Caramuelis inventum; nimirum *in quacumque materia melior est conditio possidentis*, pro eoque pugnat tanquam pro aris. His certe unus est, qui to us fuit, ut *obligationes tolleret*, aut saltem minueret, qui ***laudi sibi vertit ad laxiores in rebus moralibus sententias propendere***; quod quisque dignoscere potest ex ejus operibus, & ex *Epist. ad Dianam*. Qua autem animi sinceritate, & candore Auctorem sequitur, ejusque sententiam, ut regulam conscientiarum proponit, qui juxta ipsiusmet Terilli Canones ab albo Doctorum explodi deberet?

Concludamus hunc §. duobus testimonius, nimirum celeberrimi Canonistæ *Prosperi Fagnani*, & insignis Teologi *P. Vasquez. Fagnanus* ait. *Usus bujus Regulæ in foro conscientiæ reijcitur communiter a Theologis, & Canonistis. Mirum tam levi fundamento, quam graves, & periculosas quæstiones decidant* (*Casuistæ videlicet*) *Hæc doctrina multo perniciosior est saluti animarum. Hæc Theoria libere profitetur, licitum esse operari cum conscientia absolute dubia .... Vides ergo, quam multæ sequuntur ineptiæ, & absurditates ex ea assertione, quod bomo in foro conscientiæ sit manutenendus in possessione suæ libertatis contra Deum, & legem, adeo ut valde mirandum sit, quod nonnulli Confessores in foro sacramentali talem Theoriam in praxi ser-*

servare, & docere non vereantur in perniciem animarum.

Vasquez vero ita decidit. *Regula melior est conditio possidentis solum obtinet in causa justitiæ .... si prædicta Regula aliquid probaret, probaret etiam in omni dubio, & ita corrueret illa Regula, tutior pars est eligenda.*

Traducant nunc, bona fide, ut Regulam communem, tutam, tutissimam, quam respuunt, utpote contrariam canonibus, & saniori Ethices, Theologi meliores, & Canonistæ. Vasquesio bellum indicat P. Vasquez celebri illo ratiocinio = Qui sequitur opinionem minus probabilem, sequitur id quod est tutius, surdis, ut reor, canent.

§. IV.

Solvitur unum Argumentum.

Fatentur omnes inter Benignos acutiores, probabilitatem directam non sufficere ad prudenter operandum, nisi ad eam roborandam, & vehendam ad moralem certitudinem, opitulentur Regulæ reflexæ. Jam vero sic instituitur argumentum. SS. PP. non semper sequti sunt sententias veras; docuerunt etenim pluries, sententias contradictorias, ut probat ad evidentiam Christianus Lupus, & omnibus notæ sunt dissensiones Augustinum inter, & Hieronymum. Ne igitur dicamus eos imprudentes, fatendum erit, usos fuisse reflexis Regulis, ut tuto docere, & operari possent; Inter eas porro Regulas, potissima est illa, melior est conditio possidentis; ea igitur usi sunt, ut pronum est coniicere.

Non unum est argumentum, quo veluti trocleis res trahuntur invitæ, quo earum natura ferri refugit. Verum sit directam probabilitatem non sufficere ad prudens dictamen conscientiæ efformandum, verum pariter erit novissimam esse inventionem regularum reflexarum, seu recursum ad illarum usum, ut nec ipsi Benigni inficiantur; quare perperam SS. Patribus earum praxim tribuimus; quin certissime judicare possumus, ipsos omnino latuisse, nedum quia nullum in eorum operibus, vel leve vestigium est invenire, sed etiam quia ipsi sancti erant, & verebantur omnia sua. Sancti non fuissent nisi humiles, nec humiles nisi timuissent; leges autem reflexæ omnem timorem prorsus excludunt, & certitudinem inferunt

fer-

ferme Geometricam, & Methaphyficam. Videatur Caramuel, quid de attentione in officium recitando, affirmat nimirum fe certiffimum effe, nec ullo fcrupulo angi, dum recitat tametfi omnino voluntarie, nullo impellente, pro libito, & de induftria diftrahatur, & mente peregrinetur in omnem Mundi plagam, idque totum fine umbra peccati, & tranfgreffionis præcepti.

Occurit argumento Eminentifs. de Aguire per triginta annos infignis Probabilifta, fed tandem poft exquifitum examen ad faniorem doctrinam amplectendam converfus. Is itaque *tom. 1. Concil. Hifp.* rem finit his verbis. SI POST *diligentem inquifitionem inveniat opinionem aufteriorem equale pondus habere, aut etiam majus, ac proinde veritatem rei effe fpeculative dubiam, non poterit ulla reflexione formare fibi judicium certum de illius veritate, aut ufu licito. Quare abftinendum erit ab opinione benigniore, & adherendum tutiori, five ftanti pro præcepto. Hæc videtur fuiffe praxis affidua Sanctorum PP., Pontificum, ac Theologorum doctrina, & pietate infignium, a tempore nafcentis Ecclefiæ, ufque ad finem fere fæculi præcedentis, quo cœpit reputari fecurus ufus opinionis probabilis, vel probabilioris per reflexiones antiquis ignotas. Sequebantur enim veteres illi, quod intra finum Ecclefiæ Catholicæ poft rem mature examinatam, oratione, ac ftudio competenti videbatur verum, aut moraliter certum. Et licet SS. PP. aut Doctores celebres aliter, atque aliter circa varias quæftiones morum cenferent, unufquifque tamen pius, & prudens id agebat, vel confulebat aliis, quod debitum poft examen judicabat verum, aut faltem longe conformius canonibus facris, rationi, & æquitati.*

DEMONSTRATIO I.

Communis opinio, etiam apud Benigniores docenda non eft, quod eam fequantur Auctores de quibus loquuntur *Navarrus, Cardenas, Vafquez, Laymman, & Terillus*: fed hujus generis funt, ut in plurimum benigni Doctores: igitur nec etiam apud Benignos dicenda eft communis opinio, quam impugnamus.

II.

Nemo prudenter judicare, aut prudenter confulere poteft licitum

licitum usum illius Regulæ nisi invincibiliter credat licitum eumdem usum: nemo invincibiliter judicare potest (saltem authentice) quod negant melioris notæ Auctores, nimirum tutum esse prædictæ Regulæ usum. Igitur &c.

Blandiuntur sibi Benigni quidquid Probabilioristæ congerunt in illos retorqueri eodem modo posse: ex. gr. imprudens dicitur judicium, dum quis operatur sequendo opinionem minus probabilem. Imprudens pariter erit, inquiunt ipsi, si judicemus, diem Veneris in casu proposito, jam subintrasse, tametsi duo tantum ex duodecim horologiis id signent. Hoc ratiocinio innuere volunt, quod dum quis abstinet ab opere, tametsi probabilius sit esse licitum, tunc format judicium in favorem legis; quod judicium Probabilioristæ imprudens non dicunt.

Sed falluntur quam maxime; siquidem Probabiliorista constitutus V. G. inter hæc duo: *die Festo licet pingere*: *die Festo non licet pingere*, etsi foret probabilius esse licitum, non utitur pro regula judicandi aliqua ex illis opinionibus; sed hac tertia *licet non pingere*; vel hac altera *res dubia est, & in dubiis operari non licet*.

Universim dicimus, non licere operari juxta opinionem contrariam Legi, etsi sit probabilior; quia ut ajebat citatus Emin. de Aguire, tametsi opinio magis probabilis majus habeat pondus, tamen res adhuc est dubia, quare non potest animus, etiam beneficio cujusvis reflexionis, formare judicium certum de veritate. Ut autem formet judicium certum moraliter de veritate, non sufficit quicumque excessus probabilioris supra minus probabilem; sed necesse est, ut ita excedat, quod motiva, & rationes pro minus probabili, ita levia sint, ut indigna judicentur, ob eorum levitatem, quæ possint remorari virum prudentem. Sint igitur, necesse est, ut talia sint, ut possit animus ea respuere, tanquam frivola, nullius momenti, capacia proinde concutiendi quidem ignorantes, & scrupulosos, minime vero viros prudentes. Alia exempla nobis non opponimus, discutienda in tertio examine.

Dicente scriptura, his verbis incipit Vinc. Lirinensis suum commonitorium, *Interroga Patres tuos, & dicent tibi, seniores, & annuntiabunt tibi*, (a) totus est ut a senioribus Patribus

(a) Ex Deutur. 32. 7.

bus doctrinam excipiamus, si rectæ fidei dogmata addiscere velimus; a qua si defecerimus, deficiamus quoque a fide necesse erit; siquidem præter id quod traditum est, & præter id quod nobis evangelizatum est, crederemus. Hinc probat omnes hæreses ideo exortas, quia novitatum amatores, a seniorum doctrina recesserunt, & sunt secuti consilium, & opiniones juniorum. Quare inculcat illud Pauli ad Timoteum: *novitates devita*.

Cum vero Christus D., & Apostoli non minus tradiderint nobis dogmata, quæ ad fidem pertinent, quam ea, quæ ad mores; utraque namque Regula tradenda erat, ne circumferamur omni vento Doctrinæ in rebus necessariis ad salutem, fit inde ut seniorum, & PP. sententias, & doctrinam sequi debeamus; & potissimum eas, in quibus conveniunt. Nullus autem PP. docuit unquam Sistema Probabilismi, cum hoc sit inventum novissimum recens natum, ut velint nolint fateri debent Probabilistæ, qui propugnant doctrinam quidem fidei a PP. accipiendam esse, sed morum a Recentioribus; vel saltem docent a Probabilismo noviter invecto mores non fuisse relaxatos.

Dicamus nunc quod *Hieron. Ep. 65. ad Pammac., & Ocean.* contra Originem dicebat in re fidei: *Cur post* 400. (post. 1600.) *docere nos niteris, quod ante nescivimus? cur profers in medium, quod Petrus, & Paulus* (quod SS. PP., & vetusti Theologi) *edere noluerunt? usque ad hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit*. Quidquid igitur doceant recentiores Benigni, priscam *tenebo doctrinam*; *errantium namque multitudo non parit errori patrocinium*.

Sed cur SS. Pontifices Probabilismum non damnarunt? cur Nicæna Synodus non damnavit Origenem, si damnavit Pelagium? *Idcirco Spiritus Sancti*, ait Hieron., *neganda majestas est, quia in illa Synodo super substantiam ejus silentium fuit?....* *Quamquam latenter* SS. Pontifices Probabilismum damnarint *fontem* propositionum damnatarum. *Vide hac de re Patutium Trat. della Reg. proff. delle azioni umane Part. 3.*

QUÆSITUM.

Quid ex his quæ de Auctoribus diximus concludendum de Librorum delectu in re morali.

A S. Spiritu docemur declinare a malo, & facere bonum. (1) Hoc monitum, quod ad voluntatem, & operationem pertinet, supponit mentem præventam illustratione, qua a falsitate declinet, & ad veritatem accedat. Cum autem minimè, in omnibus rebus investigandis, veritas, a qua potissimum bonitas, & honestas operis pendet, illico appareat, studio opus est, & lectione librorum; atque adeo omninò necesse est consulere Auctores, qui propius ad veritatem accedant, ut declinemus ab his, qui a veritate, sive a regulis Evangelii magis elongantur.

Si, ut fas est, Probabilismi Magistris, quos §. III. retulimus, fidere possumus, ut in propria caussa adversus consocios, Judicibus, pauci remanent libri illorum, quos legere possimus: quod, ex propositis eorum regulis evidentissime constat.

1. Namque Auctorum turba constantes viros commovere non debet; cum veluti oves, aut aves quo itur currunt, & alias sequuntur: Hujusmodi sunt collectores, & summistæ bene-plures. Hi namque aliorum lingua loquuntur, & ducuntur ideis.

2. Ad illos reducuntur, qui sine examine scribunt; aut propriæ partis spiritu, & affectu ducti, quidquid propriæ Sectæ favere potest, cæco occulo amplectuntur.

3. Nihili faciendi Auctores qui laxas docent opiniones. Hi etenim a via vitæ, quæ arcta est aberrant, & viam latam ingrediuntur. Ab aliis regulis tradendis abstinemus, quas exprimunt *Cardenas*, *Layman*, *&* *Terillus datis* §. III.

4. Minimè fidendum iis Auctoribus, quos minus fideles agnoverimus in rebus magni momenti. Exemplum habemus, ut innumera omittamus, in re reservationis casuum. Clemen. VIII. ann. 1601. promulgavit Decretum, quo vetatur Confessariis absolutio a casibus reservatis sive Pontifici, sive Episcopo

---

(1) Ps. 36. 27.

po: & insuper absolvere a casibus etiam dubie contentis in Bulla Cænæ. Duo nihilominus abusus irrepserunt, sive duarum falsarum opinionum praxis. Nimirum posse unumquemque Confessarium absolvere a casu dubiè contento in Bulla Cænæ: & ulterius posse unumquemque Confessarium absolutionem impertire *indirectam*, ut ajunt, quando, etiam extra mortis articulum, aliqua adest necessitas, ut quando puella, aut famulus confitentur, & mater, aut Domina certiorari volunt, num ad communionem accedant.

Primam praxim fulciuntur allegando Decretum moderatorium ejusdem Clem. VIII. emanatum anno sequenti, nimirum an. 1602.

Alteram verò praxim constabiliunt ratiuncula quadam, quod nimirum Potestas, & Jurisdictio Ecclesiæ data sit in *ædificationem non in destructionem* (1); foret autem in destructionem reservatio in eis casibus, scilicet in præjudicium honoris, & animarum perniciem; quia nimirum cogeret, aut ad abstinendum à participatione corporis Christi, aut ad Altare accedendum sacrilege.

Utraque hujusmodi praxis expressè contraria est decisionibus Ecclesiæ, quibus flocci factis, vel ignoratis innumeri a tribunali pœnitentiæ recedunt peccatorum suorum pondere onusti, & Confessarii incidunt (si eorum ignorantia invincibilis non est, dum interim ignorant quod scire debent) in casum Papalem, ut constat ex citato Decreto Clem. VIII.

Quantum ad primam attinet praxim mirandum quammaximè est, innumeros Auctores iniisse viam unius, vel alterius D., cum, nescio, quà oscitantia, certissime non excusabili, in re tanti momenti, aut Decretum, quod appellant *moderatorium*, non legerunt, aut non examinarunt; aut clausis occulis, vel obtenebratis a nube probabilitatis, parum de eo, aut nihil curarunt. Itaque

Primum Decretum prohibet, sub pœna excommunicationis, absolvere a casibus reservatis; Hos taliter absolventes punit pœna inabilitatis perpetuæ, aliisque. Statuit facultatem absolvendi, ab iis casibus obtinendam esse in scriptis; atque alia disponit, quæ concernunt Urbem, & nationes *extram Italiam*.

In

(1) 2. *Cor.* 13. 10.

In his omnibus secundum Decretum editum anno sequenti moderatur primum editum anno antecedenti. Cæterum ad casus reservatos quod attinet, statuit, & decernit: primum Decretum remanere in suo robore, & vigore. Igitur quoad materiam casuum reservatorum, non Decretum *moderatorium* appellandum est, sed *confirmatorium*. Rem hanc finit Epistola Sacra Congregationis ad Archiepiscopum Neapolitanum, in qua declaratur, vetitam esse absolutionem a casibus Bullæ Cœnæ implicitè etiam contentis: de hac Epistola mox nobis sermo erit.

Quis nunc quæso agnito hoc errore fidere prudenter poterit hujusmodi Auctoribus?

Alteram examinemus praxim sivè abusum. Concilium Tridentinum *Sess.* 14. *Cap.* 7. deffinit nihil posse Sacerdotes, non habentes potestatem ordinariam, super reservata, *excepto mortis articulo*. Idem confirmat Clem. VIII. *nullo casu etiam necessitatis vel impedimenti nisi in mortis articulo*. Cum vero exorta fuerint, ut moris est, nonnulla dubia, S Congregatio facto verbo cum Summo Pontifice anno *1646.* 7. Decembris rescripsit Epistolam ad Em̃. Archiepiscopum Neapolitanum, quæ legi potest apud *Pignatellum Tom.* 1. *Consult.* 293., in qua expressè asseritur nullum Confessarium sinè ordinaria, aut delegata potestate, posse absolvere a reservatis Sanctissimo Pontifici, aut Ordinario, sub *quovis pretextu*, *aut casu etiam præcisæ necessitatis*, *excepto mortis articulo*: *sotto qualsivoglia pretesto*, *o caso* etiam *di precisa necessità fuorchè in articolo di morte*.

Decisiones adeo expressas Tridentini, non curant Theologi morales permulti, ut jure conquereretur P. Simonetti: sed hac distinctiuncula *directè*, & *indirectè* eludunt ut bene notat Pontasius verbo *casus* casu 18.

Certè, qui opinatur, posse hanc *indirectam* impertiri absolutionem, necesse est ut componat hæc duo: *In nullo casu potest*, *in aliquo casu potest*: quæ si contradictoria non sunt, nullam contradictionem invenire erit.

Scholasticus quidam, effugiorum feracissimus, opponebat textum *omnes in Adam peccaverunt*, quum tamen opinio piissima teneat Beatam Virginem a culpa Originis immunem.

Ait quid opponeret, si dixisset Apostolus, *in quo omnes peccaverunt*, etiam si sit Mater Salvatoris; *omnes* inquam excepto

to Domino Nostro Jesu Christo ? Porrò autem Decisiones allatæ exprimunt casum etiam necessitatis , & solum excipiunt mortis articulum .

Pace sic opinantium , & indirectè absolventium videtur mihi eorum opinio paululum injuriosa Patribus Tridentini , & SS. Pontificibus . Concedant necesse est hanc ipsorum opinionem recentissimam esse , & novum inventum hominum recedentium a Priscorum , & Ecclesiæ doctrina . Siquidem , aut PP. illi , & SS. Pontifices , Cardinales , & Theologi , qui manum habebant in efformandis illis decisionibus ignorabant hunc casum de absolutione indirecta necessaria , & utili ; aut non ignorabant .

Si non ignorabant , cur sicut mortis articulum exceperunt, non etiam casum periculi ignominiæ , ut ajunt ?

Sed cur suspicio ignorantiæ istiusmodi ? *Ne dicas priora tempora meliora fuere , stulta enim est hujuscemodi interrogatio* (*a*) . Casus isti , qui familiares sunt hisce temporibus , frequentes & erant ante Tridentinum , & ante Decreta *Clem.* VIII. notissima proinde Episcopis , & Pontificibus , qui propterea ingnorarunt , vel spreverunt has distinctiunculas , sed ut peccata majora majoribus Sacerdotibus reservarentur , solum mortis articulum exceptum voluere .

Notos fuisse hujusmodi casus constat ex Synodo Sennonensi celebrata an. 1524. quæ declarat expresse , peccata occulta fœminarum non reservari in illa Diœcesi ; quemadmodum , & Synodus Carnotensis habita anno 1526. quam disciplinam , ex parte secuta est Synodus Pisauriensis , in quâ cautum est , quod Puber , si sociam habuerit testem ad communionem, possit absolvi ; quibus in casibus , opus non est potestate illa indirecta, quum ablata sit reservatio : Non sic autem possunt absolvi homines , aut peccata non occulta fœminarum , aut fœminarum (in Diœcesi Pisauri) minimè associatarum , quia in his casibus stat reservatio .

Abutuntur autem Auctores contrarii textu D. *Pauli* ex 2. *Cor.* 13. 10. , quia quantum attinet ad rem præsentem intelligitur de Potestate nimis severa , & excedente in reservandis culpis ut explicat *Bened. XIV. de Synodo Diœces. lib.* 5. *c.* 5. *n.* 4.

Si

(a) Eccl. 7. 11.

Si stultum est fidem dare ei, qui semel nos fefellit, quomodo prudenter acturi erimus, in sequelā DD. qui contra tam claras, & patentes decisiones Concilii Generalis, & SS. Pontif. *Clem.* VIII. ac *Pauli* V., & *Urban.* VIII. unico verbulo *indirecte* apertè pugnant?

Demus etiam rem esse dubiam, quod numquam admiserim, si de dubio prudenti sermo sit, tunc sequendum foret quod tutius est. Id autem non solo eo titulo assero, quod hæc sit doctrina Canonum, & Ecclesiæ damnantis *propos.* I. *ex damnat ab Innoc. XI. anno* 1679. cum agatur de valore Sacramenti, quod nullum erit si desit jurisdictio, ut expresse deffinit Tridentinum, sed etiam ex Responsione *Gregor. XIII.* propositum fuit Romæ: num Episcopus, in aliena Diœcesi, posset sibi eligere in Confessarium Sacerdotem non subditum, nec approbatum ab Ordinario. Deputati fuere ad id decidendum, decem Cardinales, cumque quinque affirmarent, negarent cæteri, consultus SS. Pontifex respondit in re dubia tutius est adhærere Decreto Concilij Tridentini, nimirum *cap.* 15. *sess.* 23. quo statuitur neccessariam esse approbationem ab Ordinario Sacerdotis. Ita refert *Suar.* disp. 28. *de Pœnit. sect.* 4.

Quam Ecclesiæ constantissimam doctrinam si revereantur Morales, evanescit decantata Regula *melior est conditio possidentis*, & manet in suo legitimo, & merito vigore: *In dubiis semita tutior* &c.

5. Cavendam est quammaxime a doctrinis eorum, qui sequuntur ea principia, a quibus ortum ducunt propositiones a SS. PP. damnatæ; Cum etenim recta ex illis enascantur, & consecutiones rectæ sint, falsissimæ tamen sint consequentiæ, neccesse est vitium esse in eis principiis. Hinc natas esse arbitror, eas opiniones, qua communes asserit nuperrimus Auctor (a), nimirum: *Si agatur de iis, quibus fuga est valde ignominiosa, uti sunt nobiles, & milites, communiter conveniunt non teneri se fugæ committere; nemo enim tenetur cum gravi jactura bonorum, vel honoris alterius vitæ consulere, quare licitè potest invasorem occidere.*

Id ipsum potest Ecclesiasticus, quando fuga ex circumstantiis

(1) Roncallia Tract. XI. de 5. Precep. Decal. c. 3. q. 2.

tiis redderetur infamis ; ut si fugiendo detegeretur aliquod ejus crimen.

„ Si quis (a) merito timeat, quod ni præveniat volentem „ occidere, non poterit postea resistere, utique licebit illum „ prævenire.

„ Pauperi tale esse posset (b) grave damnum ammissio „ unius auri, ut pro ipso conservando, possit furem oc- „ cidere.

„ Si fur volens surripere aureum insimul vim, & gravem „ injuriam vellet inferre ; ut si vellet a viro honesto, & „ nobili vi, e manibus (alii addunt etiam pomum) vel e „ crumena aureum rapere, posset licitè occidi.

„ Quando honor (c) non est ordinarie reparabilis per Ju- „ dicem ; seu non potest per istum removeri ignominia, „ quam quis facere intentaret, tunc licet occidere volentem „ graviter nos dehonorare. Exemplum sit, dum aliquis vel- „ let viro nobili alapam impingere, hæc injuria, postquam „ accepta est, numquam est reparabilis mediante Judice .... „ sequitur licitum esse ipsum occidere.

Consecutione, & necessitudine Doctrinæ ex *q.* 3. poterit quis eum prævenire, & occidere si non adsit alia via, ut multimodè evenire potest.

„ Si fœmina non possit se liberare ab invasore, potest „ illum occidere ..... id habere sibi annexum periculum con- „ sensus in delectationem clarum est.

D. Augustinus hujusmodi invadentium occisores excusare nescit, cum castitas sit virtus animæ, quam nullus invasor violentus eripere potest.

Periculum porrò consensus in delectationem comparare poterant Patroni harum opinionum, cum periculo iræ, odii, vindictæ, furoris, superbiæ, aut avaritiæ, cui se committunt occidentes propter conservandum unum aureum, aut pro avertenda injuria, & dehonoratione.

Quid mediet has inter opiniones, & propositiones damnatas 17. ab *Alex.* VII., & 30. ab *Innoc.* XI. non satis percipiunt doctissimi viri, qui eas legerunt. Cautelas autem, & discri-

(a) q. 3. (b) q. 5. (c) q. 6.

ſcrimina, quæ ſtudet adducere parvi ſunt momenti, & facilime accomodari poſſunt tum propoſitionibus damnatis, tum opinionibus, quas docet, ut diligenter perſcrutanti, quæ dicit, notum fit. Interim dum meritò approbat damnationem propoſitionum, optimam ſectatur doctrinam, optimaque moralitatis principia. Quod verò iiſdem non utatur in ſuis opinionibus, non valdè mirandum in homine, qui relicta (corvus albus) ſolidà, & ſaniore ſchola, in aliam tranſmigravit, eodemque ore frigus, & calorem emittit. Facilè non eſt lumini naturæ ſemper reſiſtere; difficile non imbui ideis Sectæ, cui nomen damus.

Conferas amice Lector hunc Auctorem, quem ex ungue cognoſcis cum Bonacina, & cogita an de eo, ſimilibuſve dici poſſit, quod de hoc ſecundo dicit Sambovius.

6. Univerſim cavendum eſt ab Auctoribus, qui a doctrina Evangelii elungari magis videntur. Præcipit Evangelium manſuetudinem, patientiam, humilitatem, corporis, & paſſionum mortificationem, orationem aſſiduam, charitatem tum potiſſimum ergà Deum, ergà proximum, & præcipuè inimicum, ut eum amemus etiam interno cordis affectu, ne dum opere ei benefaciendo. Prohibet pompas, luxum, vanitatem, otium, mundi amicitiam, ut Deo inimicam; uno verbo concupiſcentiam oculorum, concupiſcentiam carnis, & ſuperbiam vitæ, ut compendio uſus, declarat S. *Joannes* in ſua *prima Epiſt.* 2. 16. Quæ omnia oſtendunt quam verum ſit. *Quam anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt qui inveniunt eam. Math.* 7. 14. Et ideo monet Chriſtus Dominus attendendum a Prophetis falſis, quibus Doctores adnumerantur, ut bene advertit ad prædictum Textum Cornelius a lapide, qui per viam latam animas ducunt, & laxis doctrinis inſtituunt.

Qui igitur hanc incorruptam Evangelicæ moralis doctrinam ſectantur, hi habendi ſunt pro Doctoribus, & Magiſtris: Econtra, qui ab illis normis, & regulis recedunt, aliamque viam propriorum ingeniorum, & inventionum hominum ineunt procul ſunt fugiendi tamquam falſi Prophetæ, & Pſeudomagiſtri.

Totum hoc exprimitur oraculo illo, cordibus altè figendo, Spiritus Sancti *Eccl.* 12. 11. *Verba* ſapientium ſicut *ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per Magiſtrorum Conſilium,*

filium, data sunt a Pastore uno. His amplius Fili mi ne requiras. Faciendi plures libros non est finis. Ex quo oraculo tres colligimus caracteres, ut dignoscere possimus, quosnam libros legere debeamus, quales Doctores pro Magistris habeamus.

1. Scilicet quod contineant doctrinam, quæ animum pungat, ac quasi stimulus, & clavus animam, & passiones vulneret, & crucifigat. Si cujus igitur, ait S. *Hieron.*, sermo non pungit, sed oblectat, linit, & lenit, non est sermo sapientiæ. Porrò verò non pungunt, nec vulnerant doctrinæ, quæ aut destruunt omninò, aut enervant præcepta dilectionis Dei, & proximi; Præcepta eleemosinæ; mansuetudinis; humilitatis interioris, & spiritualis hominis, & alia hujusmodi amovent, emoliunt nedum, sed fermè tollunt: quare nec inter sapientes censendi, sed inter fallaces Doctores.

2. Signum veræ doctrinæ est, quod descendat per Magistrorum consilium, videlicet per traditionem SS. Patrum, qui verè Magistri meritò appellantur, quod Christus Dominus Ecclesiæ dedit Doctores, ut ait *Apost.* 1. *Cor.* 12. 28., & sicut non omnes Concionatores tamquam Apostolos audire debemus, si ab Apostolorum doctrina, & vigore concionando deficiant, *numquid omnes Apostoli*? ibi v. 29. ita non omnes censere debemus Doctores, si quæ non pungunt, scribant: *Numquid omnes Doctores*? Hinc quam insipiens sit trita cogitatio quorumdam vulgarium Moralistarum, dicentium *scriptum est*; *typis mandatum est &c.* Eos monet Vincent. Lirinens. in Commonit: etiam a Diabolo dictum fuisse Christo; *scriptum est*, eum tentando. An ignorant errorem librorum esse *tentationem populorum* ut ipsemet Vincentius monet? Tentat vos Moralistas Theologos error librorum; Deus vero permittit errores, ut probet num regnet in nobis spiritus Evangelii, aut spiritus laxitatis, & amoris Mundi.

Censendi non sunt sectatores PP., & Magistrorum consiliorum hi auctores, qui docent doctrinam morum non a Patribus, sed a Recentioribus esse addiscendam; veluti si Priscorum tempora despexerit Deus; nullas moralitatis regulas Ecclesiæ reliquerit, sed sinerit unicuique pergere in vias suas, sivè in vias perversitatis, & corruptionis; quod biasphæmum esse, nemo non agnoscit.

Hanc

Hanc audacissimam opinionem horrent jam omnes audire, sed suspicioni remanet locus, ex praxi quorumdam, qui parum, aut nihil defferre PP. in suis decisionibus videntur; aut se pares illis esse satis se produnt, dum licet non dicant quod impius Berengarius: *Ita PP., ego autem non sic*; nihilominus, testimonium SS. PP. nullum proferunt; dum quæstiones pertractant solos scholasticos, & casuistas consulunt, & evolvunt; quid sentiant PP., quid Canones; quid Divina Scriptura, modo quo a Patribus explicatur, doceat, non investigant. Quod si in aliquod testimonium PP. offendant, quod suis opinionibus contrarium sit, prestò eis est responsio: PP. non sunt locuti *disputativè, & quæstionaliter*. Reliquiæ sunt hæ barbariei Scholasticæ dum Averroem pro Petro habebamus, & Aristotelem pro Christo, ut lepidè ajebat Anastasius Sinaita; objecto etenim nobis textu, aut Scripturæ, aut PP. non ignominiosum putabamus respondere *Textus non loquuntur speculativè*. Et res finita erat.

3. Signum falsitatis doctrinæ est summa varietas, & dissentio inter Libros, & Auctores. Cum etenim recedant ab uno Pastore, ab uno Magistro, varias esse opiniones opportet, juxta varia hominum ingenia, & indolis diversitatem. Hanc diversitatem in morum doctrinis, non est invenire in PP., in Canonibus, in Decisionibus Ecclesiæ, quorum spiritus idem, & constans; eadem principia; eædem decidendi, & deffiniendi regulæ. Hæc uniformitas principiorum, & regularum hoc operatur, quod tametsi forent infiniti libri, sicuti permulti sunt, sivè PP. sivè Canonum, tamen ad unum reducuntur; sivè ad unam doctrinam, quæ dimanat a *Pastore uno*. Multi autem sunt, & infiniti hi, qui recedentes a Pastore uno, a consilio Magistrorum in diversa ruunt. Audiamus D. Augustinum in Prologo *Retractat.* „ Magistros plures tunc fieri „ existimo, cum diversa, atque inter se adversa sentiunt. Cum „ verò id ipsum dicunt omnes, & verum dicunt, ab unius „ veri Magistri Magisterio non recedunt. Offendunt autem non „ cum illius multa dicunt: sed cum *addunt sua*. Sic quippe „ incidunt ex *multiloquio etiam in vaniloquium*.

Exceptis igitur iis libris, qui hanc ab uno Pastore per Magistrorum, sive PP. consilium descendentem doctrinam continent, minimè legendi sunt cæteri, nisi ut impugnentur, & eorum errores detegantur, (Provincia foret immensa) & a vul-

vulgaribus, junioribusque studiosis dignoscantur.

Si fas est cujusdam *Animadversoris* imaginationem producere id libenter faciam. Is est, quem in Epistola ad Lectorem insinuavimus: Comparat hic Vir Probabilismum volumini volanti *Prophetæ Zac. cap.* 5. ostensum. *Volumen volans*, quod parvo temporis spatio, ut notat *Terillus* crevit in immensum. Cum autem nullo pondere Divini Verbi, traditionis, Conciliorum, & Canonicarum decisionum grave fiat, rapitur quaqua versum, & circumfertur *ab omni vento doctrinæ ad circumventionem erroris*. ad *Ephes.* 4. 14.

Sed cur SS. Pontifices bonos, a malis libris non secernunt, ut sciant Greges quo pasculo uti possunt?

Vulgaris hæc, & importuna investigatio Evangelio præveniri poterat. Cur Dominus campi non permisit zizaniam colligi, & a tritico separari? *Sinite utraque crescere*, identidem tamen Summi Pastores in libros, & doctrinas animadvertunt; sed *scribendi libros non est finis*. Vix unus damnatur, & tamquam ex septa pisce, de quo Plato in convivio scribit, quod abscissus in partes multiplex evadit, veluti ex potato Palmite plures assurgunt in ipsius deffensionem, & ut sartam, tectamque servent sententiam interpretarionibus emolliunt: Auctorem, quo nollet trahunt; aut distinctiunculas comodant.

Vetatum fuerat tempore *Clem. VIII.* nequis de auxiliis interim scriberet: sed inquit quidam Scholasticus *ego non de auxilijs scribo sed de gratia*. Prohibuit idem SS. Pontifex inhærendo Tridentinæ decisioni absolvere a reservaris; sed facilimum fuit has sanctiones venerabiles eludere unica vocula *directe*; & ita relicto spiritu legis, & voluntate, nimirum ut graviora crimina majoribus Sacerdotibus reservata, difficilius admitterentur, effecerunt ut nullam, aut fermè nullam vim obtinuerint leges illæ.

Prohibent Canones Clericis mercimonium, ne Sæcularibus negotiis, & curis se immisceant, ut Deo libera mente militare valeant. Sed moralis facultatis vastatores modum invenerunt, quò cortex literæ frangeretur, nimirum *per se, & & immediate non licet*, bene vero *per alium*. Caveant Pontifices exprimere etiam *per alium* in singulari, nam statim nonnullus dicet, scribetque non licet *per alium*, bene tamen *per alios*. Id risu non excipiatur: Ipsemet audivi dum edita a f. r. *Bened. XIV.* Constitutione, quà Canonum vigorem excitans,

citans, vetavit commercium, etiam *per alium*, quidam Theologus, qui Constitutionem non viderat, eam distinctiunculam *per alios* statim invenit, & expuit.

Hujusmodi praxes enascuntur ex occulta hominum superbia, qua nolunt propriam inbecillitatem confiteri; qua re firmam cum velint propriam sententiam, eludunt SS. Pontifices, & Conciliorum decisiones, a quibus cum appellare non possint aperta fronte, latibulis tegunt opinionem propriam, dummodo vivat, & vigeat.

Pro examine Moralium Auctorum, optimum judicaverim in rebus, quas pertractant, pertinentibus ad legum observantiam; ad peccati rationem; ad exercitium virtutum, conferendos esse cum libris, & Auctoribus Asceticis, qui de specialibus virtutibus agunt; nec etenim dignosci potest peccatorum qualitas, & malitia, nisi agnità prius virtute, cui peccata opponuntur: Irrident eruditi examina, quibus subjiciuntur hi, qui officium Parrochi, aut Confessarj desiderant, si nimirum præcisè interrogentur de Sacramentorum, contractuum, aliarumque rerum deffinitionibus, & partitionibus. *Quid est*, *quotuplex est*: hæc facilimè memoriæ mandantur. De virtutibus, & actibus eis oppositis interrogandi sunt, & probandi, ut indè venari possint actionum malitiam, eique remedia adhibere.

Non me latet familiare effugium, quod scilicet virtutum quarundam acquisitio, & aliquorum actuum fuga, ad perfectionem pertineat, non verò ad ordinariam vitam Christianè transigendam. Sed advertant necesse est, unam virtutem numquam sinè alia in anima esse posse, quod omnes ad unum tendant nempè Deum, cui unire cor intendunt; ad discrimen peccatorum, quæ cum ab uno evellant, & in plura cor dispergant, numquam simul omnia coexistere possunt. Quare exercitium charitatis, fidei, spei, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, & similium omninò neccessarium est; minime autem gradus sublimiores; tametsi conari unusquisque teneatur, ut ad perfectionem perveniat, dicente Domino. *Estote perfecti &c.* quare etsi acquisitio perfectionis sub præcepto non sit, tendentia autem, & conatus sub præcepto cadit. Quemadmodum docent PP. præcipuè Augustinus, Chrisostomus, Basilius, Angelicus, cæterique omnes.

Tandem legendi sunt maximo cum timore libri, in quorum sententiam, vel Sectam animadverterunt Pastores.

Cum

Cum etenim Deus eis utatur, tamquam præcipuis organis, & instrumentis, quibus patefaciat suam voluntatem, verisimile non est, velle permittere, ab his falsa promulgari, in his maximè, quæ mores concernunt, & ad greges suos dirigendos sunt necessaria; aliter aut Populi ad inobedientiam erga Pastores tenerentur; aut ad falsa, & animæ perniciosa sectanda cogerentur; Quod indignum est, velle etiam suspicari.

Si quis erudiri optet, quemadmodum omnes velle debent, adeat Patutium sub finem in opere, cui titulus *Della Regola prossima ec.*

Quid dicendum de his Auctoribus, qui aliquas defendunt, & promovent sententias, quæ tamen e regione pugnant cum eorum principiis, sivè fundamentis propriæ Sectæ? Sit exemplum in pluribus, qui Probabilismum pro aris, & focis propugnant, cum tamen regulam illam *melior est conditio possidentis* a foro conscientiæ amandant; adoptant verò aliam Canonicam *in dubiis semitam tutiorem inire debemus*. His autem constitutis necesse est corruere Probabilismum; atque adeò si constantes sint, removendi sunt a Catalogo Probabilistarum.

Siquidem si in dubiis viam tutiorem sequi debemus, nec decidi potest in favorem libertatis, ajendo *legem in dubio, non adesse*; *non esse legem*; *non habere vim obbligandi* &c. necesse est afferant, quod qui sequitur opinionem probabilem contra legem, *non operatur prudenter*; *se exponit periculo peccati formalis*; *non laborat ignorantia invincibili legis, si forte adsit*; & consequenter nedum corruit Probabilismus directus, sed & etiam reflexus, cum regulæ reflexæ, quibus fulcitur nullum habeant fundamentum. Quid igitur de his dicendum?

Non injustè dixit Animadversor citatus, eam sententiam, sive Sectam esse *volumen volans* (a) circumlatum *omni vento doctrinæ*. Principia illa minimè solida sunt; versatilia sunt, & inanem commonstrant laborem, & studium, quibus aliquam decidunt quæstionem. Da Probabilistam dicentem: *ea regula, melior est conditio possidentis, pro foro conscientiæ, modo a nobis explicato, falsa est*: Da opugnantem *in dubiis via tutior*: da

(a) Zac. c. 5.

da probantem usurarium contractum *trium* &c. Verbo : da Probabilistam decidentem : *Hoc non licet* .

Si advoces ipsius norm is , Postulata , & Canones . *Probabile est quod docent Auctores classici* : Auctores classici asserunt valere regulam *melior est conditio* &c. non obbligare aliam *in dubiis via tutior* . Licitum , & minimè usurarium esse *contractum trium contractuum* : *Hoc licet* , &c. igitur hæc omnia licite possunt adoptari , quia qui sequitur quod docent Auctores classici est solidè probabilé . Quod solide probabile est , prudenter sequi potest , Igitur &c. . Si inquam eas regulas , & normas advoces , inaniter negant eam regulam ; inaniter laborant in dubiis decidendis , stultoque labore consumantur ; cum , post tam acre studium , simet affirmare cogantur licitum , honestumque , quod summa ingeniorum vi probant illicitum , & turpe . Si hæc vera sunt, ut vera esse vel cæci vident , sagax , & prudens lector manu tangit , quantum eis fidere possit . Seligat quod bonum est in eis ; principia evitet , ne quod in aliis reprehendit , ipse ut bonum amplectatur .

Advertere ibi juvat : quod cum sibi ad arbitrium eligere Confessarium , res sit favorabilis Episcopo , concurrentibus pro hoc favore quinque Cardinalibus , si *Greg*. XIII. tutum putasset sequi opinionem æque probabilem , & tutiorem sequi minimè esse de præcepto , utique permisisset Episcopo , ut quæstionem finisset; sed oppositum declaravit ut supra dicebamus.

C A P. IV.

De utilitate , aut pernicie illius Regulæ in foro conscientiæ .

TRitum , atque in ore omnium positum est , illicite nos operari dubio prius non deposito . Dubium autem ponere dum hinc inde æqualia motiva nos premunt , temerarium est , & irrationabile . Qua namque ratione uni inhæremus parti , non alteri si utrinque vis æqualis est momenti , & multoties major pro ea parte , cui contradicimus electione , & facto ? Cum nulla supervenit ratio stabit pro ratione.

tione voluntas. Hæc agendi ratio abusus est, & juri unius partis injuriosa. Si arbiter uni contendentium parti, rem adjudicet, dum jura paria sunt, injustitiæ merito damnatur; & eo magis, si partis, cui favet, minus jus ostendat, & motiva invalidiora.

§. I.

Num utilis sit aliquibus ea Regula.

Regula igitur quadam uti debemus, quæ rationi sit consentanea, & sufficiens ad mentem convincendam, ut dubium ponat, & prudenter operetur.

Hæ porro Regulæ, quæ ad dubia solvenda adhibentur certæ esse debent, & patulæ omnibus, vel fere omnibus, quandoquidem omnibus sua emergunt dubia; singulis proinde necessariæ sunt Regulæ, ut a dubiis liberentur, & viam securam, ac morum certam sequantur. Hujus generis sunt Regulæ: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: *Pauperibus subveniendum*; *neminem lædendum*; *nihil agendum temere*. *In dubiis via tuta*; & aliæ bene multæ, quæ perviæ sunt, & a quocumque dignosci illico possunt, si sine præcipitatione, & rationis usu legitimo procedat, atque conscientiæ dictamina audire velit.

Hujusmodi autem non esse eam Regulam *melior est conditio possidentis* pro foro conscientiæ, & extra rem justitiæ tam evidens est, quam quod evidentissimum.

In Fori Judicio Regula quidem illhæc sacra, & utilima ab omnibus agnoscitur. Amor propriarum rerum conservandarum nos tenet, ne de facili eas dimittamus habentes, concedamusque poscenti, si non ipse nobis evidens faciat, suum esse quod postulat. Quia vero unusquisque facile sibi blandiri potest, rem esse suam, & actoris probationem evidentem minime esse, quilibet dignoscit necessariam alicujus Superioris Jusdicentis auctoritatem, & sententiam; quæ cum passim publica sit, & populo pervulgata, transit in rem judicatam; & vulgo etiam, notissimum, quod *melior sit conditio possidentis*.

Accedit: unicuique notissimum esse, non teneri nos ea magis curare, quæ alterius sunt, quam nostra. Si igitur rem poss-

possidemus, eam retinere tuto possumus, nullo modo solliciti de Actoris jure investigando; atque adeo ipso naturæ lumine pervium fit unicuique, actoris onus esse sua promovere jura. Oppositum omnino contingit in foro conscientiæ extra materiam justitiæ, ut evidentissime demonstrare promittimus.

Consueverunt homines, vel etiam rudes, in suis Colloquiis, uti comparationibus; vivimus enim exemplis magis, quam doctrinis. Jam vero si utamur exemplo, aut exemplis similibus. *Heri erat dies Jovis non tenebar abstinere a Carnibus: nunc dubito: igitur est dies Jovis, nec abstinere teneor, quia melior est conditio possidentis*. Mori velim, si vel unus inter homines certo affirmaturus sit in dubio illo, adhuc esse diem Jovis: Rem exemplis promissis prosequamur. *Heri navis salva erat: nunc exorta tempestate dubito: igitur salva est: Heri febri non laborabam: nunc dubito: igitur febri non laboro*. Si patulum est in aliis ab justitia materiis, *meliorem esse conditionem possidentis*, concludendum foret, & navim salvam esse, & hominem sanum febrique carere. Sed hominem nisi insanum invenire non erit, qui eo modo concludat. Clarum igitur non est meliorem esse conditionem possidentis in aliis rebus, quemadmodum opporteret esse, ut unusquisque regulam certam haberet, pro dubiis decidendis, & præcipue quando insurgunt, & tempus non habemus adeundi consultores optimos, qui certe rarissimi sunt; nisi optimos dicere velimus eos, qui quod legunt adoptant, ea insulsissima cautione, *scriptum est, a superioribus permissum Typis mandari: igitur hoc, & illud licet*. Quod si verum foret, utrumque contradictorium licitum, & vetitum permissum foret.

Oppositum vero contingit in his, quæ certo possidemus; omnes enim facilime assensum præbent huic discursui *heri possidebam licite domum nunc eam possideo sicut heri, cur ea spoliabor? cur teneor alteri dare?*

In hoc etenim, aut simili ratiocinio proceditur a certo ad certum, nimirum a certa possessione præterita ad non minus certam possessionem præsentem; cum per dubium de jure, in dubium non adducatur possessio.

In aliis vero materiis proceditur a certo præterito ad dubium præsens, ut constat in exemplis adductis quorum fallaciam vel rudes persentiunt.

Quare qui non credit dicenti *heri non pluebat: hac nocte dubito:*

dubito : *igitur nunc non pluit* ; nec credet ajenti *heri erat dies Jovis* non tenebar *abstinere a carnibus* ; *nunc dubito* : *igitur non teneor* . Quod autem utile est , & necessarium ad dubia resolvenda , tale debet esse , ut mentem ad firmum judicium sollicitet , & sua luce veluti cogat .

Patroni hujus Regulæ, non inficiantur motiva directa dubium patientia , non sufficere ad dubia conscientiæ solvenda , idcirco invenerunt motiva reflexa , quorum potissimum existit ea Regula .

Verum sciscitamur, num sufficiat, ea verba promere, *melior est conditio possidentis* , ut quis secure dubium solvat , & licite agat id , de quo , ob motiva directa dubitabat , antequam ea verba expueret , an ulterius requiratur , quod per eam Regulam , nova ratio adducatur , & mentem illuminet , convincatque , dubium illud esse imprudens , atque adeo repudiandum , & expellendum ? Primum certe non affirmabunt , nisi velint jejunis , & sterilibus verbis dubia mentis resolvi . Igitur secundum affirmare coguntur; sed quæso, quæ nam ratio inest huic regulæ ad persuadendum, quod nunc *sit dies Jovis, navis sit salva* , *febri caream* , quia heri ita res se habebat ?

Insuper hæc moralis libertas , sive licentia operandi per ipsum dubium in dubio ponitur , ut infra exponendum erit ; quin & ipsamet Regula ab Auctoribus utriusque Sectæ in dubium revocatur, ut supra commostravimus ; ac denique ipsa doctrinæ novitas aperte demonstrat , quam suspecta esse debeat hujus Regulæ praxis ; nam ante epocam Reflexistarum , sine usu hujus Regulæ vivebant homines , & dubia eadem insurgebant conscientiæ ; aut igitur operabantur in dubio , & peccabant , aut sine ea , dubia deponebant . Et demum si absque usu istius Regulæ , aliarumque *reflexarum* , subsistere non potest Probabilismus directus , nullus fuit Probabilista veri nominis , ante ortum harum Regularum ; nisi dicere audeamus , quotquot erant Probabiliorismi osores , omnes peccasse in eorum opinionibus , consiliis , directionibus , & sententiis , eorumque pœnitentes , & consilia petentes , a cœcis in foveas præcipites fuisse dejectos .

Tandem familiare est Probabilismi fautoribus , ignorantiæ notam inurere Probabilioristis , ut L. Sectanus canebat contra Norisium , sive Cl. Corsinum . Non omnes igitur calent Probabi-

babilismi mysteria, & reconditas doctrinas; Ita fit ut volunt, cum omnibus sua dubia occurrant, non nisi doctissimi, atque versatissimi poterunt rite, & dubia solvere, & tuto operari in sequela opinionis probabilis. Jam vero ignorantia ex octo orbis partibus, septem cum dimidia, occupat, ut recte Molines ex Protestante Ministro Catholicus factus anno 1752. in Epistol. ad amicum. His igitur innumeris ignaris inutilis erit ea Regula.

Sed a numero eruditissimorum illorum demamus necesse est Philosophos generatim, Medicos, Mathematicos, Juristas, aliosque, qui cæteroquin inter doctos sedem habent, sed Probabilismi mysteriis initiati non sunt. Demamus etiam ab illorum Catalogo Theologos permultos rurales, qui solis Summis moralibus, in rebus gerendis utuntur, aliosque urbanos illis similes, paucissimi erunt, quibus Probabilismi ea lux affulgeat, ut semitas tutas ingredi valeant in re morali. Probabilioristas jam exceptos habemus: Quid inde fiet? Cum pauci sint, qui rigori evangelico suas doctrinas, moresque accomodent, majorque hominum pars latam ingrediatur viam, soli Probabilistæ insigniores, qui paucissimi sunt, suis doctrinis, quas Viri eruditi laxiores appellant, Evangelio inhærebunt, fietque insigni metamorphosi, ut laxior doctrina tutior evadat.

Sed cum ex Probabilistis, longe majore numero sint, qui hanc regulam non examinant, sed stupenda securitate ipsam jure, & injuria, opportune, & importune expuant, fiet etiam eos ex insignibus istius Sectæ, aut demi necesse sit a numero eorum, quibus utilis est ea Regula, aut incautos traducendos sicuti & cæteri.

En candide Lector, quid tandem sit, & quibus prosit Regula istæc solvendorum dubiorum. Est siquidem inextricabile, impervium aliis mysterium; Probabilistis, hisque paucis amicum; cæteris insulsum, inutile, & perniciosum principium, ut exponit sequens Paragraphus.

§. II.

§. II.

Num potius perniciosa judicanda sit.

Id quidem affirmamus, non eo solo titulo, quod falsa sit, ut contendimus, sed quia laxitatis etiam maxima occasio esse potest. Quid laxius, quam si nobis persuadeamus in dubiis posse nos agere quidquid maluerimus? id porro ab ea regula persuaderi auctor est Fagnanus in *cap. ne innitaris num.* 182. illis verbis: *Hæc Theorica libere profitetur, licitum esse operari cum conscientia absolute dubia, contra manifestum sacrorum canonum testimonium; & contra maximam Theologorum, & Canonistarum sententiam*. Spargatur in vulgus hæc doctrina *universim licitum est exorto dubio, quod immediate ante dubium licitum erat*, quod totum significat regulæ usus, quid inde fiet? velim serio hæc meditari.

Amor ille propriæ libertatis, qui universum, qua late patet orbem, inficit, refugit, & execratur, quidquid arctat, & limites præligit sensibus ad malum pronis. Quid porro facilius quam putare acturos homines in dubio, quod libertas, & mundana concupiscentia desiderat? Amandanda procul esse, pronum erit judicare, dubia tamquam scrupulos: cautela, & vigilantia Christiana reputabuntur, vel angustiæ Anacoritarum Sylvestrium hominumque, qui extrema petentes, jugum suave, & onus leve asperum, & importabile efficiunt. Hæc sunt solitæ cantiones amatorum Mundi, quas spiritualibus viris canunt, dum veritatem Evangelici rigoris audire contingit.

Intelligant mundani semel, a viro probo, & docto licere in dubiis, quod ante dubium exortum licebat, quid in comerciis eveniet, quid in conviviis, conversationibus, amicitiis, aliisque occupationibus, quæ solatia juventutis appellantur? Quodnam erit frenum ad continendam linguam, oculos, manus, cogitationes, ceteraque Mundi, Dœmonis, & Carnis amica instrumenta? universum fiet, murmurante conscientia, quod ea silente fiebat.

Verum enim vero non multum discriminis invenire est has inter propositiones, *licitum est in dubiis agere contra legem, seu operari id, de quo dubitatur, an aliquod peccatum sit nec ne; adest libertas, sive moralis licentia illud faciendi*: Synonima

pror-

prorsus videntur. Exorto itaque dubio, tuto operabitur, quis dicendo, dubito quidem, sed in dubio mihi licet agere.

Cautellas quidem præfigunt melioristæ, ante quam quis operetur, & præcipue diligens examen. Verum quæ ipsi docent facienda, & probi faciunt, observabunt ne multi? Demus verum esse, quod falsum est, nec aliud conamur suadere, nimirum post diligens examen, posse licite exequi opus; indocti, rudes, proni ad vitia, id efficere poterunt, aut valent? aut has regulas examinis diligentis ignorant, aut facile sibi persuadebunt adhibuisse. Vix animæ præstantes debite ad hoc examen exactum perveniunt, semperque percelluntur timore illo, omni securitate expetendo, ut loquitur Sanctus Augustinus: Quid fiet in rudibus, in proclivibus ad vitia, & laxitates?

Id quod remoratur homines, ne agant in dubiis, est remorsus conscientiæ excitantis timorem peccandi, qui remorsus originem trahunt a motivis proponentibus legem, at si modum suppeditemus explodendi remorsus, & præfocandi timorem, dicendo, *dum dubitas de peccato tibi libertas est agendi, quod facere poteras, antequam dubitares*, nescio quo ituri sumus, quo tandem ducet cæcus amor in præceps.

Pejus adhuc timendum, si is, qui hanc regulam addiscit, (addiscet autem facilime) agnoscat privilegia ejusdem: nimirum Dei onus esse Actoris, jura sua patenter probare, hominem vere possidentem ad examen minime teneri, sed posse tuto exercere suam libertatem, quemadmodum ante dubium poterat, evidentissimum fit nullo repagulo opposito, ruiturum, & facturum in dubio, sine ullo examine, quod fieri poterat, utique ante examen, nullo pulsante dubio, conscientiam. Quid sperandum in officiis parentum, uxorum, filiorum, servorum, quoties dubitaverint, num voluntati superiorum, respective, suis in operibus opponantur? si eam calleant regulam, ibunt, facient quidquid maluerint, tametsi gravibus motivis ex una parte acti naturalis, & spontaneus exurgat timor, ne aliud faciant a voluntate Patris, Mariti, & Domini. Sibi imputet pater, sibi Maritus, sibi Dominus, si non patenter significaverint animi voluntatem, nolle nimirum hanc a me frequentari domum, hunc colere amicum. Dubito quidem, & quidem prudenter, sed meam cohibere libertatem non teneor, faciam igitur quod faciebam, antequam indi-

indicia, ob quæ dubito præbuerit, se nolle. Nec aliud innuunt, qui docent, in dubio mediæ noctis Veneris, posse dubitantem vesci carnibus, si namque melior est conditio possidentis libertatem comedendi, penes Ecclesiam erit, clamante præcone, vel alio modo potentiore, quam per horologia mediam noctem annunciare. Quemadmodum actoris est, patenter ostendere suæ proprietatis jura. Sed sicuti filius, uxor, servus debitam loederent in suos superiores reverentiam, & obedientiam, si dubitantes facerent, quod forte ab illis prohibetur, & merito pater, Maritus, Dominus conquererentur, digneque, & juste exprobrarent, irascerenturque ita dicendum de Deo, & Ecclesia, in eos, qui dubitantes, prætextu propriæ libertatis, opus aggrediuntur, quod forte vetatur, animadvertent: *Bene præcipiunt, inquit Cicero, qui vetant agere quidquam, quod dubites, an æquum sit vel iniquum. Dubitatio cogitationem significat injariæ*.

Si ex his, quæ nobis contingunt, rem pensare vellemus, manifestum fiet, superiorem merito, & jure irasci adversus subditos, qui ita dubii, de ei injuria irroganda, nihilominus periculo se exponunt.

Nihil porro juvat asserere injuriosum esse superiori eum, qui perseverante dubio ageret, secus vero si illud deponat. Ad illud autem ponendum mirifice prodest regula: *melior est conditio possidentis*; nihil inquam juvat, siquidem id non est solvere dubium, sed, non obstante, dubio velle operari, sive injuria irrogetur superiori, & legi, sive non; quandoquidem quid est hoc, nisi dubium solvere velle, operando in dubio, affirmareque *in dubio possum; mibi licet operari*.

Explicemus idipsum: dubito, an sit mihi licitum vesci carnibus, consequenter an possim, an habeam hanc potestatem: Hoc dubium quomodo solvitur? Solvitur asserendo, quod possim, ac per hoc ipsum, quod possim, possum, si igitur in dubio habeo potestatem, & possum, quia habeo libertatem, seu potentiam faciendi, manifestum fit verum esse, quod possim in dubio operari. Quod est contra omnes Theologos, & Canonistas, ut ajebat Fagnanus.

Recta, & vera dubii solutio, petenda est ab aliqua ratione, & motivo, quod non ingrediatur dubium. Si a ratione, & motivo eodem, quod dubium causat capitur, perversa est agendi ratio. Si in dubio occasionato ab horologiis publi-

publicis solvere vellim dubium, eo quod sint horologia, peto principium, & assumo ad judicandum id, de quo litigatur: solvam autem si adveniat horologiorum moderator, dicatque horologia illa defectuosa esse, quod nonnihil damni passa sint in rotis. In casu nostro dubitamus, an possit carnes comedere, & dubium solvere dicendo, quia in dubiis possum, cum nimirum melior sit conditio possidentis libertatem, idest potestatem faciendi. Aliud, ad summum non est nisi praxi asserere de dubio non curo, & agere volo.

CONCLUSIO.

Regula pro moderandis conscientiis, solvendisque dubiis debet esse obvia, utilis, & minime noxia. Regula illa Melior &c. *nec obvia, nec utilis est, sed potius noxia, cum viam aperiat licentiæ operandi in dubiis sine vera dubii solutione; igitur*

CAPUT V.

De istius Regulæ existentia pro foro conscientiæ.

AD præcipua motiva proponenda accedimus, quibus ablegari debeat, hæc regula a foro conscientiæ, in materia aliarum virtutum, ab justitia. Et primo quidem quærimus.

§. I.

Num pro foro conscientiæ asseri possit hanc legem existere.

Causam hic investigamus efficientem, qua remota certissime removetur & legis existentia. Jam autem ostenditur hanc causam non existere. Cum lex sit ordinatio rationis in eo, qui curam habet communitatis, manifestum est legem di-cen-

cendam non esse, quæ a superiore non manat in inferiores. Porro autem nullus est Superior, qui legem ferre possit in Deum, nec Deus illi subesse potest; subesset autem si aliqua lex posset ipsum tamquam actorem non plene probantem, repellere a tribunali conscientiæ, quemadmodum putamus fieri, dum suborto dubio, decidendum esse arbitramur, contra Deum, & in favorem hominis possidentis libertatem.

Res fit manifesta in foro judicii, in quo ideo pronuntiat Judex, in favorem Possidentis, & in odium Actoris: quia tam Actor, quam Possidens inferiores sunt, & subditi legibus, & legislatoribus, nimirum Principibus, & Judicibus; sententia namque non fertur, nisi in subditum. Igitur si Deus subditus non est, in ipsius odium esse non potest lex: *melior est conditio possidentis*.

Osius Episcopus Cordubensis, apud Sanctum Athanasium, Constantium Imperatorem sic fidenter alloquitur: *Tibi Deus Imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Cave ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens magno crimini obnoxius fias. Date, sicut scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo. Neque, tu Imperator, potestatem habes Thimiamatum, & sacrorum*. Quid dicturus foret, si non de his, quæ ad Ecclesiam pertinent, sed immediate ad Deum, judicaturus præsumeret Imperator? Lex illa *melior est conditio &c.* lata est a Principibus, adoptata etiam ab jure Canonico; sed unice pro prædiis, domibus, cæterisque temporalibus rebus, pro hominibus hujusmodi res possidentibus; super quæ omnia jurisdictione potiuntur: minime vero pro his, quæ ad forum conscientiæ spectant; & minus pro Deo, quem nemo pejoris conditionis homine facere potest.

In foro exteriore Actor fit pejoris conditionis, punitur tamquam socors, & iners in custodiendis juribus suis, & tamquam noxius Reipublicæ. Fit autem possidens melioris conditionis, quod rem custodierit; bono publico consuluerit; & ideo præmio cumulandus, & commendandus. Verum in foro conscientiæ, qui jura sua defendit adversus Deum, & Legem, non nisi laudandus ac villicus evangelii laudatus quidem, ob carnis prudentiam, sed non desit esse *villicus iniquitatis*, qui præmium meritus non est. Certissime non meretur

retur Deus fieri pejoris conditionis, & odiosæ legi subiici. Hinc concludere necesse est.

CONCLUSIO.

Lex dicenda non est, & norma judicandi, quæ non dimanet a legitimo superiore in subditum. Nullus Deo superior, nulli Deus subiicitur igitur lex Melior &c. *lex non est, nec adhiberi potest adversus Deum Actorem in foro conscientiæ.*

CAPUT VI.

Cujus Generis legum sit illa Melior &c.

Lex humana ut justa sit, deviare non debet a lege naturæ, quæ est æterna ratio Dei in creaturas rationales derivata. Ea propter nihil præcipere potest, quod malum sit, nihil vetare quod bonum, futura secus legis perversio, & corruptio (a).

§. I.

Triplex legum genus exponitur.

De legibus quibusdam, quæ juri naturæ, e regione opponebantur, nihil dicimus; Antiquatæ sunt, & proscriptæ a lege Christi, & jure Canonico.

Inter eas, quæ obtinent, etiam apud Christianos, triplex genus legum humanarum invenitur; aliæ sunt, quæ legi naturæ conformantur, ut leges, quæ vetant homicidium, furtum etc. Aliæ sunt, quæ dicuntur præter jus naturæ, sive quæ vetant, aut jubent nonnulla, de quibus jus naturæ nihil disponit; ut non ferre arma, vectigalia solvere &c. Et aliæ tandem existunt, quæ plura permittunt, quæ a lege naturali prohibentur (b). Leges hujus tertii generis, Sanctus Augusti-nus

(a) S. Isid. 1. 3. q. 96. ar. 5.
(b) Dialog. cum Evodio.

nus appellat, bonas ad regendas civitates; quia nimirum valde conducunt ad pacem fovendam inter membra Reipublicæ; ad atrociora crimina præcavenda. Uno verbo ad bonum commune promovendum, vel constabiliendum.

Aliqua afferamus exempla: lex *minoris* permittit ementem, rem tuto vendere dummodo læsio vendentis non attingerit dimidium valoris. (a) Si namque, ob quamcumque læsionem, læso daretur actio, tot erunt lites, quot contractus; cum fere in omnibus contractibus, alter contrahentium lædatur.

In foro tamen conscientiæ sic lædens rem retinere non potest, aut saltem læso satisfacere debet.

Lex *nec in ea &c.* permittit Patri, & Marito respective, occidere filiam, uxoremque deprehensam in flagranti adulterio, (b) idque ne societas conjugii, quæ prima est, & filiorum, quæ proxima, violetur; discordiæ domesticæ grassentur; heredes sint incesti. Hoc tamen immane facinus lex naturæ detestatur. Hujusmodi sunt leges, quæ Meretrices permittunt, ne urbes adulteriis repleantur, sicuti fætore repletur navis si sentinam auferas, ut loquitur S. Augustinus (c). Remedium, fortassis, malo pejus, de quo disputat Chanocherius in Tacitum.

De his omnibus legibus, dici potest, quod de lege permittente occidi violentem stupratorem, ajebat S. August. *Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici; sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio; cum pudicitia virtus sit in anima, quam nullus violentus eripere potest.*

Hic animadvertere juvat, falli eos qui opinantur, universim debere esse idem judicium in utroque foro, *quando forum externum non innititur falsæ præsumptioni*; (d) siquidem relatæ leges nulli falsæ præsumptioni innituntur, cum tamen quod licitum, & permissum judicat forum externum, injustum, & iniquum judicat interius.

Docent

(a) l. minor. cod. de rescindenda vend.
(b) l. 2. *Nec in ea* l. leg. de adult. l. Grac. cap. 20.
(c) lib. 1. de lib. cap. 5. sive n. 13.
(d) Viv. op. 2. quæst. 3. a. 1. n. 5.

Docent Probabilistæ, posse hominis mentem, prudentes judicare juxta opinionem minus probabilem, Judicem autem non posse, ultro fatentur: igitur quod non potest forum exterius, potest forum interius; cautiusque est illud ne justitia lædatur in rebus temporalibus, quam Probabilistæ in spiritualibus.

§. II.

Num lex ista ad tertiam legum classem pertineat, dubitatur.

Lex naturæ non approbat possessionem sine justo titulo acquisitam, cum potius jubeat unicuique suum reddendum esse; lex vero isthæc possidentem a possessione non removet, etsi sit injustus, donec actor evidenter probet, jus suum proprietatis. Quarè non semel innititur falsæ præsumptioni, quod nimirum possidens rem adierit justo titulo. Quoties autem lex falsæ præsumptioni innixa est, conscientia ei resistere potest; concordare namque utrumque forum necesse est, nisi in foro conscientiæ constet, quod veritas præsumptionis juris sit falsa; igitur si mihi constet, possidentem injustum esse, tametsi sit bonæ fidei possessor, potero rem clàm, vel aliter auferre ab eo; eo maxime si mihi evidens sit, sed probare non possim, tunc autem sententia utriusque fori conformis non erit. Ita magni nominis Benignus quidam.

Si porro, quod dicebamus, verum foret lex illa erit una ex his, quæ dantur *ad regendas Civitates*, quæ tamen cum lege conscientiæ non consonant, licet sint utiles ad lites compescendas, & discordias sedandas.

Quidam Auctor, quem suppresso nomine refert Van Espen, ita loquitur: *regula non habet vim ex lege naturæ, ex qua si procederetur, debitor dubius in bonis fortunæ teneretur solvere Domino*. Est autem iste Auctor ex melioristis. Putat igitur sola legis dispositione, non vero jure naturæ, possidenti accedere, jus possidendi.

Arbitrantur plurimi legem hanc præscindere ab jure, vel injuria; sed tantummodo, ne rerum jura incerta vagentur, reique steriles, & inutiles remaneant; conservare possidenti quod habet; conscientiæ uniuscujusque relinquens rem decidere. Quod si verum foret, regula vim nullam haberet in

foro

foro conscientiæ in materia aliarum virtutum, sed nec in materia justitiæ.

Majore adhuc numero sunt hi, qui docent debitorem dubium, tametsi possideat, teneri satisfacere ad ratam dubii. His nedum Probabilioristas accenseas velim, sed etiam benignos quamplurimos, aliosque qui interpretationibus hac illac trahuntur. Adrianus apud Castropalao docet possessorem dubium teneri restituere, quod etiam asserunt *Sotus*, *Ledesm.*, *Dragon.*, *Cordub.*, *Salonius* cum *Valent.*, *Thom.*, *Sanch.*, *Egid.*, *Coninc.*, *Vasquez*, *Azor.* aliique permulti; Ex quibus colligere est, hanc regulam incertam esse, etiam in materia justitiæ, si ad forum conscientiæ trahatur; adeoque in aliis materiis incertissimam; ut proinde a nemine, qui velit caute agere, nec patenti periculo animam suam, & aliorum exponere, usurpari debere, ad minus in materiis ab justitia alienis.

CONCLUSIO.

A foro exteriore in materia justitiæ fas non est ad aliam materiam in foro conscientiæ trahere regulam, quæ in Foro Fori etiam in materia justitiæ certissima non est: hujusmodi est ea regula melior est &c. *Igitur a foro exteriore ad forum conscientiæ in materia aliarum virtutum ab justitia &c.*

PARS

PARS SECUNDA

De origine, fine, causis, vi, & privilegiis hujus regulæ.

CAPUT I.

§. I.

Origo hujus regulæ panditur.

COnstitutum erat a decem viris, quod si possidens rem tradere actori detrectaret, actor, argumentis, aut testibus ad rei suæ proprietatem Judici comprobandam caruisset, ne actor nulla sua culpa ad rem recuperandam probationibus destitueretur; is poterat ternis diebus, sive nundinis, sive nono quoque die, clamoribus, & conviciis ante ædes possidentis rem suam flagitare; si autem reus fraudem suam obstinaret, jus erat actori, accitis secum sui clamoris testimoniis, domum intrare, & rem suam auferre. (a)

Quam foret obnoxia incommodis, periculis, & publicæ tranquillitati perniciosa, hæc methodus cognoscentes decem viri, aliis legibus constituerunt; quid super his agere deberent Judices, discreta omnino possessionis causa ab jure proprietatis, rem minime auferendam esse a possidente, usque dum Dominus, certis argumentis, rem esse suam palam faceret, sanxerunt. Hinc origo illius legis: *uti possidetis, ita possideatis*.

Dum autem causa obscura erat, & probationibus destitutus actor, ne quid sine aliquo solemni signo ageretur, pugnam actorem inter, & reum permittebat prætor, eique res adjudicabatur, cui sors victoriam obtulisset. Romani quidem ve-

(a) Gravin. de orig. jur. tab. 12. n. 70. deobvag.

vetusti, utpote rudiores, immites, more veterum Longobardorum, armis volebant causas dirimi. Hanc sævam agendi rationem imposterum abrogarunt Magistratus, formulam vero non omnino; siquidem ad Judicem collitigantes, gladiorum vice, festucis armati accedebant, atque vicitim, more militum, pugnabant, quod certamen dicebant, *vim civilem quotidianam, & festucariam, sicut & vim fieri moribus*.

Pugnam compescebat Judex pronunciando interim, rem esse debere apud eum, qui eam possideret; qua de re extat inter leges XII. tabularum ea: *si qui in jure manum conserunt secundum eum qui possidet* (a).

Si de fundo res esset, ne prætor negotiorum multitudine præpeditus, cogeretur, una cum litigantibus, adire fundum ut antea fiebat, quam profectionem prætorii, appellabant *ire in rem præsentem*, excogitarunt rationem, qua profectionis molestia sublata veterum judiciorum figura maneret; statueruntque, ut litigantes ad fundum accederent, & extractam inde glebam in judicium ante Judicem deferebant, ut per eam, quam *vindiciam* vocabant, causam diceret in fundum. Causam autem dicebat in favorem tenentis glebam, sive fundum possidentis, dum actor fundum, glebamque suam esse apertis argumentis non probabat, quod melior conditio possidentis videretur.

Ita se habebat vetus disciplina fori, cum judicia subtiliter, ac certis quibusdam formulis, agerentur. Ritus quidem illos antiquaverunt, sed præcepta addicendi rem ei, qui possidet, retinuerunt, usquedum petitor non ostenderet esse Dominum.

Hinc passim receptam esse eam regulam apud veteres jureconsultos scimus. Hanc etiam novimus adoptatam a jure Canonico, & speciatim ab Urbano VIII. qui pronuntiat *in pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis* (b).

Hæc porro regula, pro solo exteriore foro edita, vulgo ab omnibus dignoscitur, ne videlicet Judex sententiam pronunciaturus alterutri ex collitigantibus gratiosus videretur, reus proinde acceptionis personarum, cum non pro veritate, & æqui-

(a) tab. VI. 3. *de vindic.* de jure possess.
(b) l. 3. 6. §. 3. in fin. de testam milit. l. 8. §. de condit. obturp. caus. De Reg. jur. in 6.

æquitate, quæ utique dubia erant, sed pro libito uni præ altero, favens rem adjudicaret. Ut igitur in dubio reus potius juvaretur, quam actor, statuendum fuerat, ut res remaneret apud eum, qui eam possedisset, atque adeo videretur melior possidentis conditio. Interea ut controversiæ ex ordine dirimerentur, duplex judicium jusserunt fieri, *possessorium* nimirum, & *petitorium* data facultate alterutri ex litigantibus, primum de possessione disputandi antequam de dominio controversia institueretur, nisi utraque discussio, æque liquida esset, & probationes ad vincendum possessionem, una etiam, & dominium convincerent.

Imo cum possessio duplex agnosceretur, una quidem *juris*, quæ proprie *possessio* dicitur: altera *facti*, quæ *detentio* appellari debet, duplex quoque agnoscendum erat judicium, possessorium *ordinarium*, in quo *de possessione* ageretur, & *summarium* in quo de *detentione*, id autem totum in publicum Reip. bonum vergit, ne scilicet inter litigantes interea de possessione, veniretur ad arma, cædesque contingerent.

Fingamus enim vero litem institui de fundi proprietate, non uno momento poterat Judex sententiam proferre, & uni præ altero fundum adjudicare; nec statim poterat, si proferre voluisset, executioni mandare. Quare si publico decreto alterutri non fuisset adjudicata possessio, vi facta illico litigantes invicem obstitissent, in experiendis in fundo juribus, & quæ tunc fuissent in colligendis fructibus jurgia? Quæ in illis restituendis promptitudo? quæ in fundi cultura sollicitudo?

Hæc ratio fuit quare Prætorum interdicta prodierint, ita nuncupata, quasi *interea dicta*, id est, ut donec de dominio agitaretur quæstio, alteruter, ex litigantibus, possideret, ipseque fundum coleret, & fructus tuto colligeret, data fide de restituenda re cum fructibus a die motæ litis, perceptis, si victus in causa fuisset; seu si Judex declaravisset petitorem Dominum esse.

Duo præcipue *interdicta* eo spectant, quorum primum appellatur *uti possidetis*, alterum *utrobi*. Hoc aut simili forma exprimebatur *utrobi res est*, *ibi sit* quasi dices, & Prætor, penes quem res mobilis est, penes illum maneat, donec appareat, cujus sit ejusdem proprietas, & dominium.

Id explicamus exemplo: finge sextum habuisse a Cajo commoda-

modatam lancem argenteam, deinde agnovisse suam, quam Verres Sexto surripuerit. Tria in hac specie sunt distinguenda; nimirum *dominium*, *possessio*, *&* *detentio*, ut mox explicabitur. Sextus cum Verre litigat; Judex pronunciat in favorem Verris, usque dum Sextus probet furtum; furto probato, lanx Sexto adjudicatur, eamque possidendam acquirit; Cajus postea a Sexto eamdem in judicio petit. De possessione nunc non litigatur, sed de dominio, & proprietate, quoadusque dum Cajus evincat lancem suam esse, manutenet Sextum in sua possessione.

Et hæc quidem in foro fori statuenda erant, secundum æquitatem, & in bonum Reipublicæ, ut fusius imposterum exponemus. Est autem quod considerare liceat in rem nostram. Nimirum si nobis facultas est leges a foro fori ad conscientiæ tribunal adducere, quemadmodum leges favent latroni, ut detineat usquedum furtum manifeste probetur, immunes erunt a culpa hi, qui *veritatem Dei in justitia detinent*, usquedum certocertius convincantur, evidenterque dignoscant propriam Sectam falsam esse. Quæ autem absurda inde nascantur inferius investigabimus.

§. II.

Occasione data de libertate disseritur.

Cum de libertate, aut servitute agitur, si res dubia sit, primæva libertatis possessio homini ita opitulatur, ut propterea Dominus servi excidat a possessione. Expressa est lex in tab. 6. juxta Paraphrastem: *Si de qua re in jure apud Prætorem disceptatur, secundum eum, qui possidet, præter vindicias dato, excepta liberali causa, in qua secundum libertatem Prætor semper dato*. Jam vero homo liber nascitur, atque leges sunt, quæ ipsum ad servitutem adigunt, igitur cum de dubio legis agitur in ea sua libertate asseri necesse est, quæ est basis doctrinæ Melioristarum.

Enucleatius hanc difficultatem sumus in principio tertiæ partis explanaturi, utpote quæ potior sit arma, qua melioristæ propriam ut probabilius judicatur, defendunt sententiam, illudque sit principium cui Thomas Hobbes, suum sistema super-

perstruxerit. Ut rem vero minime intactam dimittamus, quid sit servitus, quidve libertas ilthæc sit, explicemus oportet.

Servo Liber opponitur, & servituti libertas. Servi dicebantur olim, qui sui juris non sunt, sed alieno dominio subjiciuntur, hi autem erant hujus infimæ conditionis, qui cum jure belli possent occidi, a victoribus conservabantur, & servi, id est ad *vitam servati*, fiebant, ita ut quidquid ex his progigneretur, aut illis accederet, jure ad dominum pertineret.

Hanc servitutis conditionem ita exosam habebant veteres, ut de ea dictum inveniamus apud Cic. *in Phil. pax est tranquilla libertas, servitus postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellendum.*

Hac vero præmissa explicatione, nihil omnino video, quod vel umbram similitudinis præseferat cum re, de qua agitur. Jure merito dum de conservanda homini libertate controvertitur, non possessionis *titulus* potior erat, sed libertatis, quia magis Reipublicæ conducit, liberis urbem impleri, quam servis; at non magis religioni, & Divino regimini conducit hominem a legibus Divinis liberare, quam subdere; nec magis ipsi homini, qui legibus in Deum, in summum bonum, sanctitatem, & fælicitatem dirigitur.

Præterea homo liber nascitur, & comparatè ad alium hominem sui juris est, & dominii; quare ubi alter in libertatem, alter in servitutem asserit, durante causa, status datur secundum libertatem ut maneat liber donec plene servum esse constet; quidquid fraude asseruerit Appius Claudius, ut libidini Marci Claudii faveret. Verum homo nequaquam exlex nascitur, sed legi Divinæ subditus, nec ad agendum contra eas jus habet, aut facultate potitur; ea etenim libertas, quæ ei asseritur, ut quid maluerit agat, sive bonum, sive malum, non vera hominis libertas est, sed effrænis licentia cum brutis communis, quaque dum homo utitur, vera abutitur libertate, quæ juxta Florent l. *libertas* de statu hominis *est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi quod vi, aut jure prohibetur*. Possidet igitur homo naturæ jure propriam libertatem vivendi, & alteri minime subdi, servanda itaque ei titulo tum possessionis, cum proprietatis, usquedum certis argumentis servus evincatur; Deus vero, natura sua, est Dominus hominum, quibus prout libuerit, uti potest. Servandum

igitur

igitur ei jus, & dominium, usquedum certis argumentis dignoscatur, ita Deo volente, legem non adesse, hominemque non subdi ei legi, quam scrupulosa, & vanida proponebat apparentia.

Dum Deus hominem condit suæ gloriæ sacrum facit; omnia enim propter semetipsum operatur, & fortius sacratur homo ipsi Deo per Baptismum, quo asseritur, & vocatur in sortem filiorum suorum; res autem semel dicata omnem libertatem deperdit. Numquam a Pontificibus restituebatur res, quæ fuerit Numinibus consecrata: ita Dominus illius dominio erat orbatus, ut nulla ei fuerit spes eam iterum recuperandi.

In dubio itaque libertatis civilis servitutis potior est conditio hominis libertate natura sua donati; nec propterea potior est conditio Domini possidentis, tum ob bonum Reipublicæ, cum ipsius hominis, cui servitus onerosa probrosa est, & molestissima; in dubio autem legis Dei, potior est conditio Dei, qui Dominus universorum est. Infelix foret hominis conditio, si a legibus solutus, si quæcumque libuerit, agere posset; regulis etenim careret, quibus regi debet, & manuduci ad propriam felicitatem. Sed de his iterum.

§. III.

Certa præmittitur doctrina.

Hi, qui usurpant hanc regulam pro foro conscientiæ, modo jam sæpe dicto, utuntur similitudine, comparatione, & exemplo, dum ex eo quod obtineat in foro judicii concludunt & obtinere in foro animæ. Hanc concludendi methodum horrori est P. Terillo, ut jam adnotavimus; condonandum tamen, si quod necessarium est ad rectum comparationis usum, utrimque in utroque foro eluceret, id vero apertissime falsum est, ut sequentibus palam fiet.

Dum comparatione utimur, aut similitudine, extrema similia esse debent, eadem ratio communis, & convenientia; sic Cicero probat Milonem damnandum non esse, quod occiderit Clodium, cum non sit damnatus Horatius, tametsi sororem necarit.

Lex enervatur, vires amittit, sive desinit esse lex, quoties ejus finis in universali cessat. Sic lex de abstinendo a suffoca-

focato, & sanguine, quam tulerunt Apostoli; ut facilius Hebræos conciliarent cum gentibus, cessante eo motivo, cessavit, licet adusque seculum XI., tanquam consilium in praxi fuerit apud quosdam (a).

Si quis læsus in aliquo contractu patrocinium quæreret a legibus, quæ invalidant contractus pupillorum cachinnis exciperetur, ejicieretur que a foro; quia ratio, ob quam latæ sunt illæ leges, est ne circumscribantur pupilli, qui censentur inexpertes, & ignari commerciorum, quæ ratio, cum in viro perfectæ ætatis non vigeat, nullo modo trahi possunt ad propositam speciem.

Non minus certum est, legem aliquam trahi non posse ad decidendum in alia materia, si non vigeat eadem præsumtio, ob quam lex illa in propria sede vim habet. Hæc constat in mox dictis legibus pupillis faventibus, quæ præsumunt pupillos inexpertes, quod minime præsumunt in homine perfectæ ætatis.

Tritum ac familiare est in Scholis, quod si ex exemplo, aut usu alicujus legis, vel proloquii sequatur inconveniens, exemplum cadit, eliditur, & respuitur tanquam noxium, vel nimis probans, vel alio modo infectum. Probant Peripatetici bruta cognoscere, quod in eis observent astutias, & calliditates, quas ne in hominibus quidem experiri est. Dum autem reponunt Carthesiani argumentum nimis, excessiveque probare; probat namque brutorum cognitiones, & animam nobiliorem futuram anima hominis, elisum putant argumentum; sed stemus in re morali.

Negant Benigni explicari posse dubiis conscientiæ illam legem, aut regulam canonicam: in dubiis *semitam debemus sequi tutiorem*, quia, inquiunt, inde sequitur *tutiorismus*. Inficiantur Probabilioristæ usum legum in dubiis *quod minimum est sequimur*: *favendum est reo*, prout vellent Benigni, quia ajunt Probabilioristæ, inde sequitur *laxismus*, eaque sufficere utrique putant, pro completa responsione; si enim ex uno principio enormis consequentia oriatur, infectum, & vitiatum illud judicare debemus, cum affectus consequentiæ ex causa antecedenti oriatur.

Tan-

(a) Calm. act. 15. 20.

Tandem eadem certitudine, constans est, non sufficere eamdem esse rationem, eumdemque finem, sed ulterius necesse est, ut vigeat lex, quod legislator eam ferat, & stabiliat: ad id autem necessaria est Jurisdictio. Plures leges vigent in Gallia, quæ in Italia vim nullam obtinent, tametsi eadem ratio, necessitas, utilitas inveniatur: sed Rex Galliæ nulla jurisdictione potitur in Italos; nec Itali principes eas tulerunt leges.

Jam quoad postremum attinet probatum reliquimus, civiles Legislatores nullum habere Imperium, et Dominium in conscientiis hominum, & eo minus in Deum, quem actorem litigantem, minus apte traducimus, in eo foro. Remanet igitur examinandum num in his, quæ certa præmisimus, peccet regula in foro conscientiæ, an vero iisdem potiatur prærogativis, & viribus, quibus ornatur in foro judicii. Ad quod præstandum necesse est ea omnia explicare, quibus stipatur, regiturque in suo foro, quod sequentes paragraphi præstant.

CAP. II.

§. I.

Commodum possidenti obveniens explicatur.

A commodo, quod possidenti obvenit, incipimus, utpote præcipuum, quod in hac lege spectatur tanquam aptius ad tranquillitatem civium conducens. Illud explicat Justinianus: *commodum possidenti in eo est, quod etiamsi ejus res non sit, qui possidet, si modo actor non potuerit probare, remanet in suo loco possessio*. Van-Espen. loco jam citato, docet hoc tantummodo esse meliorem conditionem possidentis, quod onus probandi, & disquirendi proprietatem totum sit pœnes actorem, ut revera innuere videtur Justinianus. Hoc autem, si verum sit, non conceditur possidenti possessio, vi hujus legis quoad forum conscientiæ, si dubius sit; quia in dubio ob jura Actoris proposita, remanet ex parte probatum jus, licet non plene, tametsi possessorem manuteneat ob motiva jam insinuata, & inferius adducenda.

A fortiori tutus non est possidens in conscientia, quando sibi certo constat, rem esse alterius, quamquam lex præsumat

in

in possidente justum titulum, tunc namque *præsumptio cedit veritati*. Nolim autem quis argumentetur a præscribente ad possidentem, licet finis, & præsumptio utrique similes sint. Nam ubi deficit legum auctoritas, seu lex ipsa, argumentum non convincit. Extat lex, quæ Dominum facit præscribentem, qui quamvis tandem sciat rem fuisse alterius, Dominus tamen efficitur; non ita leges justificant possidentem, ut ejus fiat usus rei, quam possidet, si sciat suam non esse, sed alterius.

Merito autem leges liberant possidentem ab omni onere investigandi jura; nam sicut puniunt Dominum negligentem in custodienda re sua, ita remunerari debent diligentem, cum bono publico sit utilis, sicut noxius est negligens, & socors. Hinc ortum habet illud proloquium: *Beati possidentes*; hi namque suis officiis vacare possunt, nihil aliorum Jurium investigando, sed actori relinquendo onus investigandi, & probandi, qui nova diligentia deleat veteris inertiæ culpam, & interim adhorientium impetus solo hoc clipeo *possideo, quia possideo* retundere, cum præsumptione legis possessio pro titulo sit.

Et quidem quo titulo teneretur possessor in foro exteriori aliorum curam gerere, & eorum jura perquirere? Non certo ex motivo boni publici, huic satis providet conservando dominium rei, quam possidet, & præterea suum foret inquirere omnium possidentium jura, ut bono communi coadjuvaret, fieretque *magnus Ardelio*, quod non leviter publicam tranquillitatem exturbaret. Neque quod actor jus aliquod in possidentem acquirat, litem intentando; cum potius ei resistere debeat, aut possit magis curando propria, quam alterius; sed & etiam spiritui legum obsecundans, curare, ut in re sua puniatur actor, qui negligens dimisit rem suam incertum vagare: His autem constitutis conficitur.

DEMONSTRATIO.

Ideo potior est conditio possidentis, & pejor actoris in Foro Judicii, quia totum onus investigandi jurium veritatem, & justitiam dominii est pænes actorem, qui a lege ita punitur, & nihil sollicitudinis imponitur possidenti, quod potissimum illud est, quod meliorem facit ejus conditionem: verum in

foro

foro interiori tenetur homo inquirere veritatem, & jura legis magis quam jura propriæ libertatis; nec Deus accusari potest, aut puniri ut negligens; igitur non est potior conditio hominis possidentis libertatem.

Secundam autem propositionem suadet sequens.

§. II.

Homini inest onus investigandi legem Dei.

Prolixiores fortasse non nemini videmur in hoc pertractando argumento, cum tamen ita obvium sit, ut asserere sufficientissimum fore, videatur. Duo tamen cogunt ad hanc diffusiorem tractationem. Primo ut viam paremus ad ostendendum, quam impium sit, & a ratione alienum sistema eorum, qui hominem exlegem natum putant, de qua re agere opus erit. Secundo quia ex modo agendi nonnullorum satis suspicari pronum est, eos minore quam par sit, diligentia contentos esse, cum toti sint *in tollendis*, *aut minuendis obligationibus* ut loquitur P. Terillus.

Refert D. Augustinus in more fuisse apud priscos PP. ita sollicite veritatem in rebus dubiis inquirere, ut præter studium assiduum, orationes, & corporis afflictationes adhiberent, quem morem imitatus est S. Thomas, qui numquam studio, & lectioni, etiam in quæstionibus naturalibus pertractandis vacabat, nisi prius præmissa ferventi oratione, postulans a Deo Patre luminum lucem, qua veritatem valeret invenire, probe noscens illud August. *non intratur in veritatem, nisi per charitatem*, præcipue in his, quæ ad salutem animæ pertinent. Hanc porro diligentiam permulti injuria, amandant universim ab Auctoribus benignis, cum non desint ex illis, qui moneant in dubiis adhibendam esse orationem, & confugium ad Deum: qui autem sint qui in dubiis nihil de oratione curant, non difficulter agnoscitur; hi nimirum qui res summi momenti sive res morales pertractant, ac si forent minutiæ, & scruta Scholastica.

Nascitur homo ad veritatem; nec *enim aliud ardentius suspirat animus*, ut ajebat S. Augustinus. Id etiam notum fuit Philosophis, dicente Aristotele unusquisque *natura sua desiderat scire: scire autem nihil aliud est, quam veritatem invenire.*

cum

cum sapere id est veritatem inquirere omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Scire igitur juxta Lactantium est veritatem quærere, quam non more ovium, & aliorum verbo aut ductu adipiscimur, sed studio proprio.

Cum verum autem non sumus adepti, id natura sollicitante, tota animi aviditate, si modo passione aliqua non præpediamur, exquirimus. Hinc curiositates illæ, quæ crebro animam agitant, & commovent; eodem autem ardore ferimur, ut Beati felicesque simus, quemadmodum docet Aristoteles: Beati autem esse nequimus, nisi quod vere bonum est, & utile consequamur. Id porro solummodo vere utile naturæ rationali, quod honestum. Id autem honestum, quod voluntati Dei, quod summo bono nos unit, & jungit. Quare beatitudinem describit Picus Mirandulanus, *redditus creaturæ ad suum principium* nimirum Beatus ille est, qui Deo unitur, infelix vero qui a Deo desciverit, quo nihil perniciosius, sicut nihil utilius, suavius nihil, quam ei inhærere. Hoc autem animalis homo non percipit, quia male ratione utitur, & passione impellente extra Deum quærit id, quo fruatur, fruiturque utendis. Prætiosiora pueri contemnunt, vilioribus delectantur, quod aut usu rationis careant, aut ea abutantur.

His itaque notionibus natura instituti sumus, quod bonum amemus, & inquiramus; nullum autem apte bonum, quin verum; nihil verum bonum, quin Deo nos uniat; nihil Deo nos unit; quin honestum; nihil tandem honestum, nisi quod a Divina lege, & voluntate approbatur. Igitur nihil bonum, nihil utile, quin honestum. Hanc gradationem mire comprobat Tullius. (a) " quod verum . . . . id esse naturæ hominis „ aptissimum: huic veri vivendi cupiditati adjuncta est appetitio „ quædam principatus, ut nemini parere animus bene a natura in- „ formatus velit nisi præcipienti, aut docenti, aut utilitatis cau- „ sa juste, & *legitime imperanti*. Idem autem Cicero assenti- „ tur Panelio stoico dicenti: *utilia* honestis pugnare non posse, „ nihil utile quod non idem honestum, nihil honestum quod „ non idem utile sit. " quod suadet Tullius facto publico. Dixerat Themistocles in concione se habere consilium Reipublicæ

(a) De offic. lib. 3. cap. 3.

blicæ salutare, sed id sciri opus non esse. Datus est ei, sicut poposcerat, unus nimirum Aristides, quo cum communicaret. Huic ille, classem Lacedemoniorum incendi posse; quod Aristides cum audisset *in concione* venit, dixitque perutile esse Consilium, sed non honestum. Athenienses, quod honestum non esset, id neque utile putaverunt, totam eam rem, quam ne audierunt quidem, repudiarunt.

Itaque quod superius dicebamus, nihil revera utile est, quod honestum non sit. Hæc omnia complexus est Ecclesiastes, ea stricte quidem, sed plena sententia: *Deum time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo*. Videlicet summa totius hominis reposita est in Dei timore, & in ipsius mandatorum observantia. Timor ad malum fugiendum impellit, amor ad bonum acquirendum. Hæ duæ passiones hominem formant, & utræque, si deordinationem fecernamus, ad observantiam sollicitant mandatorum, quod primà malum fugiamus, secundà adipiscamur bonum. Hæc autem sine zelo mandata dignoscendi subsistere nequeunt, nec dignoscere valemus sine sollicitudine, & studio. Natura igitur bene formamur, ut legem Dei ardenti sollicitudine, & diligentia conquiramus.

Si illum amorem proprium, qui lege peccati regitur, consulamus, id bonum tantum modo erit, quod utile animali homini. Hanc Ethicam ei subnixam principio *quod mihi utile est, licitum est*, docuit scelestissimus homo, cujus impia doctrina nationes plurimas Europeas occupat, Turcicum Imperium, ut audio, etiam invasit, eamque sequuntur, qui pravis moribus sollicitati, humanæ societatis sunt obliti. Hujus genus homines exosos habent Protestantium prudentiores, inter quos eminent Abedies, Burlamachius, Sarokius, aliique, quibus perversum est ex utilitate temporanea honestatem colligere, cum natura ipsa nos doceat ex honestate potius utilitatem esse metiendam. " Cum igitur, en optimum Tullianum consilium, „ aliqua species utilitatis objecta est, commoveare necesse est, „ sed si cum animum attenderis, turpitudinem videas adjun- „ ctam ei rei, quæ speciem utilitatis attulerit, tunc non utili- „ tas relinquenda est, sed intelligendum ubi turpitudo sit, ibi „ utilitatem esse non posse.

DEMONSTRATIO.

Natura instigamur quærere, quod nobis utile est; nihil porro utile, nisi quod nos unit Deo; nihil Deo nos unit nisi quod honestum; nihil honestum, nisi quod legi Dei est conforme; igitur, natura ipsa sollicitante, legem Dei quærere debemus.

§. III.

Excellentia ipsa Divinæ legis idipsum comprobat.

Nedum utilitas nostra ad Divinam legem investigandam compellit, sed etiam ipsa excellentia Divinæ legis, naturæ humanæ undequaque conformis, cum etenim *multo magis sit secundum naturam excelsitas animi, & magnitudo, itemque comitas, justitia, liberalitas* (addamus nos religio, fides, spes, charitas) *quam voluptas, quam vita, quam Divitiæ*, asserebat Cicero (a) si nostris virtutibus ornari leges jusserint, nonnisi superni ordinis eas esse oportet, nec ab alio, quam a Deo optimo Maximo, naturæ conditore, originem trahere.

Burlamachius satis insinuat rationem ipsam hominis primam esse honestatis formam; aliquibus tamen videtur ipsum posse ad bonum sensum perduci. Hanc doctrinam jam damnaverat Alexander VIII. (b) Et merito quidem, nam ut observat S. Augustinus, quantum attinet ad hominis naturam, nihil est in eo melius, quam mens, & ratio; sed non secundum ipsam debet vivere, cum secundum Deum vivendum sit. Ipsa igitur Divina lex, quæ ab eodem S. Patre definitur *ipsamet Divina ratio ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*, norma est, & regula, cui conformari debet humana mens, & ratio. Huic subjici, hanc sectari, eamque quam diligentissime retinere debet homo, aliàs reus futurus referventis criminis, quo si Corpus Christi sineret irreligiosius, in terram deji-

(a) lib. 1. de Offic. cap. 2.
(b) an. 1690. 24. August.

deiici; lex enim Dei Patris est verbum, ut explicat idem S. Doctor. (a)

Excellentiam legis Divinæ, simulque quam nobis utilis, paucis declarat Psalmista, *lex Domini immaculata convertens animas; sapientiam præstans parvulis; præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Judicia Domini vera . . . desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum. Dulciora super mel & favum . . . in custodiendis illis retributio multa.* Quæ ita clara sunt, ut probe quilibet cognoscat, quam sublimis ordinis sit lex Dei, quam nobis utilis, & proficua.

§. IV.

Aliud motivum insinuatur ad dicta confirmanda.

Aliud superest motivum præter infinita alia, quo persuadeamur compelli hominem ad sedulo investigandam Dei legem, videlicet ratio ipsa, quæ in Deo est, primi principii, & ultimi finis omnium rerum, quas omnes in sui gloriam creavit, & disposuit; *universa*, inquit Auctor proverbiorum, (b) *propter semetipsum operatus est Dominus.* Omnia nobis concedit velut media, & instrumenta, quibus utamur in sui gloriam, aliter *fruemur utendis, & utemur fruendis*, quod magna perversio est, Deumque servire in peccatis nostris fecerimus.

Nihil autem cedit in Dei gloriam, nisi quod ipsius voluntati congruit, nihil mali quod faciamus, in sui gloriam facere quimus, quandoquidem nihil fit in sui gloriam, nisi quod ipse probat, & sibi in eo complacet, illud autem in quo ipse sibi complacet, illud ipsum approbat; non approbat, nisi quod bonum est, quia Sanctus est; quod vero malum est, & ipsius voluntati adversatur, rejicit, reprobat, sua lege vetat, & prohibet. Igitur ratio ipsa, quæ in Deo est primi principii, & ultimi finis, ad quærendam, & investigandam Dei legem impellit.

§. V.

( ) H. m. 20.
(b) cap. 16. 2.

§. V.

Præceptum investigandi Divinam legem ex Scripturis ostenditur .

Omnia in Dei gloriam jubemur referre usque ad minimam deliberatam actionem ; Deus etenim omnium nostrum Dominus est , principium , & finis ultimus ; aliter rerum naturam corrupturi , & perturbaturi ordinem a Deo constitutum sua lege . *Sive manducatis , sive bibitis , sive aliud quid facitis , omnia in gloriam Dei facite* , inquit Apostolus (a) si autem ut dictum est , nihil in gloriam Dei cedit , nisi id , quod a sua lege approbatur , & volutate , manifestum fit , debere nos legem Dei sollicite investigare , ut omnia in Dei gloriam faciamus .

Nec aliud innuunt , aut volunt , præcepta illa , *vigilate , orate* (b) , *& sine intermissione orate* (c) *hæc est enim voluntas Dei* , (d) quæ , & alia hujus generis præcepta , eo comprehenduntur , quo universa lex , & Prophetæ nimirum : *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , ex tota anima tua , & ex tota mente tua , & ex tota virtute tua* , (e) *sive ex omnibus viribus tuis* . (f) Quod utique mandatum præcipit homini cogitatione perenni , & prout fert humana fragilitas ; (perfecta etenim adimpletio hujus præcepti , ad alteram reservatur vitam , ut docet S. Augustinus) Divinam quærere voluntatem , super omnia diligere , eique nostras vires , vitamque submittere , ut pareamus , inserviamus , inhæreamus, ut simus *amici Dei* . Summa namque amicitiæ est idem velle , idemque nolle .

Ex innumeris aliis testimoniis , quæ afferre possemus , illud Deuteronomii sufficiat ad hanc veritatem decisive firmandam . *Audi Israel diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , eruntque verba hæc , quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo,*

(a) 1. Cor. 10. 13.
(b) Matth. 26. 41.
(c) Marc. 13. 35.
(d) Ad Tessal. 5. 17. 18.
(e) Marc. 13. 30.
(f) Luc. 10. 27.

& narrabis ea filiis tuis , & meditaberis in eis sedens, & ambulans , in itinere , dormiens , atque consurgens . Nullam requiem permisit Deus , ut mentem nostram a cogitatione mandatorum suorum avertamus, quatenus jubet in eam tendere pondus nostri cordis , ut nihil carius , nihil firmius animo insideat ; nihilque magis amemus , quam ipsius legem cogitare, & meditari , ut eam opere compleamus .

Hæc assidua fuit Sanctorum praxis , hoc eorum fuit unicum studium , hoc præcipuum negotium , hoc unum necessarium . Quam hac in re excelluerit David , sufficit legere psalmum 118. , qui nihil aliud spirat , quam ardorem , amoremque , quo rapiebatur ad meditandam , complendamque Divinam legem . Nec etenim putandum est voluisse Deum, ut eam memoriter addiscamus , quod & pueri faciunt , vel mediocriter instructi ; hocque solo sibi esse satisfactum . Neque id postulabat David , dum a Deo lumen poscebat ad sciendam legem , sed illuminari mentem cupiebat ; operiebatur illam practicam intelligentiam , qua discerneret quid sibi agendum esset, quidve omittendum in suis officiis , & actibus , ne legem infringeret , ideoque lumen expetebat , ut eam adamussim observaret , nihilque ab ea dissonum admitteret .

Tanta porro diligentia , tantumque verborum pondus , quo nos Sacræ Paginæ ligant , & premunt , sollicitudo tanta , tantusque ardor , quo flagrabant Sancti , compatitur ne cum ea facilitate , se expediendi a timore Legis in dubiis, quam promulgat doctrina favens libertati , medio usu regulæ *melior est conditio possidentis* ?

Hæc porro lex hominis naturæ consentanea est, nimirum illius excellentiæ , simul inopiæ , & indigentiæ . Excellentia hominis manifestatur in ea insatiabili cupidine cognoscendi verum , sed præcipuè primam veritatem , ob quam eo ardentius desiderat comprehendere alias veritates , quo ad supremum verum magis accedunt ; finis etenim humanæ mentis est veritas, sicuti humani cordis est bonum . Si igitur nolit homo contra suam propensionem nativam sibi violentiam inferre , veritatem, quantum fieri potest , conari debet , ut assequatur .

Quia verò illud verum quærere debet extra se, illoque careat , & alias sensibus , corporique alligata mens raro pervenit ad veritatem ut plurimum circumseptam nubibus , ferat necesse est patienter, si eam non semper assequatur . Hinc fit , quod

quod propter suam excellentiam sibi præceptum sit a natura studium, & amor veritatis, ejusque inquisitio; sed una simul, quia miser est, & inops, nec ex se sufficiens cogitare aliquid, sed omnem sufficientiam a Deo habet, cogitur orare, ac petere a luminum Patre illud verum, quod concupiscit: Deus autem, qui cognoscit figmentum nostrum, permittit, indulgetque, si forte non assequatur veritatem; dummodo tamen adhibito studio, & inquisitione ad eum, quantum nobis possibile est, accedamus; qui autem motus validioribus rationibus assensum præstat, putat ad veritatem vel proxime accessisse, & repellit ut veritati contrarias eas rationes, quæ nullam, aut ferme nullam vim habent ad movendam inclinandamque mentem.

Credibile ne est orationibus obsecrasse Dominum, ac postulasse, ut ab eo illuminarentur ad cognoscendam Dei legem, an non potius oculos clausisse, & voluntarie rebellasse lumini eos Auctores, qui publicè, & palam docuerunt, hominem non teneri ad Deum diligendum, nec extare hujusmodi præceptum, nimirum de Deo diligendo? Sed eos dimittamus; sunt etenim hæretici, & ut tales damnati ab Alexandro VIII., aut saltem eorum doctrina ut hæresis damnatur, utpote apertè contraria Evangelio, ut bene advertit, & probat P. Viva in prima propositione damnata ab Alexandro VII, & pariter in prima ab Alexandro VIII. anno 1690. 24. Augusti.

Sunt qui ad licite operandum existimant sufficere, ut opinio, quam sequimur, sit altera probabilior, tametsi opposita adhuc valida sit, & locum det dubio prudenti, ut opinio nata in casu nostro a septem horologiis. Verum his non assentimur. Si etenim dubium, quod hinc inde suboritur, prudens est, electio agendi non potest esse nisi imprudens, & periculosa. Consulat uniusquisque propriam conscientiam, & experietur se numquam secure operari, nisi quando, vel veritatem certo videt; vel ei ita existimat accedere, ut rationes in contrarium agnoscat levissimas, & aspernabiles. Confer, amice Lector, ea, quæ modo dicta sunt cum usu, & praxi illius regulæ (quam nusquam Sancti adhibuere, & falsus sum, si vel vestigium inveniatur in vita eorum hujuscemodi praxis) cum doctrinis Melioristarum, & plene convictus eris, quod a pluribus observatum est, eas prodiisse tanquam ex ovo,

ab

ab ea methodo Scholastica sæculi præteriti, quæ facultatem moralem invasit, ingeniaque consuefecit, ut relictis, & minime consultis fontibus ethices, subtilitates invenirent, quibus quodlibet probabile fieret. Minime autem miraberis, si cogites hanc sortem nactas fuisse, ut jam monuimus, cæteras facultates. Imperabat Scholastica toti Orbi; sub insalubri aere difficillimum fuit malo, non infici, universali; Interim concludamus.

DEMONSTRATIO.

Ideo melior est conditio possidentis, quia totum onus probandi proprietatis jura, & existentiam est pænes actorem, nihilque pænes possidentem. Sed in dubio conscientiæ totum onus investigandi legis jura, & existentiam, est penes possidentem, qui tenetur magis amare, & inquirere legem, quam servare jura propriæ libertatis. Igitur in dubio conscientiæ tantum abest ut melior sit conditio hominis possidentis libertatem, ut revera ejus conditio sit deterior, meliorque Dei Actoris.

CAPUT III.

Finis hujus legis explicatur.

SI in foro conscientiæ similis non sit finis hujus regulæ, manifestum fit, eam nonnisi illegitime ad illud trahi. Quisnam porro sit finis hujus legis in eo territorio, ob quod data est, videre est necesse.

§. I.

Quis finis legis in foro Judicii.

Præcipuus legumlatorum finis, in legibus instituendis est bonum commune Reipublicæ. Bonum autem commune complectitur Reipublicæ decorem, vires, opulentiam, & hujusmodi cætera, quæ conducere possunt ad humanam felicitatem subditorum. Ad hanc felicitatem bonumque publicum procurandum, firmandumque summopere deservit quies, tranquillitas, & concordia civium; *etenim concordia parvæ res cre-*

crescunt : discordia maximæ dilabuntur (a).

Huic concordiæ, quietique Civium, duo maxime opponuntur, unum quidem per defectum, aliud per excessum; primum est inertia, & socordia res proprias custodiendi; si enim opes deficiant, malè domui provisum erit, & præcipue filiorum institutioni: defectu autem bonæ institutionis, quot mala immineant, supervacaneum est enarrare. Si Cives, quod suum est, non custodiant, dominia incerta erunt; res steriles, & incultæ, tributa minime solventur; caritas, & egestas Civitatem prement, & quod pejus est, ansam capiet aliud malum *per excessum* nimirum aviditas occupandi, quod suum non est, quam S. Joannes appellat *concupiscentiam oculorum*. Hinc diffidia, lites, & facinora, quæ in magnum Reipublicæ incommodum vergunt.

Hanc eamdem sollicitudinem conservandi propria, qua regi unumquemque convenit, optimum est, habeant Reipublicæ Moderatores; quare illud operosius curant, unicuique suum conservare, leges stabiliendo optimas, & Cives eis recte uti satagendo; ab his enim duobus officiis universa agendorum ratio pendet, ut ex Platone discimus. Has inter leges, quas tulerunt Principes, una est in *pari causa*. Inde emergunt duo fines particulares legis istius, nimirum negligentiæ animadversio, & diligentiæ præmium: sicut bono communi præjudicat socordia in rebus custodiendis, ita juvat, & opitulatur sedulitas, & cura: quare cum crimina puniri consonum sit, & bona opera præmio donari, lex hæc data est in odium, & punitionem socordis Domini, cujus conditionem pejorem facit, & in gratiam, ac favorem possidentis, cujus potiorem efficit.

Merito igitur hanc regulam usurpant Magistratus, utpote quæ maxime conducit ad quietem, bonumque publicum.

§. II.

Hos fines in foro conscientiæ non est invenire.

Bonum commune universorum est communis felicitas. Bo-

(a) Salust.

Bonum particulare est felicitas uniuscujusque. Hæc turbentur necesse est, si locum non habet ea regula in dubiis conscientiæ, ut concludamus eâ nos posse legitime uti. Hominis felicitas in unione cum Deo reposita est, in perfecta conformitate cum ipsius lege, & voluntate. Si homo in dubiis conscientiæ propriæ non faveat libertati, adversus legem, si timet legem infringere, voluntati Dei contradicere, Deum offendere, & interim abstineat ab opere, de quo dubitat, an sit prohibitum, & peccaminosum: quænam sunt mala, & damna, quæ inde obveniunt? Male ne animæ suæ providebit? nocebit ne sibi? Deus legislator, & Dominus illum ne puniet? Deus inquam, qui Dominus universorum est, ansam accipiet invadendi jura hominis? Is, qui legem imponit homini, præcepitque, ut eam cunctis præferat, magisque diligat, præmia largitur diligentibus, & meticulosis; negligentes vero legem suam supplicio afficit; & plectet, irascetur, puniet, castigabit eum, qui zelo, & reverentia in legem actus, timens peccare, cessat ab opere, amans suo commodo, utilitate, & voluptate privari potius, quam se periculo exponere committendi quod Deo displicet? Hæccine sunt mala, quæ timentur, quibusque obviam ire necesse est, ut regulæ locum demus in foro conscientiæ?

Ad fines particulares, quod attinet, nimirum remunerari possidentem, & condemnare, vel pœna afficere socordem, quæ duo regula illa respicit, asserendum esset, in Dei odium sanciri legem illam, & usurpari in foro conscientiæ, utpote cujus pejor sit conditio; homo autem protegi debere, & commendari tanquam villicus prudens in custodiendis juribus a natura acceptis, videlicet in custodienda propria libertate, adversus Deum Patrem, & Creatorem suum, quo pacto utilis foret, cui? rationi? gloriæ Dei, quam cunctis præferre debet? animæ suæ in custodienda propria libertate adversus jura legis, & Dei importuni, & odiosi actoris?

Amori proprio quidem favet homo solers in curanda possessione propriæ libertatis; concupiscentiæ, quæ legibus Divinis tanquam a frenis, & vinculis, quibus ipsius soluta libertas constringitur, opitulatur. Hanc vero prælatione dignam censebimus, cui leges faveant, Deo posthabito? ipsa potius punienda venit, utpote quæ origo est litium, & malorum omnium, *unde bella, & lites? nonne hinc ex concupiscentiis vestris?*

ftris ? (a) Malum igitur nullum inftat , fi hæc regula non obtineat locum in foro confcientiæ . Bonum nullum fperandum , revera bonum , in ufu illius : potius fummum malum timendum , nimirum legis contemptus , dando Deo crimen focordiæ ; Deo hominem præterendo ; pejoris conditionis futurus Deus , ut hominis indomita concupifcentia femper , aut fere femper illæfa remaneat .

Revera quid Judex laconice dicit fua fententia , dum poffidenti favet ? Spiritu , & virtute legum imbutus ; recede, inquit , actori , recede a petitione actor civiliter, inique ; te Leges tanquam noxium Reipublicæ propellunt , ut negligentem , & ignavum puniunt : tua conditio pejor eft , meliorem faciunt poffidentis , qui cum dignius , ac utilius in bonum commune fefe gefferit , præmio a legibus cumulatur , ac fovetur . Lis hæc tua injufta eft , eam perperam intentas , fi non patenter probes , turbas pacem , & civium tranquillitatem . Apage igitur , vade , & redire ne audeas , ufque dum patentiffimis momentis rem tuam effe demonftres .

Hæc , quæ fi in Deum proferantur , blafphemiam redolere videntur , tacite afferuntur , fi fimilitudine fervata dicamus meliorem effe conditionem libertatis hominis , conditione Dei Actoris .

Bonum , quod quidem ajunt obvenire homini ab ufu regulæ eft quies , & tranquillitas confcientiæ ; hoc etenim modo a fcrupulis liberatur , quod leve bonum non eft , ut experientia ipfa teftatur ; ac tandem fervatur homini libertas, quæ, *non bene pro toto venditur auro* .

Blandimenta hæc videntur vacua omnino eo fpiritu , quo homines vivere debent . In primis ufus iftius regulæ non refpicit folos fcrupulofos , qui pauciffimi funt , fed omnes univerfim homines ; fingulis etenim , & quibuslibet obveniunt dubia , fi modo vigilent , prout neceffe eft vigilare . Comprehendit etiam , malæ frugis homines , quibus liceret , ficut & Sanctis , eo modo folvere dubia . Extra rem igitur reftringitur regula ad folos fcrupulofos , quibus folis foret utilis . Satis fruuntur impii , aut frui conantur , confcientia illa cauteriata , quam

(a) Jacob. 4. 1.

quam D. Bernardus dicit *malam*, *& tranquillam*, dormiuntque tanquam orix illaqueatus; quos melius foret excitare, quam eis favere blandis opinionibus hominum.

Deinde quis crederet eam praxim aptam esse ad medendos scrupulos? Nullus Asceticorum, nullus spirituum Magister umquam eam proposuit, aut observavit; nullus Sanctus. Scrupulis medendi methodus utilior est, si a corporis affectione originem non trahant, (tunc etenim opus est Medico) curare, ne proprio fidant judicio, Directori obediant, rationes identidem, quæ se se offerunt, aspernari tanquam inanes; idque aliquando comprobet Director ex pluribus, quæ scrupulosus expertus est, cum nimirum putabat gravia, agitationis fervore, quæ tamen inania, & levia, serena, & tranquilla mente postea cognovit. Hinc robur addamus huic nostræ sententiæ.

Ideo scrupulosus motiva, & cogitationes repellere debet, quia inania sunt, vacua, futilia, & impotentia fundandi dubium prudens. Scrupulus namque est angor animi ex inanibus, frivolisque motivis procreatus; quapropter si eis adhæreret, & secundum ea judicaret, potius male ageret, foretque imprudens. Verum motiva, & rationes, quæ dubium prudens causant, dum proponunt existentiam legis, sunt fortiora oppositis, vel saltem æque robusta, quoties opiniones sunt æque probabiles. Igitur male cum re nostra confunditur conscientia scrupulosa, & utile, quod obtruditur, minime subsistit.

Exemplo nostro de dubio mediæ noctis res fit apertissima. Quis sibi persuadere potest scrupulosum esse inane, & frivolum phantasma, testimonium septem horologiorum indicantium mediam noctem Veneris, dum interim quinque grave sunt fundamentum, cui inniti potest, qui velit vesci carnibus? septem horologia regula non erunt sufficiens ad ingerendum prudens judicium de tempore, dum quinque sunt, regula firma, tuta, validissima ad judicandum adhuc non subintrasse diem Veneris? Hæc ne serio cogitant Melioristę, quę vel fœmina comprehendit rudis, & indocta?

Caveamus, ne modus hic medendi scrupulos, & deponendi dubia, inducat homines ad judicandum, agi licite posse in dubio, & cum dubio. Casus rarus non est, sed frequentissimus „ confiteor Pater, anxius fui, & in dubio, num mihi

„ liceret tale opus, num licite morarer in ea conversatione: „ perseveravi nihilominus, opus peregi, & in ea conversatione perstiti; cum dubio tamen non sum operatus, sed illud „ deposui. " Qua ratione dubium deposuisti? interrogat prius Confessarius. „ Mecum met dixi nolo cogitare id esse peccatum, possum ea facere, peccatum non est, nolo judicare „ me peccare, & legem vetantem adesse.

Pœnitens iste dubio procul peccavit, quia dubium non solvit. Solutio enim dubii per veri inventionem habetur, ut docet Aristoteles, & D. Thomas; quid igitur fecit? quod Eva Mater nostra peregit, Serpentis rationibus adhæsit; prius amotis, & non consideratis rationibus, & motivis, quæ præceptum Dei menti prҿsentabant; quemadmodum operatur Peccator, dum rationes utilitatis, aut delectabilitatis considerat, repellens rationes cҿteras legem Dei proponentes. Dicere autem peccasse; quia judicio reflexo non consideravit regulam *melior est conditio possidentis*, id foret sanare vulnera vetularum verbis: quid? Peccabit ne, quod careat ideis verborum legalium, qualia sunt hæc, *melior est conditio possidentis*? Dixit non est peccatum, agere possum, & quid est agere possum, nisi sum in libertate, seu potestate agendi? verba res non pervertunt, nec licitum faciunt, quod est illicitum.

Ad postremum, quod attinet, nimirum conservari hominis libertatem, quæ *non bene pro toto &c.* inferius visuri sumus, quanti pendenda sit hæc libertas.

DEMONSTRATIO I.

Lex illa *melior est conditio &c.* lata est ob pacem, & bonum commune, quod inde nascitur, & constabilitur: in foro conscientiæ nullum hujusmodi bonum, igitur &c.

DEMONSTRATIO II.

Ideo lex illa obtinet in foro judicii, quia data est in odium Actoris inertis, & negligentis, ac in præmium possidentis diligentis in re custodienda: audacissimum est dicere in foro conscientiæ adesse legem latam in odium Dei Actoris inertis, & in præmium hominis conservantis suam libertatem adversus Deum, ejusque legem. Igitur &c.

CA-

CAPUT IV.

De præsumptione hujus legis.

DUm veritas dignosci non potest, nec proprietatis jus, necesse est accedere jus præsumptum, alias leges, ut in plurimum periculose res finirent, & sorti committerent sententiam; tametsi in re, quam tractamus, sine præsumptione procedere possent, eo solo titulo, quod bono publico sit conveniens possidentem non spoliari re, quam possidet, nihilominus lex *melior est &c.* æquissimè præsumit, ut explicant sequentia.

§. I.

Quænam sit legis præsumptio.

Æquitas ipsa favorem possidenti exposcit, quod præsumendum sit, possidentem non adiisse rem, nisi justo munitum titulo. Hujus præsumptionis non una est ratio.

Nullus habendus est malus, nisi probetur clarissimis, manifestisque argumentis; igitur usquedum actor probet possidentem injustum esse, ut justus habendus est. Quod si possidens titulum non producat, & producere non cogatur, ideo hoc est, quia lex præsumit id, quod frequentissime contingit, nimium deperdita esse monumenta, quæ titulum legitimum patefacere poterant. Pereunt ejusmodi memoriæ belli, pestisque tempore, casu, injuria, fraude, incendio, itinerationibus, morte, præcipue parentum, dum filii familias impuberes remanent; Scripturæ ad alienas transeunt manus, vel remanent penes fæminas, quæ rerum ignaræ, male eas custodiunt.

Secundò rerum possessiones, ut plurimum, non acquiruntur nisi interveniente aliqua actione publica: puta testamento, donatione, emptione, permutatione, sententia &c., quæ omnia tabulis publicis, in quibus fraudem non præsumit Respublica, complentur.

Sed esto in casu rarissimo quis possidere incipiat absque publico instrumento, aut alia actione patenter licita, ipsa pu-

publica occupatio validissimum argumentum est aditionem fuisse legitimam. Qui enim fieri potest, ut nullo reclamante, toto silente populo, quis injuste prædium, domum, feudum, aliaque hujus generis occupet, & rapiat? merito igitur leges præsumunt in possidente legitimum proprietatis titulum.

Tertio Respublica etiam præsumit, quod si possidens legitimo titulo caruerit a principio aditionis, illum acquisierit consensu antiqui Domini; qui cum rem suam non petierit, præsumitur dereliquisse, habetque lex tanquam rem derelictam, atque adeo devolutam, aut veluti donatam possidenti. Si namque error, cui non resistitur, approbatur ab eo, qui potest, & resistere tenetur, dum Dominus tacet, nec resistit, supponit lex, cessasse in eo animum possidendi rem suam, & alteri concessisse, aut dereliquisse, remque acquisisse primævam rerum libertatem, factamque fuisse primi occupantis.

§. II.

Num semper lex præsumat legitimum titulum in possidente.

Ob legitimi tituli præsumptionem possidens tueri potest rem, quam possidet hac sola ratione, quia nimirum possidet, atque actori sciscitanti respondere: *possideo, quia possideo*, & merito quidem. Nam si possessio ratio non est sufficiens, ut Judex debeat possidenti adjudicare usum rei, si forte eam adjudicet actori; cras vetus possidens adgreditur novum possidentem, & ob eamdem rationem, ob quam veteri actori dedit, dare deberet veteri possidenti, seu novo actori, fieretque in lites perpetuus motus in damnum publicæ tranquillitatis; possessio igitur, & maxime propter explicatam præsumptionem, juris fictione, censeri debet ut titulus:

Verum hæc præsumptio non transcendit omne possessorium sed pluries limitatur regula, ita ut non possit possidens actori reponere, *possideo quia possideo*, sed tenetur titulum proprietatis ostendere, & quidem ad forum conscientiæ quod attinet etiam in materia justitiæ, si præsumptio legis falsa sit, debet *cedere veritati*, & possidens restituere tenetur rem, ut etiam ex Melioristis docent majori in numero Auctores.

Quando Superior inquirit ex officio, exigitur titulus in inferiore, qui possessionem legitimet, ut tradit inter alios Ana-
cle-

cletus (a). Cum autem ratio superior, cujus est rem decidere in foro conscientiæ, inquirat, & investiget jura hominis, & Dei, cujus causam promovere satagit, non sufficit homini asserere *possum quia possum, liber sum in agendo, quia libertatem possideo*, sed titulum probare debet.

Si actor sit superior, puta Princeps, non juvat subdito possidenti pura, & puta possessio, sed obligatur ad pandendum titulum cur possideat (b), & ratio esse potest, quia licet jure gentium rerum divisio, Dominia, principatus inducta sint, semel tamen, quod Princeps sit quisquam, ei debetur obedientia, & subjectio, non videretur autem obediens, & subditus, qui rem Principis occuparet, facto enim ei resisteret.

Forte voluere legumlatores exceptos Principes ab hac regula, & ob ipsorum excellentiam eos liberare ab onere probandi, ne pares cæteris facerent, sed ligare subditos, ut ex adverso Principis foret melior conditio. Aliam suppeditat rationem id, quod ut plurimum contingit. Dum Principes minores sunt, multoties accidit, quod Regentes Principatum plus æquo liberaliores sint: feuda, & jura donent assentatoribus, aliisque, quos cariores habent. Dum postea Majores fiunt, & regimen moderantur, parum expertes, & alio distracti, bellis, aliisque negotiis inquirere non valent jura propria. Quare fit ut per longum tempus res alienatæ injustè, injustè pariter detineantur. Ut porro his damnis providerent leges, ipsorum conditionem meliorem facere.

In foro conscientię res non est inter pares, sed hominem inter, & Deum, cujus Potestas Reges procreat, cujus imperio leges justa decernunt, omniumque Regum juribus, & excellentiis ita pręstat, & pręeminet, *ut omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram Deo, & quasi nihil, & inane reputatæ sunt ei*. (c) Non jure Gentium, non Reipublicę consensione Deo tributum est omnium rerum, omniumque actuum nostrorum dominium, & imperium supremum, sed ex se, & a se habet.

Non

(a) In 6. collect. in 1. Decret. tit. 6. c. 3. n. 3.
(b) Ridolf. prax. Judic.
(c) Isaiæ c.

Non igitur homini sufficit in dubiis allegare, possideo, quia possideo, libertatem adversus Deum, sed titulum ostendere compellitur, quo probet se opus illud agere posse. Titulus autem libertatis alius non est, nisi non existentia legis. Igitur debet homo manifeste probare legem non existere, ac proinde non obligari ad abstinendum ab opere.

Addendum ex Pontassio, (a) puram possessionem non sufficere, quando agitur de rebus, quæ commercium non ingrediuntur, sed necessarius tunc est titulus, si autem titulus utrinque producitur, ille præferendus, qui legitimior.

Jam autem in foro conscientiæ dubia, extra materiam justitiæ, respiciunt res, quæ commercium non ingrediuntur: igitur producendus est titulus: Quod si fiat, an non legitimior est titulus, quem conscientia profert intimando jus supremum Dei, contra jus libertatis, ortum forte ex ignorantia, ex incuria legem addiscendi, aut ex peccatis, in quorum pœnam Deus non velit hominem illuminare, ut ejus superbiam retundat?

Simili modo discurrendum comparatione desumpta ex Panormitano, (b) qui docet Laico non sufficere possessionem, nec ejus sit melior conditio, dum agitur de re spirituali.. Dubia autem in Tribunali conscientiæ, & præcipue extra materiam justitiæ, unicè res spectant spirituales.

§. III.

Leges Naturales, & Divinæ nullum præsumunt in Homine titulum, quo melior sit ejus conditio.

Titulus justus, & legitimus est, qui nulla interdicitur lege, nasciturque ex actione a lege permittente, vel approbante. Hæres igitur erit quis, aut Legatarius, aut Feudatarius, aut Emptor, vel Donatarius legitimus, si gaudeat titulo legitimo dispositione legum approbantium Testamentum, Legatum, infeudationem, emptionem, donationem &c., si autem leges

(a) Verbo Possessio cap. 7.
(b) Panorm. C. *ad aures*.

leges resistant, & irritent Testamentum, Legatum &c., tunc ex illis actionibus nullus oritur legitimus titulus. Cum enim leges sint norma, & regula Justi, ex conformitate ad illas pensanda est justitia. Ergo titulus, qui nascitur ex actione legi opposita, vitiosus erit, utpote partus vitiosæ actionis. Totum hoc prodit definitio possessionis juris; dicitur namque *jus insistendi alicui rei tanquam suæ non prohibitæ possideri*.

Dubitet homo, num in hac circumstantia sibi liceat mentiri, occidere, rem alterius occupare, hæc omnia legibus prohibentur; sub iis nascitur homo, ut fusius ostendemus impugnando jus Hobbianum: Igitur illis actionibus insistere non potest, nec jus habet eas exerendi.

Loquamur & nos legali phrasi, & adimamus homini omnem possessionem in his rebus, & actionibus. Triplex a Juristis distinguitur possessio, nimirum civilis, naturalis, & civilissima. Civilis est *rei detentio adminiculo animi*. Hunc animum possidendi libertatem ea faciendi, quæ lege prohibentur, non habet homo dum nascitur, non habet dum ratione utitur, nimirum retinendi libertatem faciendi, quod Divina lege prohibetur. Hic animus peccatum est, & nihil juris homini affert contra legem Dei, sed potius Deus ipse acquirit in hominem jus in eum animadvertendi.

Naturalis habetur adminiculo corporis, animi, & juris; sed hæc minime conducunt ad hanc possessionem libertatis; non jus, non animus, ut mox diximus, non corporis adminiculum; quid enim fecit homo corpore, ut libertatem moralem obtineret?

Civilissima habetur legis dispositione absque eo, quod, qui Dominus fit rem corpore apprehendat, ut parvulus, qui succedit ab intestato, quod leges in sui favorem disponant hæreditatem. Quæ autem est hæreditas hominis ex Adam, nisi ignorantia in mente, & in voluntate inclinatio ad malum? Huic autem fatali hæreditati leges resistunt, & ideo statutæ sunt, ut ab hac hæreditate nos submoveant. Igitur nullus titulus, nulla possessio. Quod si reponas hæc quidem obtinere in foro Judicii, minime vero in foro conscientiæ, *Patere tu legem quam ipse tuleris*, sciasque regulam illam tantummodo obtinere in eo, eodemque foro, in quo mox dicta vigent, minime vero in foro conscientiæ.

DEMONSTRATIO.

Ideo meliorem faciunt leges conditionem possidentis, quia summa æquitate præsumunt in eo justum proprietatis titulum; in foro conscientiæ nulla lex est, quæ præsumat in homine dubiis occupato libertatis titulum. Igitur &c.

§. IV.

Fit satis uni Argumento.

Ratio, cur, inquiunt, leges titulum præsumant in possidente, sumitur ex ignorantia dominii, sive veri Domini. In hoc etenim casu melius est præsumere possidentem habendum esse tanquam Dominum, ne res incerta vagetur; igitur cum in dubio ignoretur num actio, de qua dubitatur, an sit sub dominio legis prohibentis, nec ne, melius videtur præsumendum, homini inesse jus eam exerendi.

Falsum est assumptum, quia præsumptio legum fundatur in eo, quod *ut in plurimum contingit*, quod nimirum possessio acquiratur justo titulo, ut supra probatum relinquimus. Hæc autem præsumptio, ut evidens est, non est arbitraria, aut temeraria, sed æquabilis, & rationi consentanea. At nec ut in plurimum, nec unquam continget homini jus, & titulum inesse agendi ea, quæ a lege prohibentur, etiamsi lex ignoretur. Siquidem si ignorantia inveniatur invincibilis in dubio legis, quod raro contingit, ad summum operabitur indulgentiam, & excusabilitatem, minime vero justum, & legitimum titulum operandi. Quis sapiens ita ratiocinetur: *Ignoro an hoc opus sit prohibitum, igitur non est prohibitum. Ignoro an mihi liceat, igitur licet. Ante dubium ignorans excusabar, nunc dubito, quia nonnihil luminis adeptus sum; igitur nunc excusor, & sum ignorans sicut prius?*

Præterea inquirimus cur melius sit præsumere actionem non esse sub dominio legis, quam esse? hoc est totum, quod investigamus; ad hoc enim devolvitur tota concertatio, ut meditanti, quæ huc usque sunt dicta, compertum erit. Asserere autem perseverare licentiam operandi, quæ erat ante dubium, est falsum supponere; cum ante dubium forte non habeat homo

mo jus operandi, sed tantum excusabatur ob ignorantiam, estque petere principium, ut jam insinuatum est, & adhuc ostendetur.

Leges cum præsumunt id, quod ut in plurimum contingit, præsumunt v. g. in septenni usum rationis, & doli capacitatem, qua præsumptione supposita, qui ita ratiocinaretur: iste puer septennis est, dubitatur an usum rationis habeat; igitur cum ante septennium usu rationis caruerit, & fuerit in possessione ignorantiæ, ita dicendum est, quod sit usu rationis expers: qui, inquam, ita discurreret, nihil proficiet apud Judicem; non magis proficit qui ait: ante dubium ignorabam, poteram opus operari; igitur, & dum dubito, ignoro, & agere possum. Qui ulterius desiderat alias disparitates, & exceptiones, ob quas sit evidens regulam illam nihil habere commune in foro conscientiæ, adeat Fagnanum, qui solidas plurimas affert, & dilucidat ex utroque jure petitas. (a)

CAPUT V.

De alio possessionis effectu.

PRæcipuus effectus, quem parit possessio, est, ut vidimus, immunitas inquirendi jura in possidente, cum totum onus actoris sit. Hinc oritur quod in dubio juris proprietatis teneatur Judex rem adjudicare possidenti, ex quo nascitur aliud argumentum, quod proponit sequens.

§. I.

Aliud argumentum proponitur in favorem nostræ sententiæ.

Quia in foro fori melior est conditio possidentis, in dubio tenetur Judex repellere Actorem, & favere possidenti, igitur si regula obtinet in foro interiori, in dubio mens sive homo teneretur favere libertati propriæ, & Deum Actorem re-

S 2

(a) Cap. ne innitaris.

repellere, alioquin peccaret sicut reus criminis Judex fieret.

Nuperrimus Auctor Carpanus exprobrat Probabilioristis, quod nimis, & excessive probent, dum eo quod Judex non potest ferre sententiam secundum minus probabilem opinionem, neque homo in concursu opinionis probabilioris. Id autem ut persuadeat sic instituit suum ratiocinium: comparatione uti non licet ad propriam constituendam sententiam si ea excessive probet; ita porro contingit in comparatione Judicii, siquidem sequitur, quod sicut Judex non potest abstinere a sententia ferenda, sed judicare debet secundum opinionem probabiliorem, ita homo non posset abstinere ab opere, sed operari deberet juxta probabiliorem opinionem, quod est inauditum: ideo itaque tenetur Judex sententiam ferre secundum id, quod probabilius est, quia leges ita eum obligant, eumque constituunt, ut veritatem sectetur. Sicut etiam quia ibi agitur de damno tertii: quæ non militant in dubiis conscientiæ. Plura habemus, quibus hoc argumentum eludi potest.

1. Intorquetur adversus Melioristas, nam si non licet probabilioristis ea uti comparatione, quia nimis probat: neque Melioristis licebit uti ea regula cum probet usque ad excessum; nam totum onus probandi tollit ab homine, & Deo imponit Actori. Præterea Judex manu tenere debet possidentem, etiamsi jus possidentis sit minus probabile, imo tametsi nullum jus appareat, sed sola possessio usque dum Actor evidenter, & patenter probet, idque totum, quia *melior est conditio possidentis*. Igitur dato quod non teneretur, posset tamen dum lex manifeste non appareat, mens judicare in favorem libertatis eo solo titulo, quod possideat libertatem, nulla sibi suffragante ratione, quod lex non existat, & a fortiori si aliqua ratio, licet leviter probabilis, legem non existere insinuet, quod esset laxismum extendere ultra fines, ad quos extendunt illum propositiones damnatæ (a).

2. Illud idem inconveniens ab Auctore productum nascitur ex usu regulæ, nam sequitur, quod sicut Judex judicare tenetur, quia regula in ipsius foro obtinet, si & obtinet in foro conscientiæ, idem dicendum; nimirum homo judicare tenere-

(a) Alexand. VII. prop. 27. Innoc. XI. prop. 3.

neretur, nec posset suspendere judicium, atque adeo Meliorittis non licet uti ea comparatione Judicis.

3. Quia homo a Deo est constitutus, ut veritatem inquirat, eique deserviat in justitia, & veritate, sicut constituitur Judex ad veritatem sectandam; nec etenim homo a lege naturæ, & Dei relinquitur, ut arbitrio suo regatur, & judicet indifferenter sive secundum veritatem, sive secundum falsitatem, quam doctrinam optabile foret, ut omnes meditarentur; est namque naturæ rationali ad veritatem natæ omnino consentanea, & centies in Divinis Scripturis revelata.

4. Inutile est refugium ad damnum tertii; nam si damnum tertii in causa est, cur Judex teneatur ferre sententiam secundum quod magis probabile est, nusquam debet ferre sententiam, cum in omni sententia unus ex litigantibus damno subjacere debeat. Sed de his alibi.

Duo sunt distinguenda in Judice, nimirum id, quod a natura habet; & officium, quod a legibus civilibus a natura habet, quod res diligenter examinet, & judicet secundum veritatem, qua in re Aristoteles Judici comparat mentem hominis, quæ partium jura, & rationes examinare debet, & secundum veritatem agnitam judicare. Id vero sicut non ita scrupulose exigitur in Judice, ut semper, quod unice verum est, sequatur; est enim homo, non Angelus, non Deus, cui omnia nuda, & aperta sunt: potest igitur falli Judex; quare officio suo recte functus erit, si judicet secundum id, quod verisimilius est; ita neque poscendum est ab humana mente, propter hoc ipsum, quod sit mens hominis, quod semper veritatem attingat.

Aliud officium habet Judex a legibus, quod lites finiat, discordias sedet, & jus dicat poscentibus, atque adeo processu instituto sententiam ferat. *Judex jus dicit populo postulanti.* (a) Hæc duo officia clarè dignoscuntur in arbitris. Seligat Princeps arbitrum, qui discordias componat, (b) non eum monet, ut judicet secundum veritatem. Injuriosum foret hoc consilium, judicaretque Princeps arbitrum capacem injustitiæ, & acceptionis personarum. Judicare igitur secundum veritatem relin-

(a) C. For. 10. de verb. signif. lib. 5. tit. 4.
(b) Ibid. *cum justum* l b. 23. q. 2. §. 1.

relinquit honestati, probitati, & æquitati Arbitri, cui natura id innuit, & præcipit. Quid igitur præcipit Princeps? nihil aliud, nisi ut discordiam, & litem finiat.

Comparatio porro a Probabilioristis adhibita, ex Aristotele in primo officio fundatur; quod nimirum Judex a natura, sicut & mens hominis, institutus est, ut judicet secundum veritatem, non autem in officio, quod a legibus Judici imponitur, nimirum sententiam ferre, & jus dicere poscentibus.

Num autem Probabilioristæ aptius loquerentur, & adversus Melioristas recte concluderent, quod si regula obtinet in foro conscientiæ, non possit homo abstinere a judicio in favorem libertatis, sicut non potest Judex non manutenere possidentem, nolim judicare. Libertate nihil pretiosius; donum naturæ est homini collatum ob ipsius excellentiam. Huic bono præjudicium inferre, malum esse videtur, ac præterea judicare in favorem libertatis, conducit quam maxime ad pacem, & tranquillitatem conscientiarum, faciliorem reddit viam salutis, liberat ab angustiis, & periculis peccandi, in quæ injiciunt Rigoristæ, ut loquuntur Benigni. Sicut igitur tenetur Judex sententiam ferre, peccaturus si secus in bonum publicum, in jus possidentis, ac tandem pacem perturbaret, & populorum tranquillitatem; ita &c. Sed alii judicent, nostra parum interest; flocci namque facimus hæc inania terriculamenta.

§. II.

Alter possessionis effectus nimirum præscriptio asseritur.

Ultra commodum, quod possidenti obvenit modo explicato accedit præsctiptio, quam etiam in Divinis mandatis debent Melioristæ concedere, qui enim aliqua lege utitur necesse est, ut patiatur consecutiones, quas illa secum affert, & legitime ab ea dimanare conspiciuntur.

Præscriptio una est illi regulæ adnexa consecutio, ut dici possit partus longa possessione, tanquam a Matre fœtus, ac tandem enixus. Horrenda quidem sunt quæ hinc sequuntur; sed aut a regulæ usu recedendum in foro conscientiæ, aut ea ferenda. Mutanda est sententia ei, qui velit vitare sequentia.

Præscriptio est adjectio dominii per continuationem possessionis, temporis lege præfiniti: motiva vero, & fines legum, quæ

quæ præscriptionem stabiliunt, eædem omnino sunt, ac quæ legem *in pari causa possidens potior* fulciunt, nimirum, ne dominia incerta sint, ut puniatur socordia Dominorum. *Bono publico usucapio introducta est, ne scilicet quarumdam rerum, diu, & fere semper incerta Dominia essent, cum sufficeret Dominis, ad inquirendas res suas statuti temporis spatium.* (a)

Itaque si quis tempore per legem statuto rem possederit, ejus fit, tametsi post illud tempus antiquus Dominus patenter ostenderit rem esse suam. Totum hoc proficiscitur, eo quod in eo, qui possederit, possidendi legitimus titulus præsumatur; quod res habeatur a Domino tanquam derelicta, ac tandem quia negligens puniri debeat in re sua, & præmio affici, qui rem curavit, ac diligenter custodivit.

S. Raymundus (b) existimavit hanc legem tantummodo obtinere in foro judicii. In conscientia autem sic præscribentem Dominum non fieri, quin affirmat illius temporis fuisse sententiam communem Theologorum, (c) licet tandem ipse non audeat definire præscribentem esse in statu damnationis.

In præsentia, sententia communis est præscribentem Dominum fieri etiam in conscientia; nam Gregorius statuit secundum PP. *sanctiones ut bona præscripta quiete, & sincere perpetuò teneantur*. (d) Quod argumento a contrario evinci videtur ex Concilio Lateranense, dicente: *neminem sine bona fide audeat præscribere, cum hoc sine peccato mortali haud possit*: vigente igitur bona fide præscribens erit sine peccato.

Textus est puntualis hac super re S. August. (e) ex quo ratio legum istarum eruitur: *quo jure defendis Villas? Divino, aut humano? Respondeant. Divinum Jus in scripturis habemus: Romanum in legibus Regum, unde quisquis possidet quod possidet, non ne jure humano? jure Romano dicit hæc Villa mea est .... per jura legum possidentur possessiones*. Ex quo textu manifeste eruitur persuasum fuisse S. Doctori penes Rempublicam esse jura, & dominia tollere, aut dare, si id ad bonum publicum necessarium judicarit, quod & docet S. Thomas (f) & præcipue

(a) L. usucap. ff. de usucap.
(b) Summ. lib. 2. §. 33.
(c) Apud Tornel. pag. 2. de jur. a. 3. sec. 3. p. 1.
(d) Cap. Sanct. 3. de præscription.
(e) In Joan. tract. 6. 2. 25.
(f) Quodlib. 2. a. 25.

cipue ad puniendos negligentes : *Bona fide possidendo non tenetur ad restitutionem , etiamsi alienam sciat fuisse post præscriptionem, quia lex potest aliquem pro peccato punire in re sua , & illam alteri dare .*

Hanc legem præscriptionis adoptavit jus canonicum cap. *ad aures fraternitati tuæ* innotescat „ quod de Divino Jure , „ & humano melior est conditio possidentis, quia quadrage- „ simalis præscriptio omnem prorsus actionem excludit . In hoc textu *laciniam* irrepsisse creditur , nimirum *Jure Divino* ; nam in pluribus Codicibus non reperiuntur ea verba , nec super illa glossa ulla . Quod si tamen apposita fuerint , intelligenda sunt de Jure Ecclesiastico , cum ea , quæ ad Ecclesiam pertinent , Divina pluries dicantur ; aut forte loquitur Alexander III. de Jure Divino permissivo , & post legum dispositionem , approbativo . Quod enim mihi legitima potestas tribuit , ita meum est , ut contra Jus Divinum peccet , qui eam a me auferre pertentat .

Variat tamen jus canonicum a civili , quod istud non exigat bonam fidem , vel saltem de ea non inquirit , sed supponit , cum ad interiora conscientiæ non pertingat . Illud vero bonam fidem stricte requirat *possessor malæ fidei* , inquit Bonifacius VIII. (a) *ullo tempore non præscribit* . Idipsum statuit Innoc. IV. (b) inhærens Decreto Concilii Lateran. , (c) cujus hæc sunt verba : „ quoniam omne , quod non est ex fide peccatum est , Synodali judicio definimus , ut nulla valeat abs- „ que bona fide præscriptio , tam canonica , quam civilis, in- „ de oportet , ut qui præteribit , in nulla temporis parte ha- „ beat conscientiam rei alienæ .

Privilegium longe majus concedunt Canones præscriptioni , quam concedant possessioni , vel saltem non ita solliciti sunt . Nam ut ostendant præscriptionis legem ad conscientiæ forum accedere , exigunt bonam fidem , & malam removent . In possidente autem de ea tacent , relinquentes forte , eam legem inter eas, etiam in materia justitiæ , quæ forum exterius moderantur .

Pronum

(a) Reg. 2. de reg. jur. in 6.
(b) Innoc. IV. cap. quis plerique 8. de immun. Eccl.
(c) Innoc. in Conc. Lateran. an. 1211.

Primum est judicare ex his, quæ diximus legem præscriptionis locum habere in foro conscientiæ etiam extra materiam justitiæ, si locum arbitremur habere legem illam: *melior est conditio &c.*

Præterea præscriptio iisdem motivis, & fundamentis fulcitur, estque consecutio possessionis; ac tandem si permissum est in foro conscientiæ uti una regula, seu lege civili, scire cupimus *, cur uti alia nefas sit, & maxime si una ex alia oriatur tanquam legitimus fœtus.

§. III.

Quæ sequantur ex usu Regulæ horrenda.

Non fuere olim nimium morosi Auctores, in admittendis Atheis, seu iis, quibus nulla insit notio Summi Numinis; sed & his temporibus Lokij sequaces, qui non pauci sunt, facillime concedunt. Sint igitur apud Peruanos, & Brasilienses, qui Deum non cognoscant, ut ex Joanne *del Teco* fert Lokius. Sint octuagenarii in pacifica possessione, vel nullum colendi Numen, vel colendi Solem, ita edocti a Parentibus, a Magistris, a consuetudine, educatione, ac more contributorum, præscribere poterunt adversus legem Dei, nec obligabuntur ad eam amplectendam, etiamsi tandem ope prædicationis, & miraculorum eam agnoverint, atque eis sit tantum minus probabilis existentia Summi Numinis. Augeatur lumen, fiatque leviter probabilis eorum Secta; ut tandem probabilior evadat Secta colentium iterum Deum, non tamen evidenter credibilis, sicut est perfecte illuminatis in hujus hypothesis gradibus. Quid dicendum, si adversantium doctrina veritati innititur?

Si melior est conditio possidentis dubium solvent in favorem propriæ libertatis, in sua Secta persistere poterunt; nam sive in materia justitiæ, sive aliarum virtutum, universaliter verum est posse hominem agere exorto dubio, quod poterat ante dubium pro conservanda nativa libertate. (a) Agnovit quidam vim hujus ratiocinii, & necessitudine doctrinæ cum

T suis

(a) Viva op.

suis principiis, coactus pronunciavit: „ *Universaliter* tam in materia fidei, quam in materia morum licitum est, cuique „ sequi quamcumque opinionem directè minus probabilem, „ minusque tutam, & si opposita sit, & credatur probabilior „ ac tutior. (a)

Et meritò quidem id asserit propriis principiis innixus, nam ignorantia invincibilis excusat a culpa, etiamsi foret ignorantia juris naturæ: qui autem sequitur opinionem minus probabilem, laborat invincibili ignorantia, ut ipsi docent.

Potiore jure poterit infidelis sequi in dubio Religionis Sectam, quam maluerit, si probabilitati directe accedant regulæ, & leges reflexæ; tunc etenim ut Probabilistis arridet, quod directè, æquè, vel minus probabile est, evadit certum, certissimum, & norma irreprehensibilis excusans a quacumque culpa.

Si autem, quia melior est conditio possidentis, potest quis dubium de Religione depellere, & in sua Secta permanere, non est cur quis inficietur posse etiam præscribere, dum veritatem ignorat; & quidem majore utilitate, quam si præscribat quis in materia justitiæ; nam si domum præscripsi, nihil mali mihi eveniet, præcipue si dives sim, cum velim eam tradere antiquo Domino. Verum infideles illi, sine lege veri Dei, cum Deum non agnoscant Legislatorem, impeccabiles forent, & innocentes; quare male sibi consulerent, si pro conservando illo felici statu, non obsisterent illuminationibus, & Missionariis tanquam invadentibus aliorum jura, & auferre volentibus libertatem, quæ non *bene pro toto venditur auro*; sed, quod majus est, insidiantibus alienæ paci, tranquillitati, innocentiæ, & Impeccabilitati, ut proinde partes essent pii, & boni monitoris, uti omnibus Melioristarum phrasibus, & doctrinis, eosque ita affari.

Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod a natura, Parentibus, & Magistris accepistis, anathema sit, non ei communicetis, ejicite eos, pellite, nolite credere, state in ea vocatione naturali, qua estis; vestram servate libertatem, qua nihil prætiosius; melior est vestra conditio, quam Dei. Qui vos ad aliam Sectam pertrahere conantur, laqueos, & deci-

(a) Apud Palanc. vide q. 29. n. 260.

decipulas parant; tentant vobis illicitum facere, quod nunc vobis licitum. Leges, quas vobis prædicant tanquam odiosas habetote; impeccabiles estis, videte ne ab hoc felicissimo statu vos dejiciant; utimini juribus, quibus vos natura cumulavit; leges etiam optimæ rationi conformes vobis favent inter eos, qui vobis prædicant existentiam Numinis, doctos, & pios Viros Patronos habetis. Famosum est apud illos *melior est conditio possidentis libertatem* in quocumque dubio. Ita judicant, ita docent. Cur in hac parte eis fidem non præbere poteritis? Existat hic Deus, quem vobis annunciant, ipsum, iidem, ut socordem condemnant, si vos clarius non illuminavit; in odium suæ negligentiæ punitur a legibus. Quin autem erit iste Deus, qui a legibus, ut criminis capax redarguitur, & punitur in re sua?

Quod Numen nobis, dicere posset infidelis, invidet ea quibus propter excellentiam naturæ nostræ donavit nos, qui nos condidit? an forte Deus malus est Manichæorum, qui contra bonum naturæ Conditorem pugnare contendit? Forte inconstans, aufert suis legibus eas prærogativas, quibus naturam condendo gratiosus, & liberalis ornavit? Apage Deum hujus indolis! Ita blasphemare quibit impius, si vitiato rationis lumine ad hominum inventa respiceret.

Nemo hic vitilitigare velit impossibile esse Deum ignorari veri nominis ignorantia. Non unus est Auctor, qui Atheos admittat. Atheos a priori, ut loquitur D. Magalottus, nusquam extitisse, aut futuros esse crediderim, cum Deus illuminet omnem hominem venientem in hunc Mundum, id est incipientem vivere vitam hominis, sive rationis; si qui igitur erunt Athei, erunt *a posteriori*, videlicet prius corde corrumpuntur, & tandem in profundum prolapsi contemnunt, dicuntque insipientes *in corde non est Deus*, quod affectu desiderent non esse, quem mente cognoscunt justissimum Punitorem. Nihilominus ut ad hominem procedamus licet hypothesim fingere, quamquam tamen fingere non sit necesse, dum ex nostris adversariis plurimi sint, qui putent Atheos posse facillime reperiri, & præcipue inter barbaras Nationes. Legatur Molina, legatur Sfondratus in *nodo præd.est. diss.* Legatur Lokius, & res confecta erit, nimirum Atheismum facillimum esse. Hic autem Auctor acutus Philosophus subtile sparsit

ſparſit venenum, ad quod pauci animadvertunt, ut monet clariſſimus Muratorius. (a)

Sunt qui negant ex ea quam impugnamus doctrina, ſequi poſſe adverſus legem naturæ, & Dei præſcribi, atque adeo nec Atheos, quos ſupponimus ex principiis Lokii, eſſe excuſabiles defendunt; ſed ſi ſemel excuſamus in dubio, eo quod *melior ſit conditio poſſidentis*, in omni materia etiam Fidei, & Religionis, non video cur eis negari debeat beneficium præſcriptionis; eo vel maxime quod ſupponitur ab eis ignorari poſſe Dei exiſtentiam; ignorato autem Deo, ignoratur Legiſlator, & quidem quid obſtat? forte tempus ab aliqua lege præſcriptum? ſed cui licet in eorum favorem concedere meliorem eſſe eorum conditionem, licebit etiam, & tempus ſaltem longævum concedere, ut præſcribere poſſint; par enim eſt ratio. Præterea præſcriptio conſectarium eſt, & legitimus partus regulæ *melior eſt &c.*, ut jam demonſtravimus. Si eis licet verba ex foro ad conſcientiam trahere, nimirum *melior eſt &c.*, trahant etiam ea verba *tempus longævum*, quale putamus eſſe ſpatium octoginta annorum; vel etiam integrum ſæculum, poſt quod præſcriptionis beneficium connexione doctrinæ, concedere coguntur.

Quod autem Lokius, ut ſententiam propriam emoliret, aſſerat hujuſmodi Atheos non fore excuſabiles, ſed damnandos in die Judicii, id convincit eumdem Lokium aut inconſtantiæ, aut erroris proprium deſtruentis ſyſtema, quod brevi oſtendo.

§. IV.

Lokius caſtigatur.

Si quidem docet Lokius notitiam Dei oriri ex quibuſdam propoſitionibus regularibus, & methodicis, quibus notitia exiſtentiæ Dei deducitur; quarum propoſitionum regularium, & deductionum rudes incapaces ſunt; igitur Barbari excuſabiles, utpote ignorantes id, ad cujus notitiam adipiſcendam incapaces ſunt. Quin facile eſt inſiſtendo Lokianæ doctrinæ, nec philoſophos doctos poſſe cognoſcere certo Dei exiſtentiam. Famo-

(a) Ludovic. Murator. Philo. Mor.

Famoſam Divinæ exiſtentiæ demonſtrationem componit Lokius, ex una propoſitione, quam alibi dicit ignotam etiam Philoſophis. Notitia autem, quæ deducitur ex antecedenti quopiam incognito, notitia non eſt, ſed error, aut dubium, aut judicii ſuſpenſio, vel temerarium, & arbitrarium judicium. Videamus hoc ipſum.

Ita ipſe demonſtrat Deum exiſtere; ego ſentio me cogitare: materia non cognoſcit; igitur ſentio in me exiſtere aliquid quod non eſt materia: iſtud aliud ſemper non fuit; igitur ab alio produci debuit; nemo enim ſibi dare poteſt exiſtentiam. Cum autem effectus cauſam ſuperare nequeat virtute, & excellentia, illud a quo hæc mea res cognoſcens producta fuit, cognoſcens eſſe debet, ſive ſpiritus. Igitur &c. Hæc eſt ſumma illius demonſtrationis.

Nihil dico de illa propoſitione *iſtud cognoſcens, quod in me eſt, non ſemper fuit*: evidens non eſſe. Quid ſi ſim metempſicoſis propugnator? Sed unde Lokius, qui nonniſi evidentiam depoſcit, agnoſcit illam ſubſtantiam cognoſcentem, ſive cogitantem non ſemper fuiſſe? forte quia non recordamur extitiſſe? ita plane ſuſpicari licet; ſed venia tanti viri, eo digna non eſt hujuſmodi cogitatio; plura nobis contigerunt, quorum obliti ſumus; ſi id neget Lokius, vel puerulus nuſquam fuit, vel tunc nihil cogitabat, vel omnium reminiſcitur, quod naturæ miraculum foret. Ut probet Auctor iſte ideam Dei nobis inſitam non eſſe, confundit cum perceptione ideam; & fallitur quia Euclides dormiens prædictus eſt facultate Geometriæ; facultas autem ſeries eſt idearum dormientium, ut ipſe Lokius loquitur. Sed ſit perceptio, quid autem? cognoſceremus igitur Deum, ait Lokius, in inſtanti creationis animæ. Hoc autem eſt evidenter falſum.

Sed hanc evidentem falſitatem ego non video, & falſus ſim, ſi alius videt. Pueri plura cognoſcunt, appetunt, fruuntur; cum adoleverint, evacuant, quæ erant parvuli, eorumque obliviſcuntur; quæ oblivio eſt ne principium evidens, unde erui debeat pueros cognitionis eſſe expertes? quid erunt? Machinæ? Automata? ſed ſi Lokium ſequamur ajentem, ex duabus ideis poſſemus facillime tertiam connexam progignere.

Stabiliamus cum communi hominum, vitam aliud nihil eſſe, quam motum interni principii ſe moventis, & agentis; dicamus pariter, quod nemo negaverit, animam noſtram, ſtatim

tim

tim ac creatur, vivere; addamus, animo potentias solas esse cognoscitivam, & volitivam, cujus operatio naturaliter sequitur cognitionem, evidens fit animam rationalem in primo momento suæ existentiæ, si vivit, & se movet cognitione esse præditam. Hanc putamus Philosophicam demonstrationem, qua dejicitur ratiocinium Lokianum. Sed præcipuum, quod proposuimus, sequamur.

Alibi docet Lokius, nos carere idea materiæ, nec scire posse num ita queat materia subtilizari, perpoliri, purgari, agitari, ut tandem ad cognoscendum assurgat. Non igitur certa est Lokio ea Propositio, *materia non cognoscit*. Porro autem hæc una est ex præcipuis, quibus demonstrationem existentiæ Dei conflat. Consequens igitur, quod inde deducit; *igitur existit Deus*, cum sequatur debiliorem partem, non erit Lokio evidens. Si non evidens *Subtilissimo Philosopho*, ut eum appellat, citatus Muratorius, nec vulgari Philosopho, a fortiori, nec rudibus.

Familiares igitur vi Lokianeæ doctrinæ erunt Athei. Sed agamus, ut demonstremus pariter ejus doctrina, nullum revera esse Atheum, quod paradoxum ipsi Lokio esse debet. Affirmat ipse hujusmodi Atheos excusabiles non esse, & cum Apostolo admittit damnandos. Merito quidem; nam vel ad dexteram salvandi collocari debent, vel ad sinistram damnandi. Ad dexteram non erunt, nisi Atheos beatos futuros velimus; igitur condemnabuntur. Qua suppositione facta, sciscitor cur damnabuntur? Quodnam est ipsorum crimen? Respondet Lokius, quia non bene usi sunt ratione. Si namque bene usi fuissent, ad Dei notitiam pervenissent. Ast adversus hanc responsionem robur habent, quæ ex ipso retulimus, nimirum non omnes capaces esse illorum judiciorum methodicorum, & regularium, ex quibus Dei notitia progigni, & concludi debet.

Cum ubi non est lex agnita, nulla fit prævaricatio, ut in non usu bono rationis, culpabiles evadant Athei, necesse est, ut prius, & antecedenter ad hunc bonum rationis usum, agnoscant legem, quæ illos ad hunc bonum usum compellat, & obliget. Jam vero lex ab aliquo superiore in subditum ferri debet: Hi Athæi non sunt sibi superiores, & sibimetipsis subditi; igitur si agnoscunt legem, & legislatorem, sibi ipsis superiorem agnoscere debent. Igitur idea erunt præditi,

diti, tum legis obligantis, tum legislatoris jubentis eum bonum usum rationis. Igitur non erunt Athei, & expertes ideę Numinis jubentis, sive Dei.

Dicamus ergo nullum existere Atheum, quidquid subtiiizantes dicant nonnulli philosophi, & Theologi; auferre a Mundo volentes peccata, & obligationes; Deus summe providus omnibus providet sui ipsius notitiam, a qua incipere debet œconomia, & sistema operationum moralium hominis; quam notitiam si non colant, si alio distracti dispellant, aut consopiant, & præfocent inescusabiles erunt. Hanc autem notitiam putant sufficere melioris notæ Theologi, quibus adhæret nuperimus philosophiæ Moralis Scriptor (a) asserens, vel unicam inspirationem, & illustrationem Sancti Spiritus ut culpabiles inveniantur ethnici, & Barbari.

Unum addamus male Lokium ex relatione Joann. *del Tecco* concludere in eis populis, non extitisse Dei ideam; nam simul, & refert caruisse notione, sicut Dei, ita & animæ; caruisse quoque nominibus exprimentibus, tum Deum, tum animam. Sed opinabitur Lokius illos homines nescisse se præditos anima? Non agnovisse se cognoscere, ac proinde ipsis inesse principium cognoscitivum? id non arbitrabitur Lokius, & præcipue si pluris æstimet eam, quam conficit demonstrationem; ac tandem si advertat nihil certius esse homini, quam se cognoscere: quod igitur caruerint nominibus exprimentibus Deum, & animum, argumentum non est eis non inhæsisse notionem, aut ideam Dei, & animæ.

§. V.

Fortius urgetur quod dictum est spectata lege Evangelica.

Dum quidam disputantem premeret propositione *ab infidelitate: excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili*, publice & palam, negavit ut alibi diximus posse infideli apparere probabilem, etiam minus, propriam sectam Urgebat arguens propositionem damnatam fuisse eo in sensu, quo

(a) Ghez lib. III. P. 1. Dial. 3. n. 6.

quo ab Auctoribus docebatur; docebant autem licere etiam in materia fidei sequi quamcumque opinionem, etiam directe minus probabilem. Huic porro instantiæ reposuit defendens duo. Propositionem proscriptam universalem esse, atque adeo damnabilem; quod excuset ab infidelitate infidelem sequentem opinionem, etiam *leviter* non *solide* probabilem. Porro vero nulla Secta potest, infideli in conspectu catholicæ, apparere *solide* probabilis. Reposuit secundo quod opinio minus probabilis directe, fit tutissima reflexe, & probabilior, attenta applicatione regularum reflexarum, & præcipue illius, *melior est conditio possidentis*.

Difficillimum est explicatu, difficilius intellectu, quid sit illud *solidum* quod fluxe admodum ingeritur, in concertationibus. Facillimum autem arbitrari minime a summo Pontifice esse damnatam propositionem, in eo sensu, quod infideli post usum regularum reflexarum opinio de propria secta adhuc sibi sit minus probabilis. Verum de his hi loquantur, quorum interest, nos contenti sumus, posse in eorum sententia infideli propriam sectam apparere directe minus probabilem, & adhibitis regulis reflexis, tutam & probabiliorem, ita ut possit licite sequi opinionem de sua secta, etsi minus probabilem. En, Lector prudens, quo tandem pervenitur beneficio (melius dicam maleficio) illius regulæ.

Est autem quod miremur, nimirum Doctores admittere possibiles esse Atheos, quin, & reperiri in regionibus rudibus, & barbaris, ita coacti a propriis principiis, dum vero ex alio latere petuntur, negant etiam de religione Christiana posse in infidelibus reperiri ignorantiam, quæ illos excuset, qua tamen connexione doctrinæ quis noverit? Cum multo difficilius sit ignorare existentiam Dei, quam Christi Domini, ut mox dicemus; & præterea, cum ultro concedant posse alicui infideli propriam sectam apparere probabilem, & mediis regulis reflexis, probabiliorem, erunt certe innocentes, & excusabiles, cum opinio probabilis sit conjuncta, ut ajunt, cum ignorantia naturali, & invincibili, quæ certissime excusat: qui exosum non habent peccatum philosophicum, non tam morosi erunt, sed passis ulnis amplectentur opinionem, quæ docet infideli, sectam propriam probabilem esse. Comparat D. Augustinus ægritudini corporis infirmitatem animi, & sanitati justificationem: Duobus modis acquiri potest sanitas;

nimi-

nimirum in instanti ; id autem non nisi per miraculum ; quomodo Christus Dominus curabat languores Hebræorum : Alio modo gradatim , quo pacto ægritudines per Medici regulas curantur ; pedetentim sanitas acquiritur juxta mensuram recessus morbi ; unde fit, ut æger convalescat , observans præcepta Medici , sed nondum sanus . Sic justificatio D. Pauli miraculosa fuit , & instantanea ; tanta eum luce Deus perfudit , ut lumen oculorum carnalium amiserit , quo significatur conversionem infidelium miraculosam esse , cum luce Evangelii ita illuminantur , ut in eis penitus extinguatur lumen illud tenebrosum, quo sectam propriam colebant .

Verum non ita frequenter contingit . Dum Hæreticos , aliosque Infideles , ad sinum Ecclesiæ adducere satagimus , locum præbemus disputationibus , Evangelio utimur , argumentis, aliisque ordinariis regulis , quibus animi disponuntur , mentes illuminantur , ut tandem Deo adjuvante, qui dat velle, & perficere , Infidelis sectam ejeret suam , & veritatem agnitam amplectatur . Non igitur opus istiusmodi miraculo repentino. Decrescit ignorantia ad mensuram luminis veritatis ; poterit igitur Infidelis constitui in dubio forti , & prudenti , dum æqualia adhuc sunt motiva hinc propriæ sectæ , inde veritatis . Dubium ne solvet inculpatè , si remaneat in suo errore , titulo propriæ libertatis ? Sol justitiæ non oritur in momento , aut saltem non illico illuminat . Convincit , vincit eo tempore , quod horas , dies , menses , & annos ordinarie comprehendit , usque dum mens captivetur in obsequium Christi . Poterit igitur quis hærere anxius , & dubius . Innocens erit , si sequatur opinionem minus probabilem ; eo modo , quo quis sequitur judicium quinque horologiorum ? Ita plane dicendum ab erudito in doctrina Melioristarum .

Rem finiamus , *Fides ex auditu , auditus autem per verbum Christi* , verbum Christi missione opus habet : *quomodo audient sine prædicante , quomodo prædicabunt si non mittantur ?* Non in omnes Mundi plagas remotissimas mittuntur , cum adhuc plures sint incogniti populi . Hi procul dubio laborant ignorantia invincibili legis Christi , id quod admittunt omnes Theologi ; a fortiori confiteri debent , qui cum dubio, & opinione minus probabili eamdem ignorantiam consociant , & sorerculant . Hoc autem dato , cur qui longævo tempore in sua secta vixit , invincibiliter ignorans Christi nomen , non

V potest

poteſt uti beneficio legis præſcriptionis, ſi ei liceat in dubio frui beneficio regulæ *melior eſt conditio* quæ præſcrip tionis mater legitima eſt eidem foro copulata?

DEMONSTRATIO.

Ubi licite obtinet regula, *Melior eſt &c.* obtinet lex præſcriptionis; immo id certius eſt cum lex præſcriptionis juxta communem ſententiam in materia juſtitiæ, etiam ſe extendat ad forum conſcientiæ, quod non ita certum eſt de ea regula. Præſcribi autem poſſe adverſus legem, ſive naturæ, ſive Evangelii. Sanum non eſt aſſerere. Igitur.

DEMONSTRATIO II.

Si ex aliquo principio ſequatur abſonum cum eo connexum, abnegandum eſt tamquam pernicioſum, & falſum. Ex ea regula ad forum conſcientiæ producta, oritur poſſe præſcribi adverſus legem tum Naturæ, tum Evangelii, quod impium eſt affirmare.

§. VI.

Effugium præcluditur.

Jam monuimus in extrema impingere adverſarios, modo facillimi ſunt, ut Infideles etiam Atheos admittant; modo vero moroſi pernegant, ſectam aliam a Chatolica apparere poſſe ſolide probabilem, quare inficiantur concedere *dubium prudens*, cui Infidelis ſubjaceat. Hi poſtremi e diametro ſiſtuntur ſequacibus, & amicis peccati philoſophici, ſi qui fuerint, ſine conditione locuti. Verum dum ex adverſo petuntur Religionis cauſa, probabilitatem ab judiciis Ethorodoxorum amandant.

Facilius foret flammam ponderare, quam gradus veræ probabilitatis, quidquid Poligamus tentarit (a); effugium examinemus; enunciationes in ſe ipſis probabiles minime ſunt, ſed aut veræ aut falſæ; propoſitiones a veritate, & falſitate liberas

(a) Amort. Philoſoph.

ras non agnoscit, qui scit attributum subjecto convenire videlicet, aut non convenire, scilicet *rem esse*, *vel non esse*.

Probabile igitur dicitur relate ad nos, qui res ut in se sunt, non semper videmus. Illud porro dicitur cuique magis, vel minus probabile, quod fortius, aut remissius mentem sollicitat ad assensum, & judicandam unam, vel alteram enunciationem magis ad veritatem accedere. Quod uni erroneum est, alteri verum; quod uni improbabile, alteri probabilissimum apparere potest; *multaque falsa sæpissime sunt probabiliora veris*, *ut ajebat Aristoteles*.

Erronea judicia, & operationes, quæ hinc sequuntur, excusamus a culpa, quin & culpamus omissiones, quæ quandoque ex falsa suppositione præcepti proficiscuntur. Culpa vacat rusticus, si eo quod credat licitum sibi retinere rem inventam retineat; e contra peccat, si judicans se teneri falsum jurare pro vita hominis conservanda, non perjuret. Hæc afferimus exempla, quæ observamus a benemultis adduci, non quod hanc amplectamur doctrinam, neque enim sequaces D. Thomæ tam obviam, tritamque, & familiarem ignorantiam invincibilem arbitrantur, circa ea, quæ cum principiis juris naturæ satis proxime connectuntur.

Jam vero si res ita se habet, rusticus ille ducetur opinione solide probabili, ipsiusque assensus, & operatio sequens erit prudens, alias peccaret operando vi judicii non *solide* probabilis, & minime prudentis. Quod de rustico dicimus, idem asserendum de viro docto, & meticulosæ conscientiæ, si debito præmisso examine, res sibi certo licita videatur; tunc etenim, & si fallatur, ipsius judicium prudens erit, atque adeo minime peccabit in opere.

Sed ea, quæ modo dicebamns de his judiciis solide probabilibus, & prudentibns trahamus ad dubia. Dubitet nimirum rusticus in supradictis casibus. Dubitet vir probus, & meticulosæ conscientiæ, quia nimirum hinc inde aguntur motivis ęque validis. Eorum dubium dicatur prudens, ut ultro concedunt probabilistæ. Quid nunc? Poterunt dubium solvere, usu illius regulæ *melior est conditio &c.*, & rusticus sibi retinere rem inventam; pejerare pro vita hominis conservanda, virque ille, bonæ frugis, agere exorto dubio, quod ante licite quibat.

Sistamus infidelem, quem dicunt negative talem; sista-

mus Hebræum, sistamus Achatolicum, prius quidem in judicio illo sibi certo, quod lex de Numinis existentia, de Christiana religione, de Romana Ecclesia sit falsa, & erronea, ac tandem dubitet; cur eorum judicium non dicetur probabile, & prudens quoque non erit a probabilistis dicendum eorum dubium? Vis sit eadem: motiva æque moventia, rusticum, virum probum, eosque infideles; idem in singulis his speciebus dicendum; materia etenim, sive sit Religionis, sive alterius virtutis remorare nequit. Subiaceret homo, tum in una, tum in altera materia alicui errori. Errare potest circa Religionem, sicuti circa justitiam, veracitatemque.

His autem ite constitutis poterunt hi omnes, æquali jure agere, quod error suggerit; amplectique in illo dubio prudenti, eam opinionem, quam maluerint, & perseverare in suis respective Sectis beneficio illius regulæ *melior est conditio &c.* percunctamur autem, cur tandem præscribere non valeant, si per integrum ferme sæculum, propria persuasione, licet erronea, sint occupati? Statim namque, quod quis prudenter se gerat, ejus judicium *solide probabile sit*, culpa vacat beneficio regulæ *melior est &c.* cur uterque non vacabit si æternum perseveret, beneficio legis præscriptionis?

Sed inquit P. Ghetius unica inspiratio Spiritus Sancti sufficiens est ad culpam Infidelium, nisi eam sequantur. Non ergo eorum error, opinio, & persuasio dici potest prudens, & solide probabilis. *Ghet. loc. cit.*

Optabile foret omnes eadem lingua loqui; tunc etenim, non tam libere excurreret in Codicibus Moralistarum ignorantia invincibilis, cujus ope tollunt, aut auferre inutiliter conantur, peccata Mundi, etiam in his, qui dant operam rei illicitæ, dummodo peccando de Deo non cogitent, aut de ipsius lege.

Quod si ea inspiratio non arridet hominibus incultis, de quibus supra locuti sumus?

Amplectimur pro nunc Ghetii sententiam, si ea inspiratio pellitur, culpabilis fit homo, quod eam non colat, & ad Deum corde conversus, non ipsum roget, & obsecret, ut abundantius illuminet. Non deest homini Deus, qui illuminat omnem hominem, optatque, ut omnes ad agnitionem veritatis perveniant; sed hominem deserit, cum ab homine deseritur. Utatur homo lumine, etiam naturæ, ut vivat ratione

tione duce, servetque naturalia mandata; inter quæ illud præcipuum est diligere Deum tota mente, quod est in ipsum cogitatione ferri; ipsumque orare agnitis propriis indigentis, auxilium ab ipso petere, & tunc Deus qui dat omnibus affluenter, ita illuminabit, ut perducat usque ad cognitionem Servatoris, in cujus solo nomine est salus. Illuminabit inquam, aut ipse immediate, aut evangelizantem mittet, ut docet S. Thomas.

Ex ea autem Ghetii doctrina pronum videtur concludere, unicam illam cogitationem a Spiritu Sancto emissam, sufficere ad tollendam omnem probabilitatem, vim, & prudentiam opinioni propriæ Sectæ, ejusque anticipatis motivis, quibus detinebatur Infidelis, Hebræus, Calvinista &c. Non minus patulum videtur, hos omnes vereri semper debere opera sua, ne scilicet error eorum sit in causa, & radice culpabilis, quod nimirum socordes, & negligentes fuerint in custodiendis sanctis cogitationibus a Spiritu Sancto immissis. Quæ si vera sunt actum est de probabilismo, in materia Religionis, & Fidei, nulla namque opinio erronea, erit solide probabilis, & prudens ejus electio. Sed & similiter in omni materia. Nunquid sola Fidei, Religionis erronea opinio homines damnat? Solius Fidei, & Religionis rigidior, est Zelotes Deus, ut cæteras virtutes nihil, aut parum curet? Amabit impense hominem ad agnitionem veritatis pervenire Fidei, quod vero ipsi serviamus in justitia, veritate, & sanctitate morum non vult? Quod credamus fatagit, quod adimpleamus ipsius leges, amoris, justitiæ, misericordiæ, non optabit, non adjuvabit, suis illustrationibus non impellet? quod si fateamur, necesse est paratissimum esse pro sua bonitate, & amore ad nos illuminandum, ut digne ambulemus per semitam mandatorum suorum; verendum nobis perpetuo est, ne culpa nostra contingat falli in operibus nostris; si quod agimus rectum non sit, rectumque judicemus; quod socordes fuerimus, & minus solliciti in acceptandis, & excolendis sanctis cogitationibus, quibus nos perfudit, aut si non perfuderit, in culpa simus. Hinc sanctus ille, & securus timor, quo angebantur Sancti, quoque agi & nos oportet, si eos imitari, ut debemus, velimus.

Ubi igitur tanta securitas, facilitas tanta in judicando, quod recte agamus, tametsi opinio, quam sequimur solummodo probabilis æque, aut minus sit ea, qua nobis lex Dei jubens,

jubens, vel vetans intimatur, & proponitur? Inficias tamen non ibo admittere opinionem, & si erroneam, quæ cæteroquin sit subjective prudens; sed id tantum contingere puto, dum adhibitis studio, oratione, & examine proximiorem veritati judicamus eam partem, quæ tamen in semetipsa erronea, & falsa est. Melius judicat Deus, cum possit omnia mala præcavere, aliqua permittere, occultis quidem sed semper justis finibus; potissimum vero ut humanam dejiciat superbiam, ut non simus fidentes in nobis; ut nostræ pusillitatis memores accedamus cum fiducia ad tronum Dei, a quo solummodo adjuvari possumus; ac tandem ut nostram salutem operemur cum tremore, & timore, quem D. Augustinus agnoscit, omni securitate utiliorem, expetendumve.

Hæc quidem, quæ unum ex fundamentis Christianæ vitæ constant, dum quis audiret carpebat quasi Asceticos omnes, etiam Dinastas, & Principes, quin & Mercatores, & rusticos agere vellemus. Studio, studio, inquit, opus habent docti, nimirum Auctores consulere debent, quo peracto agant, consulant, ut docent Doctores; Cæteri vero, qui minime studio operam navarunt, ac status conditione præpediti sunt, utique deliberare, & agere possunt, quod suggerit opinio, solidè, & vere probabilis, absque eo quod orationi insistant. Hæc, inquiebat, Concionatorum sunt, minime vero eorum, qui rebus humanis moderandis præsunt. Hæc conscientias perturbant, & vitam civilem cum claustrali, & eremitica confundunt. Si hanc clericorum doctrinam necessariam esse dixerimus (majoris perfectionis esse nemo negarit) actum erit de comerciis, consortiis, bellis, decore nobilium, moribus, solatiis juventutis etc.

Rectores hujusmodi, ex trivio Doctorum, non semel audire contingit: vereor, ne animali homini, in malum prono, calcaria admoveant. Ipsi viderint. Sine humilitate nec B. V. Virginitas Deo placuisset. Tantæ necessitatis ea virtus est, quantæ Baptisma, eodemque verborum pondere, de utroque loquitur Christus D. (a) *Nisi quis renatus fuerit, non potest videre Regnum Dei. Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum Cælorum*. Quæ porro humilitas in homine, qui proprio

(a) Joan. 3. 3. Mat. 18. 3.

prio judicio fisus, negligit, quin refugit Deum orare, ut ei det assistricem sapientiam, qua discernere queat quod beneplacitum est Deo, illudque operetur? Qui dum agitur de periculo Deum offendendi, & ipsius legem contemnendi, non fatetur ante oculos Domini propriam imbecillitatem; nec precatur luminum patrem, ut ei manifestam faciat justitiam, veritatem, honestatemque operis, quod aggreditur? Concionatorum ajunt hæ frases sunt. Nunquid Concionatores ex chatedra veritatis, falsa expuunt, & docent? an forte duplex est Evangelium, unum pro concionibus, alterum pro confessionibus, & consiliis? Idem, idem omnino Evangelium Christi ad cujus normam vivere debemus; omnia pervadit, de quibus judicabimur; judicabimur autem de omnibus, etiam de verbo otioso. Igitur omnia facere debemus in humilitate cordis, in charitate non ficta, in gloriam Dei, sive manducamus, sive bibimus, sive quodcunque aliud facimus. Ab hac regula nullus excipitur, sive princeps, sive subditus, sive nobilis, sive plebejus, aliter si fecerint ad civitatem Babilonis pertinebunt, æternum damnandi. Non igitur declamantium terriculamenta sunt, quæ ex Evangelio, ex P. P., & spiritu Ecclesiæ depromuntur, & publice annunciantur.

Studio legis Divinæ omnes opus habent; quæ ad proprium statum pertinent, singuli callere debemus, si Deo, eo in statu, placere necesse est, peccaturi si negligentes fuerimus. Ab hoc studio nullus eximitur; & Dinastæ, & Mercatores, & Rustici scire debent, ut in suis respective officiis Deo in sanctitate, & justitia famulentur. Nihil prodesse eis poterit, si universum mundum lucrentur, animæ vero suæ detrimentum patiantur. Patientur autem certissime, si ignorant, quæ propriæ conditioni affixæ sunt, leges; scire namque, & scire debere æquiparantur. Doctis non sufficit scire quid alii doceant. Certant Auctores inter se, dissident, contradictoria opinantur, licitum facit quis, quod alius illicitum; possunt ne propterea, & licite contradictoria peragere, consulere, & promovere illicitum putabunt interius opus quodpiam, licitum nihilominus consilium petentibus, affirmabunt, eo quod nonnulli doctores licitum prædicent? Quæ conformitas tunc verborum cum conscientia; firmiter in suo judicio contractum trium ex gr. esse illicitum, & circuitum fœda usura vitiatum putant; nihilominus, quod videant a nonnullis doceri licitum

licitum,

licitum proponere celebrandum? Si hoc mentiri non est: si hoc sinceritatem redoleat; si justitiæ votum; si zelum dum quod judicem ego sciscitantur, quid alii sentiant repono; dijudicent alii. Mihi omnino certum videtur, quod si in mortis articulo, agnoscerem opus me peregisse vetitum, ex consilio directoris, qui ceteroquin agnovit vetitum, sed licitum suasit, de ipso conquererer; nec amplius ab eo consilium peterem, sed aspernarer tamquam subdolum, & ineptum ad dirigendas animas in via veritatis, quæ sola, & unica est Christi, qui veritas, via, & vita est.

Nimium forte Benignis indulsimus, quasi ii faciles non sint, in admittendis Infidelibus, cui assistat ignorantia invincibilis, & excusatrix: sed si eorum principia versatilia perlegimus, eorum inconstantem doctrinam, licentiam inter eos opinandi, ab omni nota liberabimus. Prout quæstio, & opinio poscit, modo negant, quod alibi admittunt; ad Trutinam autem si eorum affirmandi, defendendique proprias sententias revocemus animum, evidentissimum fit, non tantummodo a Molina, aliisque admitti Infideles excusabiles, sed & ab omnibus Benignis admitti debere. Nam opinio probabilis causat *ignorantiam invincibilem*. Palmare hoc illorum est, & potissimum perfugium. Si nonnullorum, inter eos, addamus doctrinam, nimirum a nulla causa, & potestate tolli posse probabilitatem propositionibus, & remanente solida probabilitate, utpote intrinseca, remanebit, & prudentia in ejus sequela, quia qui *probabile solide sequitur*, *prudenter operatur*, licite sequi possemus etiam opiniones, quæ damnatæ sunt ab Ecclesia; atque adeo, & remanebit invincibilis ea ignorantia, qua quis sequitur opinionem damnatam. Et quidem potestne Ecclesia damnare, & vetare actum, qui in se prudens est?

Sed quæ de ignorantia invincibili ajunt, altius assurgit; nam opinio, quæ apertissime repugnat Evangelio, talis esse potest, etiam viris doctissimis, qui Evangelium legerint, & versaverint diurna, nocturnaque manu, tantæque *solidæ* probabilitatis, ut eam tamquam veram doceant, & propugnent; ita ut si forte errent sint excusabiles propter ignorantiam invincibilem; & morosi erunt admittere ignorantiam invincibilem in his, qui nihil de Evangelio audierunt? Pudet assumptum probare. Mandatum de dilectione Dei, ex toto corde, videlicet de interiore amore cordis, expressissimum est in Testamentis veteri,

teri, novoque & tamen non pauci DD., & etiam inter egregios, & majoris notæ benignos, hoc mandatum abnegant, asseruntque hominem ad amandum Deum ex corde non teneri. Quid? peccarunt mortaliter? Sunt ne hæretici, qui contra Divinam Scripturam adeo apertam senserint? Minime ajunt Probabilistæ, sed tantum materialiter peccarunt, eo quod ducti opinione solidè probabili, laborabant ignorantia invincibili. Si porro homines docti, inter Catholicos, a pueritia eruditi in Chatechismis; Doctores Theologiæ moralis facultatis peritissimi, si qui unquam, post lectum Evangelium, ejusque investigatis, examinatisque dogmatibus laborant ignorantia invincibili, circa hoc maximum, & primum mandatum, a quo omnis lex pendet, & Prophetæ, ita anxii, & Religiosi erimus in admittendis Atheis, Infidelibus, Hæreticis, qui laborent ignorantia invincibili, atque adeo excusabiles sint, & in die judicii non damnandi? Videant Benigni, an istorum causa potior non fiat, si illis concedamus (quod absit) quod ipsi concedunt, & suis doctrinis animosiores efficiunt, usu videlicet Regulæ, *melior est conditio* &c. ut possint repudiare, illustrationes, Missionariorum consilia, remanere in propria Secta, & contra legem Divinam, & Evangelium prescribere.

CAPUT VI.

De libertatis Possessione in dubio.

DUplicem distinguunt libertatem Philosophi; nimirum Physicam, & moralem; prima est potestas agendi, aut volendi quod maluerimus; sive bonum, sive malum; porrigendique manum, vel ad ignem, vel ad aquam; ad vitam vel mortem animæ: Altera vero est exemptio, vel negatio subjectionis a lege, sive licentia faciendi licite quod malumus. Hujus postremæ descriptionis sensum non omnes eodem modo intelligunt. Hinc dissidia suboriuntur.

§. I.

Libertas Phisica nihil conducit ad dubii solutionem.

Abs re à nonnullis in campum adducitur, pro dubiis resolvendis, Phisica libertas, quod pluribus ostenditur.

1. Quia, ut omnibus compertum est, ideo in foro judicii potior est possidentis conditio, quia in eo præsuponitur, & præsumitur legitimus titulus proprietatis, qui licitam, & justam faciat possessionem. Quis autem titulus in homine præsumi, & supponi potest, qui faciat pejorem conditionem Dei, qui infinita gaudet libertate Phisica?

2. Quia libertas Phisica, ad ordinem moralem, & justi, sive honesti, minime pertinet, sed ad purum ordinem Phisicum; nec est minus extranea, quam sit pes, vel manus; quare sicut manus nullum præsefert colorem liciti potius, quam illiciti, cujus ratione affirmari possit opus licere, ita neque libertas.

3. Motivum, & causa prorsus indifferens ad duo extrema, abs re prorsus assumitur in favorem unius, præ altero. Hujusmodi est libertas hæc, indifferens ad bonum, & malum, ad honestum, & inhonestum: igitur incongrue assumitur ut motivum, & causa cur res sit licita.

Quod favet æque Reo, & Actori, non reddit meliorem conditionem Rei; libertas autem, tam homini quam Deo favet actori; aut utrique favere potest: cum possit homo, & legem servare, & eam infringere: Igitur etc.

Nonnisi fatuè adiret quis judicem, ut sibi adjudicet gemmam, pro qua lis pendet, eo quod ipse sit Crumenisecа, & eam furari possit. Simili modo, fatuè asseritur, litem judicari debere in favorem hominis contra legem, quia homo opus, de quo dubitatur, possit exequi, & contra legem peccare. Certe non putaretur satis sensatus, qui ita discurreret. In hoc dubio decidendum est contra Deum, quia homo est liber, & peccare potest.

Tandem quia in foro judicii ea possessio favet possidenti, qua expoliari potest, & debet, si actor evidens faciat jus proprietatis. Ast libertatis Phisicæ possessio, nec aufertur, nec auferri potest posita evidentia legis; cum homo etiam instante lege,

lege, liber remaneat ſicut antea: Igitur etc.

Rem exemplo declaramus. Dubitatur num ſit media nox Veneris, atque adeo num poſſim veſci carnibus. Illud num poſſim, exprimit libertatem; nimirum num mihi liberum ſit carnibus veſci. Quis autem dubitaverit unquam, num ſtante dubio mediæ noctis poſſit homo, uti ſua voluntate, ſive phiſica libertate, & dentibus carnes comedere? Non igitur libertas phiſica, ea eſt, cujus poſſeſſio aſſumi poteſt ad dubia diſſolvenda.

§. II.

Neque Moralis libertas aſſumi poteſt ad dubia reſolvenda.

Si contingat in foro exteriori poſſeſſionem non eſſe certam, ſed æque in dubio ſit, ac jus proprietatis, certiſſime nulli favere poteſt ea Regula *Melior eſt conditio poſſidentis*: cum nullus ſit certò poſſidens, cui judex favere debeat. Cædant duo ligna longinquæ ſylvę, unus puta tempore Verno, alter Autumni. Deſint alia monumenta; Lis erit nedum de proprietate, ſed de poſſeſſione; quo caſu nulli applicari poteſt a judice Regula *melior eſt conditio poſſidentis*. Idipſum contingit in foro interiori. Dubitatur namque de ipſa libertate morali; ſive num homo eam ad agendum poſſideat.

Quod ut manifeſtum fiat, advertendum eſt, libertatem moralem eſſe exemptionem a lege, quę dubio procul ab abſentia legis naſcitur: quare legi opponitur, ſicut luci tenebræ opponuntur, & vitæ mors; ſiquidem homo mortuus eſt, ſi vita abſit, & aer tenebroſus, ſi non exiſtat lux. Ita liber eſt homo, ſi non adſit lex; ligatus vero; ſive libertate privatus, ſi lex adſit.

Jam vero dum dubitatur annon adſit lex, num vero adſit, & obliget, dubitatur pariter, & eodem modo, num potiar libertate agendi, ſive quod idem ipſiſſimum eſt, num mihi liceat opus, de quo dubitatur.

Quando certa eſt lex, certa eſt privatio; & carentia libertatis. Cum vero certum eſt legem non adeſſe, certa eſt libertas; quando dubia eſt lex, dubia eſt libertas; & quemadmodum nemo affirmare poteſt, aut ſic ratiocinari, heri Pe-

rrus erat vivus, nunc dubium est ob motiva ingruentia de præsenti; igitur nunc est vivus: ita nemo cordatus discurrere potest; *heri poteram vesci carnibus, quia erat dies Jovis, nunc dubitatur, an sit dies Jovis, igitur possum carnibus vesci.*

Siquidem ut parte prima capite primo difuse satis probavimus, idem omnino est, esse diem Jovis, ac me potiri libertate comedendi carnes, cum mea isthæc libertas ei diei affixa sit; idemque esse diem Veneris, ac me privatum existere hujusmodi libertate; igitur dum dubitatur, num sit dies Jovis, vel Veneris, dubitatur eodem passu, eademque vi, num adsit libertas comedendi, aut lex prohibens, & tollens hanc libertatem.

Dum de re phisica, aut quasi phisica agitur, sive dum litigatur in foro judicii, diversæ res sunt, *possessio*, & *proprietas*, sive ut ajunt *petitorium*, & *possessorium*; suntque invicem separabilia; & dubium de uno, non fert dubium alterius. Sic latro possidet, cui tamen nullum proprietatis jus inest. Dum Petrus possidet, Actor non ponit in dubio ejus possessionem, sed jus proprietatis, agitque in *petitorio*, minime vero in *Possessorio*. Quia vero, ut dictum est, lex præsumit in possidente titulum legitimum, sive jus proprietatis, pertinet ad Actorem evidenter probare injustitiam tituli. In foro vero interiori possessio libertatis moralis, & jus agendi non sunt diversæ res, sed eadem res. Nam habere libertatem Moralem, & non adesse legem prohibentem, mihi inesse jus, licentiam, & facultatem licite vescendi carnibus, idem omnino sunt; igitur in dubiis ipsa libertas est dubia, quin est illud omnino, de quo dubitatur. Igitur Moralis libertas assumi non potest etc.

§. III.

Fit satis uno Argumento.

Dum quis accusatur apud judicem, ut reus homicidii; & rationes probantes homicidium, æquè validæ sunt, ac hæ, quæ innocentiæ favent accusati, innocentia ponitur in dubio, & tamen ita est *melior rei conditio*, ut judex eum absolvat; igitur tametsi in dubio conscientiæ ponatur in dubio libertas, debet nihilominus res decidi in favorem habentis libertatem.

Respondeo primo: Innocentiam hominis sitam esse in carentia

tia criminis, quæ si vera sit, innocentia est certa. In eo igitur casu æstimatio est dubia, cum nimirum multi ex populo, eum judicant, reum, & multi innocentem. Dubia autem aliorum existimatio, non potest alicui nocere; quare revera Petrus innocens est, si crimine caret, tametsi universa civitas reum assereret.

Secundo. In proposita specie lex præsumit acusatum esse innocentem; eo quod nemo præsumitur malus nisi probetur. Verum per rationes dubium parientes non probatur reatus accusati. Quare dum Judex illum non punit, sequitur spiritum Legum, non autem eis contrariatur. Ast in nostro casu minime possumus pręsumere hominem liberum a Lege; cum potius lex habeat pręsumptionem paratam, quod homo nascatur subditus legibus; natura quidem legi naturali, baptismate legi Christi; quare suum est evidenter probare propriam libertatem; sive legem non existere.

Tertio. Quando in dubio posita foret accusati innocentia, certissime tamen ipse possidet libertatem suam Phisicam supra suos actus, & præcipue eorum, quæ pertinent ad suum bonum esse, possidet vitam, membra, res domesticas, aliaque bona, si quę habet, quare non potest Judex ipsum illis bonis privare, in carcerem trudere, torquere, vitam, aut membra, aut facultates auferre.

Quarto. Judex non repellit accusatorem; accusationes non rejcit; nec positive accusatum absolvit, & innocentem declarat; sed judicium suspendit super innocentiam, & reatum. Quandoque, ne accusatus fugiat, ipsum tenet in Carcere ad tempus; & tunc propter delictum dubium hanc carceris pęnam certam subit; quod Melioristę in materia, quam versamus, irrationabile putant; cum tamen in Foro Fori justissimum sit.

In sententia autem, quam impugnamus, homo in dubiis est positive liber; liber judicatur, & absolutus a lege; sive certo judicio judicatur, pronuntiatur innocens; eo quod lex dubia dicatur non existens; & si forte existat nullius esse roboris, & potestatis; cum homo non teneatur ad certam abstinentiam ab opere, ob legem dubiam; quasi pęna foret abstinere ab opere, de quo dubitatur, an sit vetitum.

Quinto tandem. Homines sunt membra Communitatis, ex quibus coalescit Resp. Inter hęc membra, pręcipua, & utilio-

utiliora ſunt homines innocentes : *Innocentes ſunt præcipua pars Communitatis*, ut docet S. Thom. In dubio innocentiæ accuſati hæret Judex inter duas leges, inter duo pericula : nimimirum non condemnandi reum, vel innocentem puniendi. Majus autem malum eſt, innocentem damnare ; quam reum dimittere impunitum : nam malefactore adhuc poteſt Reſp. uti ad aliquod bonum, & præterea non a ſe adimit tempus, & jus eum puniendi, ſi reus tandem dignoſcatur.

Verum ſi innocentem puniat, membro, inter communitatis præcipua, caret, eoque amplius uti non poteſt. Jam vero dum ſumus conſtituti inter duo mala, & illorum pericula, minus eligere debemus, ſectandumque quod tutius eſt, & illud tunc profecto utilius, quod tutius, & favorabilius Reip., & accuſato.

Parum curat Deus Caput, & Legislator hominum, quæ animam minime concernunt, ea vero quam maxime, quæ ad animam pertinent ; cujus Divini judicii exemplar imitari debet homo, cui *quid prodeſt ſi univerſum Mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Mat. 16. 26. Patitur autem dum in æquali probabilitate, temporalia præfert divinæ legi. Homo, qui judex eſt, in dubio hæret inter duo pericula, vel damnandi rationem ſuperiorem innocentem, & potiorem partem in œconomia operationum hominis ; vel vetandi opus fortaſſis jam vetitum a lege, ſive judicandi debere abſtinere hominem ab opere lucroſo, vel delectabili : at tutius eſt, & magis pium abſtinere ab opere, ut compertum eſt : igitur inhærendo etiam argumentationi adverſariorum, in dubiis tutiorem partem amplecti debemus.

Sæpiſſime nobis improperant quod velimus homines obligare ad pænam certam, nimirum abſtinendi ab opere utili, puta a contractu lucroſo, ob legem dubiam. Sed ſi recta ſenſerint, & velint recogitare ſerio, non agitur de delicto dubio, ſed certiſſimo ; quod pluribus exemplis perſuadere facilimum eſt. Dubitat quis Infidelis, num vera ſit propria Secta, in qua vivit læte, commode, & fæliciter mundana ſcilicet fælicitate ; quam ſectam ſi deſerat, a Patria, ab amicis, a bonis omnibus temporalibus amovetur, innumeris incommodis erit obnoxius, & cruci Chriſti tradetur, ſi Evangelium amplectatur. Quid agere debeat, cautiſſimi Chriſtiani dicant. Erit importunus

nus, immitis, imbenignus, qui asserit deserendam esse avitam Sectam, & pœnis certis subjacere?

Dubitat quis num loquendo charitatem proximi læserit; Poterit ne abstinere a confitendo eo dubio? Dicent fortassis adesse legem obligantem ad illud dubium clavibus submittendum, nimirum ea est lex, quam eruimus a reverentia Sacramentis debita, ne videlicet Sacramentum violetur. Sit ut volunt. Pari jure dicemus, adesse legem abstinendi ab opere, petitam ex reverentia Divinæ legi debita, ne videlicet ea violetur.

Dubitat quis an suis operationibus damnum intulerit proximo, eum fraudando re sua, aut aliter. Dum vivit, & *nunc*, vigebit Theologia quorumdam ipsum excusandi; Ast utamur Theologia pro *tunc*, ut argute loquitur Celebris Capucinus Cajetanus a Bergomo, ipsum sistamus in mortis articulo quid pius Director consiliabitur? Quid conscientia moribundi dictabit? De homine æternæ salutis solicito loquor.

Aliud exemplum de accusato attulimus, mox supra; quod scilicet Judex potest eum Carceri tradere, atque adeo ipse accusatus tenetur eam pati pænam certam, ut pareat Superiori juridice, & legitime præcipienti. Alia exempla non afferimus, cum hæc sufficientissima sint, ad eam quærimoniam solide repellendam.

PARS

PARS III.

USque modo ſatis, ut arbitror, demonſtratum eſt, illi Regulæ *melior eſt &c.* nullam ineſſe pro foro Conſcientiæ, ex iis dotibus, & prærogativis, ob quas jure merito Forum Fori eam adhibet pro litibus finiendis; nimirum fines, cauſas, motiva, effectus, privilegia &c. ac proinde non niſi per abuſum, trahi ad diſſolvenda dubia conſcientiæ.

Jam tempus eſt, ut audiamus, quibus rationum momentis, libertatis poſſeſſionem ſtabiliant melioriſtæ, ut ſaltem aliquam Analogiam, levemque ſimilitudinem perſuadeant poſſeſſionem Civilem inter, & Moralem.

CAP. I.

CAramuel exiſtimatur primus, qui cum fervido, quo erat præditus ingenio, in omnem latum revertit, nullumque lapidem immotum reliquit, ut rationes congereret ad ſuum laxiſſimum ſiſtema conſtabiliendum, excogitaverit comparationem Forum inter, & conſcientiam; atque inter Domorum poſſeſſionem, & libertatis.

Arriſit inventum plurimis, qui toti erant in enervandis legibus, & *minuendis obligationibus*, ut loquitur Terillus, atque ad comparationem iſtam, tanquam ad ſtativum præſidium confugientes, putarunt adhibita ea regula, prolatiſque illis verbis *melior eſt conditio poſſidentis* cauſam finitam eſſe, ac ſi Roma loquta ſit. Verum enim vero, nihil auditur frequentius, nil in Auctoribus quibuſdam legitur, conſtantius nil profertur in concertationibus, a quibus recedere experimur bene multos, exultantes, tanquam ex protritis hoſtibus victoriam, palmamque tuliſſent.

Contingit ne, ut monet P. Vaſquez, quod Auctorum turba ſequta ſit ſine examine ut oves Ovem, Caramuelem, cæteroquin Laxitatum Ducem? Suſpicor non ſine cauſa, non ſatis videlicet animadverſum, quo res tendat, & quarum enormium conſecutionum fæcunda parens ſit iſthæc comparatio, & ratio-

& ratiocinium, quo eam fulciri contendunt. Maximi momenti res est, non leviter tractanda.

§. I.
Caramuelis argumentum.

Ad hoc Caramuelis argumentum facile reduci possunt omnes Regulæ reflexæ; in eo etenim omnes collimant, ut libertatis in agendo possessionem stabiliant; aut saltem, ut præcipuum Benignorum fundamentum agnosci debeat.

Illud autem, quod vulgari stilo proposuerat, inventor Caramuel, nonnulli apud Palanco q. 21. n. 46. elegantiore exponunt in hunc modum. " Evidens est voluntatem esse sui ju-
" ris; cæterasque potentias ipsi naturaliter esse subjectas, ut
" omnia tam intra, quam extra hominem tam quoad
" rerum usum, quam quoad potentiarum actus, naturali
" voluntatis dominio subjecta sint. Ratione hujus Dominii,
" voluntas ex naturali suæ conditionis excellentia, est in
" plenissima possessione dominii circa ista omnia; nec ab ea
" deturbari debet, nisi pari evidentia constet, usum hujus do-
" minii, aliqua lege, restringi: quatenus aliquis subjectarum
" potentiarum actus, legitime prohibetur; neque enim quisquis
" incertas juris limitationes tenetur admittere. Porro leges om-
" nes, non solum naturales, sed etiam positivæ, sunt quæ-
" dam limitationes, & exceptiones juris, ac dominia, quod
" naturaliter competit homini circa inferiora omnia, tam in-
" tra, quam extra hominem. Ergo donec, pari certitudine,
" constet legem aliquam restringentem dominium naturale,
" ejusque usum existere; non tenetur homo talem legem ad-
" mittere. Ecce Regula juris, in dubio melior est conditio
" possidentis, non solum æqualiter, sed multo potiori jure,
" tenet in quacumque alia materia, quando lex non est evi-
" dens, aut certa *in contra*.

Cernis ne doctissime Lector, quam huic doctrinæ consonum sit illud dogma, *universaliter in quacumque materia sive fidei, sive morum, licitum est in dubio sequi opinionem probabilem*; cui conformatur illud aliud: *universim facere potes exorto dubio, quod immediatè ante exortum dubium facere poteras*?

Optime ex propriis principiis, hi Auctores, ajunt *Potiore jure*, quandoquidem, qui possidet in Foro Fori, non ha-

 bet

bet a legibus jus proprietatis, & dominii; cum argumentum supponat in homine evidens jus proprietatis, & dominii super omnia modo mox proposito.

Utinam Libertatis notio eadem apud nos foret, quæ apud ethnicos. Libertas, inquit Florent. *Naturalis est facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi quod vi, aut jure prohibetur*. Sed de hac re alibi.

Propositum ratiocinium vim habet plurimùm imponendi; vidique quemdam Probabilioristam, eo audito, dejectum, & veluti victum a disputatione recedere. Verum ad exactam trutinam revocatum, nullus est Paralogismus fæcundior laxitatum, ut ajebat Fagnanus, sed etiam, salva semper Catholicorum Auctorum intentione, impietatem magis redolens. Quod sequentia ad oculum ostendent.

§. II.

Quid complectatur, contineatque illud argumentum.

Exenterandum istud argumentum est, si forte Fel inserviat, ut lumen Cæli videamus.

1. Asserit, inesse voluntati humanæ jus, & dominium super omnes suas actiones, & potentias; quin & super omnia, quæ sunt extra hominem. Non pejora promit Hobbius.

2. Hoc jus, & dominium homini competere, ob excellentiam propriæ conditionis.

3. Istud jus, & dominium naturale esse, sive a natura illi concessum.

4. Sibi propterea omnia licita esse, nihilque jussum, nihil vetitum.

5. Non posse hominem deturbari ab eo dominio, jure, & usu, nisi pari evidentia, & certitudine ei constet de lege prohibente, & restringente illud jus, quod habet super omnia tam intra, quam extra se.

6. Leges omnes sive naturales, sivi Divinas, etiam legem Christi esse limitationes, & restrictiones juris universalissimi, quod competit homini.

7. Legitima consecutione ex præmissis deducitur, leges omnes esse homini odiosas. Cum etenim minuant, & restringant illud jus universale, quo homo a natura donatur propter suæ con-

conditionis excellentiam, contrarias esse oportet, & injuriosas homini, utpote contra naturale jus hominis, & similiter excellentiam propriæ conditionis: nisi etiam addere velimus esse injustas utpote violativas juris: quid enim injustum est, nisi actio contra jus. Odiosæ, & perturbativæ sunt actiones actoris contra Possessorem, & præcipuè, si nedum a possessione exturbare ipsum velit, sed & etiam ab jure proprietatis, & dominii, & propterea ab Judice, tanquam civiliter injustus, & iniquus reiicitur.

Huic deductioni non ibunt inficias assentiri Melioristæ, cum in casibus resolvendis, nihil frequentius exclament, quam *leges sunt odiosæ: odia restringenda: favores ampliandi &c.* cum tamen Hobbius leges arbitratur utilimas, & necessarias ad frænandum jus Belluinum, quod homini a natura concessum effutiit.

Huic principio, nimirum: *Leges omnes sunt usurpationes, & præjudicia juris naturalis hominis*, potissimum est illud, cui Increduli superstruunt præcipua sistemata, ut Religionem revelatam pessundent, & omnino tollant. Id agnoscunt, vel etiam Protestantes, inter quos Pseudo-Episcopus Londinensis in sua Epistola Pastorali edita anno 1730. Satis non erat Caramueli, ejusque asseclis, repagula omnia deiicere, ut laxitatibus, morum Regionem invaderent, inundarentque, si etiam accitis ab Ethnicis impiissimis dogmatibus, ea non providerent novis incredulis, ut hac lue infectis, etiam Catholicorum mentibus, liberiores in dogmatizando efficerentur, minusque odiosa evaderent doctrinarum monstra, Hobbesii, Spinosæ, Tomasii, cæterorumque, hujus temporis, anti-Christianorum. *Quantum fidentia nocet!* quam periculosum est, sine examine, scribere quidquid cacoetes suggerit, & amor propriæ opinionis suppeditat? Quantum, nedum moribus, sed & religioni perniciosum, proprias conceptiones, inconsulta revelatione, traditione, & naturæ canonibus, adoptare, venerari, & aliis, ut colantur, exponere! Quid amabo proficiet Probabilista Catholicus, si hujusmodi Infidelibus concederet: *Leges sunt exceptiones, restrictiones, limitationes, & odia juris naturæ homini concessi a natura, sive a Conditore naturæ propter ipsius hominis excellentem conditionem?* Quo clypeo, quibus armis revelatam Sinagogam pro tempore, quo viva erat, & Christi Ecclesiam æternùm duraturam defenderet, a prædictis

novis Legislatoribus, naturæ ac Dei legum destructoribus. Si veteris, novique testamenti leges assereret, pugnare cum juribus, & legibus naturæ?

Mutuo hic accipiam a Viro piissimo aptissimam exclamationem, *oh tempora*, *oh mores*! Absque iis, similibusque fundamentis nimirum, *leges sunt odiosæ*, *violationes juris &c.* Probabilismus fatiscit, aboletur omnino, & tamen eo devenit fidentia quorumdam, quibus *nec vires*, *nec audacia*, *nec tela defuere*, ut Probabilismum jactarent, ut Ecclesiæ doctrinam. Præcipua Probabilismi basis, basis etiam est, novarum Sectarum, quibus nulla pejor: igitur impietatum feracissima mater erit doctrina Christi servatoris, & sanctissimæ atque Immaculatæ ejus Sponsæ? Hic morbus mores invasit bonos, invaderet & fidem si dormitarent Pastores, & Portæ inferi prævalere possent adversus eam. Sinamus nunc hunc vigilantissimum Pastorem justissimis suis lacrimis perfundi: quid ex adnotatis sequatur, meditemur.

§. III.

Quid sequatur ex eo argumento, patefit.

1. Ex certitudine, quam exigit argumentum, legis vetantis, sequuntur plura, a quibus abhorret Ecclesia, & sensus communis Fidelium. Certissimam asserunt Melioristæ libertatem in homine; certissimumque jus, & dominium super omnes suas actiones. Confundunt, quantum arbitror, libertatem physicam cum morali; sed & hic eis permittatur abusus.

Hæc libertas, de qua ita decisive loquuntur, certa est ea certitudine, quæ ad methaphisicam assurgit; itaut sive Pironicus, sive Spinosista, aut præocupatus præjudiciis Huetianis (si modo tanti viri est Liberculus *de imbecillitate spiritus hominis*) nequeat dubitare. Jam etenim certus est homo, intimo conscientiæ sensu, se posse hoc, vel illud agere, aut omittere, quam certus sit, se cognoscere, & vivere. Addo hominem esse liberum, certum est certitudine Fidei, ut deffinit Tridentinum.

Si itaque tanta debet esse certitudo existentiæ Legis vetantis, quanta libertatis, & juris humani, opus erit ut Deus demonstrationibus Geometricis, aut alio modo inluctabili,

legem

legem intimet homini. Nec moralis certitudo sufficiens erit, ad deturbandum hominem a proprio jure agendi, quidquid maluerit, sed opus erit, ut Deus condat tot articulos fidei, quot maluerit leges intimare, ut eum reddat certum certitudine fidei, legem existere, quemadmodum homini Catholico constat, certitudine fidei, se potiri libertate. Quare

Si duo horologia, immo decem, fidem faciant, hac nocte jam subintrasse diem Veneris, potero nihilhominus carnibus vesci; quia beneficio illorum horologiorum, non tanta certitudine, certus sum, esse diem Veneris, quanta heri eram, esse diem Jovis.

Similiter: Lustravi diligentissime hunc Sylvæ locum, mihi evidens fuit, nullum ibi adesse hominem, evidentia phisica, & experimentali; jam vero nunc dubito; cum autem motiva ibi adesse hominem, non me reddant certum certitudine physica, & experimentali; nec ea certitudine methaphysica, qua certus sum, mihi inesse jus, & dominium jaculandi, utique sine culpa jaculari potero, cum non tenear incertas juris mei certissimi exceptiones, & limitationes acceptare.

Nec oggerant periculum damni tertii; siquidem eo argumento intrudunt ignorantiam invincibilem, itaut excuset ab infidelitate, & a quocumque piaculo, sive etiam ageretur de conflagratione totius orbis; si etenim quis id perageret cum veri nominis ignorantia invincibili, innocens erit; sicut innocens declaratur ab Ecclesia, qui ductus ignorantia invincibili, ageret contra legem naturæ.

Si mihi certa sit certitudine morali lex, utpote quæ a ferme omnibus auctoribus asseritur, fortibusque rationibus comprobetur; non mihi tam certa est, quantum mea libertas, meumque jus, & precipue si unus, vel alter auctor, etiam ex junioribus, eam legem adesse neget. Sequi igitur potero opinionem illius junioris Auctoris adversus eos omnes; quod damnatum est prop. 27. Alex. VII., & 3., Innoc. XI.

§. IV.

Sequitur Judæos fuisse inculpabiles Christum occidendo.

Ita certa est nostra libertas, quam promovent melioristæ, ut de ea nullam omnino patiamur ignorantiam, quæcumque tandem

tandem illa sit; intimus conscientiæ sensus, & testimonium omnem ignorantiæ umbram depellit. Si itaque ut quis culpabilis evadat, debet agnoscere eadem certitudine legem adesse vetantem, Judæi, qui Christum crucifixerunt, erunt innocentes, si aliquo ignorantiæ gradu laboraverint. Laboraverunt autem; & utique aliqua ignorantia, quæ quodammodo meruit commiserationem. Pro his oravit Christus: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* (a) *Qui habitabant Jerusalem, & Principes ejus, hunc ignorantes* (b). *Fratres, scio quia per ignorantiam fecistis* (c). *Si cognovissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* (d) Igitur, si sibi constet meliorisitarum doctrina, Crucifixores Christi D. innocentes fuerunt. Innocens quoque S. Paulus dum ignorans fecit, persequendo Christum, abundantius existens æmulator paternarum traditionum.

§. V.

Absurda alia adducuntur.

Moralis materia talis non est, ut ei aptari possit certitudo methaphisica, aut Geometrica, ut docet post Arist. D. Thomas. Existentia libertatis, tam certa est unicuique, quam quod maxime certum est: si æqualis, & par certitudo necessaria est legis vetantis, ut homo non patiatur libertatis privationem, pro exceptionibus minus certis, contra proprium certissimum jus, actum erit de legibus, & præceptis omnibus; & ferme nullum peccatum erit in Mundo. Quid clarius clamat, & instanter magis inculcat Divina Scriptura, quin & ipsa naturæ rationalis dictamina, quam quod teneamur diligere vero, & sincero cordis amore Deum, primum principium, & finem ultimum omnium nostrum? Et tamen non defuerunt, qui certissimi de sua libertate in scribendo, nonnullis ratiunculis sollicitantibus ad illud præceptum abnegandum, illud de albo legum tulerunt. Si hos Auctores inculpabiles dicimus, quid de doctrinis, & praxi relate

(a) Luc. 23. 34.
(b) Act. 13. 27.
(c) Act. 3. 17.
(d) 1. Cor. 2. 8.

late ad cætera præcepta, quæ ab illo pendent, judicandum erit?

Quid de Gentili, Hebræo, aliisque infidelibus, quibus certissima est propria libertas, sed non ita certa veritas Religionis Christianæ? Amor in avitam Sectam, educatio, exemplum Magistrorum, & parentum, saltem minus probabilem propriam religionem efficiunt; itaut lex de amplectendo Evangelio, sibi videri possit exceptio, & limitatio juris proprii, & dominii collati a natura, atque adeo non teneri ad eam acceptandam, cum præjudicio propriæ libertatis, & dominii super omnes actiones, quo potitur quilibet homo, ob excellentiam suæ conditionis. *Excusabitur igitur Infidelis ab infidelitate non credens* Evangelio *ductus opinione etiam minus probabili.*

Hæ, aliæque consecutiones summi horroris, tanquam e re nata, profluunt ex doctrina Caramuelis, eo modo intellecta, quo ipsius fundamentum explicant, & extendunt illius sequaces: nimirum: *Universaliter tam in materia morum, quam in materia fidei licitum est cuique sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, etsi opposita sit, & videatur probabilior & tutior.*

Optandum foret, ut sicut in pluribus opinionibus, & casibus, Auctores dereliquerunt Caramuelem, tanquam plus justo benignum, ab eo recederent, & in hoc potissimum principio *melior est conditio possidentis* ad forum conscientiæ in omnibus materiis contortum. Quod si adoptetur, non video, quid monstruosum in re morali excogitari possit, quod licitum non sit.

Inquiet non nemo: Putavit Caramuel non laxas opiniones docere, sed potius tutiores, quod insinuat Lib. 6. dis. 3. c. 3. hoc argumento: Is sequitur semitam tutiorem, ut exigunt Canones, qui sequitur, quod leges præscribunt: qui autem in dubio sequitur, quod minus est probabile, dummodo solide, sequitur quod leges præscribunt, cum leges jubeant favere reo: Igitur qui in dubiis sequitur quod minus probabile est, sequitur id quod tutius est. Hoc eodem argumento usus est magni nominis modernus Auctor inter Benignos.

Vides prudens Lector Probabilistas, admiranda methamorphosi, in Tutioristas trasformatos, siquidem apud ipsos *Probabiliorista*, & *Tutiorista* synonima sunt. Discite interim morales studiosi, quid pensitare debeatis de his Auctotibus, qui regulas

gulas præscribunt in arte formidanda dirigendi animas his, similibusve ratiociniis. Quid tandem concludendum ex iis? En. *Qui sequitur opinionem minus probabilem, sequitur id, quod est tutius*: Jam vero in ore omnium Probabilistarum positum est, in sequela opinionis probabilioris sequimur quod est magis tutum, & in sequela minus probabilis id, quod est minus tutum, sed *tamen tutum*; hoc ex ipsorum vocabulario patens est: Igitur qui sequitur id quod est *minus probabile*, & *minus tutum*, sequitur id *quod est tutius*?

Sed ad Aras accedamus. *Qui sequitur id quod est Probabile adversus Probabilius sequitur id quod est tutius: verum in Sacramentis conferendis tenemur sequi id quod est tutius, igitur in Sacramentis conferendis tenemur sequi, id quod est Probabile*.

Idem Paralogismus confici potest relate ad Judicem, cui vetitum est judicare juxta opinionem minus probabilem, & jussum judicare secundum id quod est tutius. Jam confer hos duos Paralogismos cum propositionibus prima, & secunda damnatis ab Innocentio XI., & si a labyrinto exeas, sagacior certe eris Ariadne.

Quod maxime mirari debemus, est, quod non perfunctorie, & veluti casu ad congerendas rationes, ut fatiscentem causam fulciant alioquin ruituram, sed data opera, & textum canonicum *in dubiis semitam debemus eligere tutiorem versando*, has eliciunt transversas consecutiones. Num vero sit sinceri animi, amatoris veritatis, & perpendentis materiæ gravitatem, hæc agendi ratio, tu prudens Lector Judex esto. Quantum ad me attinet Theologum sapere non mihi videtur, sed sophistam, cujus ars est, ut ajebat Plato, ut *venatores parati ad capiendos juvenum animos*; minime vero ad docendam veritatem, & doctrinam Ecclesiæ, sed potius, ad tutamen propriæ sententiæ a veritate elongari, & Ecclesiæ doctrinis opponi. Quod quilibet dignoscere valet ex jam relatis paralogismis; siquidem inde sequitur posse nos uti materia probabili, relicta tutiore in re Sacramentaria; & Judicem judicare secundum opinionem etiam minus probabilem; quod Ecclesiæ oraculis, e regione opponitur: & sequendo minus tutum, sequi nos, quod tutius est, quod patenti veritati adversatur.

Hinc certissime, nimirum ex hac fallaci, cavillosa, & vaga ingeniorum libertate, atque erratica methodo, ortum habuisse arbitror tot laxas, exorbitantes, & monstruosas opiniones in rebus moralibus, quæ majorem partem moralistarum occupant,

occupant, eisque speciosa Doctorum auctoritate imponunt. Taceamus, dum Cælum tonat, audiamusque Oraculum Pontificium Alex. VII. an. 1665. *S. D. N. audivit .... complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam, in rebus moralibus ad conscientiam pertinentibus, modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, sanctorumque PP. doctrina; quem si pro recta Regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus . . . arctam esse definivit in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret. Idem SS. D. N. &c.*

Non is ego sum, qui velim censoriam virgam in aliquem exercere: Homines pios nosco, & fateor; sed nonnullos liberiores fuisse in opinando, nemo inficiabitur, qui eorum libros, & opera legerit. In pluribus fallit proprii ingenii acumen; homines sumus, & aliquando *dormitat Homerus*. In multa labimur, quæ præcaveremus, si ratio, non præjudicata opinio nostra, serena mente Judex esset; si minus de nostra dexteritate confisi, Ecclesiæ normas meditaremur, & quo nos ducere possunt incertæ, & fallaces cogitationes nostræ. Verum quorsus hæc? Lectorem parare voluimus, ut commisereatur humanæ conditioni, si quando viderit, ex quibusdam Auctorum doctrinis quid promanet a veritate, & pietate alienum, ut ostendit sequens Cap.

CAP. II.

§. I.

Idem argumentum protenditur.

HOminem asserit, relatum argumentum illud dominio pleno super suas actiones, & potentias; itaut pro libito suo quidquid velit, licite facere valeat. Idque ex conditione excellentis propriæ naturæ. Age jam: nullum est crimen, quod homo committere nequeat re, vel effectu. His præjactis.

Jus erit homini super omnia, tam intra, quam extra ipsum. Poterit igitur amicitiæ fœdera violare, quod ita horruere etiam Pagani, ut gloriosum putarint pro amicis mortem perpeti, ut facto Phintiæ, & Damonis erudimur. Cic. de Of. lib. 3. c. 6.

Quod jus habet unus homo, habet & alter; poterit ille alios occidere, poterit, & iste: viritim poterunt homines pugnare, & bello utrinque justo, belluarum more dilaniari. Non ita natura docemur. Vel Stoici agnoscebant: *homines hominum causa esse genitos, ut ipsi inter se, alii aliis prodesse possint. In hoc naturam debemus ducem sequi .... artibus, opera, facultatibus devincire hominum inter homines societatem.* (a)

Parentibus ipsa natura, dominium quoddam in filios contulit, veluti remuneratio quædam, quod eos genuerint ut digne observat D. Jo. Chrisost. (b) Arctior colligatio est societatis propinquorum; *Prima quidem societas est in ipso conjugio; proxima in Liberis* (c) ut ait Tullius. Jus vero si concedamus homini propter excellentiam suæ naturæ agere nimirum quid quid velit, Patrem, Matrem, Conjugem, Filiosque necare poterit, in frusta cedere, & Bestiis devorandos tradere, non resistente natura, sed dominium dante. *Nihil quod crudele utile; est enim hominum naturæ, quam sequi debemus, maximè inimica crudelitas.* (d)

Ea, quæ humanæ propagationi opponuntur, eamque impediunt ita exosa sunt, ut ab eis & Bruta abstineant; quin summa cum diligentia, speciei conservationi, ita incumbunt, ut *futuræ sobolis Charitate* (e) lætari videantur. Verum nulli sunt limites, qui jus hominis coerceant, vi illius ratiocinii: nullum Pratum quod pertransire non posset homo, quoniam *hæc est ipsius pars, sors & jus*. Faciat igitur *justitias Gentium* (f); Edificet Gymnasia; cum Bestiis turpiter societur; fusdeque vertat, quæ dicuntur, & sunt jura naturæ. Patriam denique prodat; Principem occidat proprium; Remp. evertat; univer-

(a) Cic. de Offic. cap. VI.
(b) Serm. 4.
(c) De off. l. 1. c. 16.
(d) De offi. l. 3. n. 11.
(e) Salvian.
(f) Sap. 2.

universum humanum genus destruat ; aut si nequit , summo cupiat æstu ; nihil mali faciet , jus suum , & excellentiam propriæ conditionis si sequatur.

§. II.

Pauca , quæ Deum ipsum respiciunt, adduntur .

Eo constabilito hominis jure , Turpe non erit homini , si fidem ejeret ; Deum injuriis lacessat ; Flamminium agat ; Idolis , Demoniis, filios , & filias immolet . Diabolum tanquam Deum veneretur ; ipsum Deo præferat ; Deum odio habeat . Romanorum corruptissimo more , Flores , aliaque vilissima pro Numinibus habeat ; Tyrannico Imperio , sed tamen conformi propriæ Excellentiæ , homines cogat ad Diis sacra facienda ; & scelere hoc admisso , hos adoratores trucidet , hac expressa voluntate , ut nimirum æternam tormentum in damnatione patiantur , & Deum perenniter blasphæment . Uno verbo . Poterit se homo tradere passionibus ignominiæ , & constuprari *usque ad verticem* (a) , in eo statu naturæ suæ , juris , & Excellentiæ , jure illo suo utens nulli injuriam faciet ; inculpabilis , & innocens erit .

Catholicis non imponimus , quod ita senserint , sed ostendimus , quo tandem nonnullorum opiniones ducere possunt , quin & recta ducunt. Et usque adeo ducunt , ut scelestissimum Hobbesianum Systema fulciant , & constabiliant , ut visuri sumus . Id autem eo fine tractamus , ut horrore corripiantur eas examinando opiniones , qui prius inconsiderate eas , ut tutissimas Moralis regulas venerabantur . Quid autem faciendum Catholicos cum Hobbio , aliisque Eterrodoxis sociare ? Absit omnino , ut ex sequentibus patebit ; sed ostendere analogiam, & necessitudinem doctrinæ nonnullorum cum ea Infidelium avemus .

Id vero peragere operæ prætium judicavi , cum experti plurimi sint , nullis argumentorum generibus potuisse permultos , a præconceptis opinionibus abducere , nisi eis ostenderent, qui impietatis fructus tandem enascerentur ex illis .

Z 2 CAP.

(a) Jerem. 2. 16.

CAP. III.

TAmetsi innumeri sint, qui hominem censent nullis legibus natura subjectum, præcipuus tamen inter eos emicat Hobbius, a quo parum distare videntur Seldenus, Christianus Tommasius, Pufendorfius, Wolfius, Barbeyracus, aliique inter Protestantes, qui novis inventis, aut jam antiquatis monstruosis dogmatibus quorumdam Paganorum exsuscitatis, hominis naturam reformare contendunt, & a revelatione præscindentes, quid pro jure naturali adoptandum, tenendumve censorio judicio decernunt.

De Hobbio, sive Hobbesio speciatim locuturi sumus, qui suo sistemate satis magnam Orbis partem fædavit, ostendemusque ejus præcipuum fundamentum illud idem esse, quo Caramuel, & alii nonnulli Catholicorum utuntur, in conflando eo argumento, quod hac in parte Cap. I. retulimus. Prius tamen quis fuerit Hobbius videamus.

§. I.

Quis fuerit Hobbius.

Thomas Hobbes, sive Hobbesius, vel Hobbius, natus est Malmesburiæ in Anglia an 1588. Ipsum mater timore perculsa, immaturè est enixa. Patrem habuit Concionatorem, sive publicarum precum Lectorem. Litteris Græcis, & Latinis initiatus, Oxonium mittitur; ubi per quinquennium Philosophiæ Aristotelicæ operam navavit. Cum annum ageret vigesimum Dominus Gulielmus Cavendisk Comes Devoniæ, ei proprium Filium instituendum tradidit, cum quo Galliam, Italiamque peragravit, onustus ramis, & Porphirianis opibus, quæ tunc magno in prætio erant. Cum vero homines alia loquentes lingua, invenisset, & potissimum Gallileum Gallilei, quem sibi postea devinxit amicum, cognovit eam scholasticam Philosophiam Eruditis derisui esse. Spe laudum, gloriæque, qua flagrabat fraudatus, totum se dedit linguis Græcæ, & Latinæ, nec non, & sublimiori Geometriæ; tacitus autem mores, & officia, dum inter Catholicos degeret, Ecclesiasticorum, quos ut

út voluntatum Tyrannos habebat, observabat; in horum præcipue odium, monstruosum illud immane Leviathan, extunc concepit.

Pluries ex Anglia in Galliam, & vicissim rediit, prout timor, aut spes hinc inde impellebant. Religioni Anglicanæ, in qua natus erat, visus est nomen dedisse. Num vero sincero animo divinare perdifficile est, cum nullam agnoverit Dei legem qua quidpiam juberetur, aut vetaretur, si penitus ejus sistema perscrutemur.

Dum anno 1651. graviter ægrotasset, P. Mersenius, quocum ab anno 1637., amicitiam inierat, suaque cogitata Philosophica identidem communicaverat, eum invisit; cumque vidisset solito tristiorem, suspicatus conscientiæ latratibus angi, nihil timendum suadebat, modo sinum veræ ingrederetur Ecclesiæ, in qua residet Clavium potestas. Ad hæc Hobbius: *Hæc omnia jam dudum mecum met disputavi: eadem disputare nunc erit importunum. Habes mi Pater quæ dicas amæniora? Quando vidisti Gassendum?* Quam audacis fidentiæ responsionem commendat Bayl. Verum ab hac ægritudine convalescens, rebus Anglorum paulisper compositis Angliam repetens obiit Ardovici anno 1679 ætatis suæ 91.

Plurima edidit opuscula, tum Philosophica, tum Mathematica, & Politica, sed celebrius est illud *de Cive*; quod editum quidem an. 1646., & iterum annis 1647., & 1649., tandem excrevit in illud magnum Corpus *Leviathan* impressum an. 1651.

Plures habuit amicos illius temporis celebriores viros, doctioresque, quos inter eminebant Baconus Verulamius, Gallileus, Gassendus, Cartesius, Mersenius, Niceronus, & Verdusius, innumeros autem inimicos. Triginta habuit oppugnatores, ferme coetaneos; unicum anonymum suorum Operum defensorem in Op. edito Amstelodami an. 1651. sub titulo de *Justitia, & decore.*

§. II.

Judicium Scriptorum de Hobbio.

Cartesius asseruit ab Hobbio hominem supponi natum natura impium, aut saltem suppeditari, docerique viam, qua impius fiat. Deca-

Decanus Universitatis Oxoniensis appellat Hobbium *irritabile animal*, *& vanissimum virum*, *pessime de Deo*, *de hominibus*, *Literisque meritum*. Ejus librum *de Cive* asserit *rebus permiscendis natum*. Leviathan vero *Monstruosissimum publico damno natum*. Suo libro *de Cive* favisse factioni Caramuelianę nedum, sed etiam Miltonianæ, Godwianæ, & Ascanianæ, affirmat idem Decanus.

Gilbertus Coquius in Tract. Anathom. Hobbes. Ulraiecti an. 1680. probat Hobbium aposthatam fuisse a Religione Christi.

Samuel Parkerus disp. *de Deo*, *& Provid.* ostendit eamdem esse Hobbii, ac Epicuri impietatem; *qui* scilicet Hobbius, *cum sua axiomata in Religionis ruinam invenerit*, *inanibus distinctiunculis*, *eorum impietatem excusare putat*. Nullum esse Hobbio numen, *cumque nullam esse religionem velit*, *nisi quam jusserit Civitas*, *omnem sustulit*. Vannino, & Epicuro comparat. *Hobbius Deum esse aperte negat*, *cum eum nec corporeum*, *nec incorporeum esse demonstrare putat*. Denique Hobbium, sectatoresque ipsius *omnis impietatis reos facit*.

Renatus Rapinus S. J. Hobbio coevus eum pingit levem, inconstantem somniatorem, modo Epicureum, modo Aristotelicum. Audacissimum Epicureum; Epicuri dogmatis sequacem. (a)

Henricus Morus male suspicatur de Hobbio, quod sensationem reposuerit in reatione unius partis materiæ cum altera.

Joan. Bramballius S. T. D. in Accadem. Oxon., & Episc. Derniens. in Lib. *Captura Leviath.* probat doceri ab Hobbio *hominem fato exstrinseco cogi*, atque adeo liberum non esse.

Gulielmus Pake, sive Lucius S. T.. D., & Episc. Menavensis varios *Leviathan* errores confutat Lib. *observ.*, *& censur*.

Eduardus Hide conspiciendos proponit errores Regimini Civili, & Ecclesiæ perniciosos, qui continentur in *Leviathan*.

Baud Philosophiæ Professor in Collegio Annec. in sua demonstr. Hobbium inter Atheos connumerat materialistas; nec immerito, nam in sua Physica c. 23. sect. 5. materiei partibus singulis potestatem cognoscendi concedit, licet defectu organorum non possit quælibet cogitationes exerere. Si autem mate-

(a) Reflex. sur. la Filos. ancien. Paris an. 1677.

materia cogitat, nulla nos cogit ratio admittendi spiritum; atque adeo nec Deum, saltem spiritualem, & incorporeum. Monadizat hic Hobbius cum Leybnitio; materializat cum Saducæis, cæterisque, qui spiritum, & animæ rationalis spiritualitatem, & immortalitatem pernegant.

Abbas Bencinus olim Propagandæ Professor Primarius, & denique in Universitate Taurinensi Polemicæ Antecessor rejecta Fabella *de tribus impostoribus*, dicterium Friderici II. Imperatoris ut refert Lipsius, tres Impostores agnoscit nimirum Hobbium, ipsius amicum Eduardum Erbertum, & Spinosam, *vesanæ sapientiæ conditores, qui puto naturalismo . . . omne sacrum instrumentum miserrime dilaniarunt . . . Inter Epicureos transacti sæculi audacissimus omnium censetur, eorum principia nequaquam sibi temperans sectatus . . . . ab his tribus Impostoribus Libertinismus, & universarum Religionum contemptus, nec non amplissimi Atheismo, & Deismo limites dati sunt, & inducti*. Synopsis Polæmicæ pag. 27. not. 59.

Antonius Genuensis Hobbesianos vocat *Epicuri de grege Porcos*. *Hobbius Epicureorum canones in Religione, & morali, non raro probare videtur. Quamobrem Atheus audit*.

Sed relictis innumeris aliis, qui Hobbio totis lacertis obstiterunt, videri possunt Adamus Rechenbergius part. 2. dissert. 21. Lips. an 1690., & Templerus in opere. *Idea Theologiæ Leviathanis*; nisi etiam malimus inter Hobbii adversarios accensere Tomasium, Grotium, Pufendorfium, Wolfium, Budæum, aliosque, qui multis Hobbianis placitis contradicunt, & ea expresse impugnant.

§. III.

Recensentur, & refelluntur nonnulla, quæ ad Hobbium purgandum adducit R. B. Auctor vitæ Hobbii.

Hobbianæ vitæ Scriptor, & assentator, plurima oggerit, ut eum purget a notis, quas passim Hobbio inurunt Scriptores; quin cæteris ut virtutis, & pietatis exemplar sequendum proponit. Jejuna tamen adeo sunt, quæ profert, ut refelli minime mereantur. Nemo tamen privandus jure audientiæ si poscat. Videamus igitur num Hobbius sit ille Teren-

rentianus Cremes, qui *humani nihil a se alienum putet* (a); an vero alius quem Svetonius, & Plautus appellant *flagitium*, *& monstrum hominis*, itaut pudere quemque debeat mores imitari ne dum, sed vel legere doctrinam hujus audacissimi, & scelestissimi Impostoris. Laudes sibi promeruisse Hobbium in his Regionibus, in quibus infirma satis est Religio, & sola politicæ arte consistit, mirandum non. In illis Revelatio parum, aut nihil obtinet; sacratiora monumenta inter humana errori obnoxia censentur.

Sollicitante cupidine propriæ libertatis, quid pronius, quam jus dicendi proprio uniuscujusque judicio concedere, & hominem exlegem natura facere, ut ita repagulis vitiorum dejectis, agere quilibet possit, quidquid libuerit? Valde autem mirandum, quod apud quosdam, etiam Catholicos, in prætio Hobbii doctrina habeatur; ei subscribant, eamque saltem ex parte doceant, ut litterati, Philosophi politiores, & acutiores habeantur. Itaque scribit Auctor vitæ de Hobbio.

Neminem læsit, nemini unquam iratus est, nisi lacessitus.

Id non redolet mansuetudinem, quam Christus docuit, sine cujus spiritu nulla veri nominis pietas. Alios Ciceronis canones exequi debuerat Hobbius. Non irasci *nisi lacessitus* proprium est etiam viperibus, & cuicumque *irritabili animali*.

Animæ immortali, æternæque subscripsit, dum in libello *juris Regii an.* 1637. scripsit Pacem inter Cives diuturnam esse non posse, *dum non consensum sit, de iis rebus, quæ ad salutem æternam necessaria esse creduntur*.

Dum Hobbius hominem exhibet nasci cum *jure belli in omnes*, necesse est afferat consensionem in his, quæ necessaria creduntur ad salutem æternam, illi juri Belli esse concontrariam. Docet in suo Leviathan *Pacem diuturnam esse non posse, nisi vel doctrina illa sua recepta fuerit; vel satis magnus exercitus Cives ad concordiam compullerit*. Cum tamen ipsius doctrina homini hominem hostem faciat, vis necessaria erit, ut pacifice vivant. Sed quid Pietatis dignoscitur in his legibus Politicis?

Homo absque Religionis signo, omnibus horrori est, & ad societatem ægrè admittitur; aptior ad convivendum civiliter

(a) Cic. l. 1. de Off. n. 9.

ter, est Christiana ut proprio filio, orbem peragraturo, ajebat Marsarnus, nullius in corde, Religionis homo, ut plures autumant.

Populus sine aliquibus sensibilibus signis, difficile adunatur; sensibilibus autem Symbolis ita vulgus inhæret, ut in eis summam virtutum reponat, piaculumque arbitratur quammaximum, ea violare, ut notissimum est in historia sive Gentilium, sive Fidelium. Harum disciplinarum, sive observantiarum præmium, putant vitam æternam, qui de animæ immortalitate edocti sunt. Quare optime ajebat Hobbius, hanc consensionem necessariam esse pro pace conservanda, in iis, *quos ad pugnandum concitat malum morte magis formidandum; in his enim armorum metus nihil proficere potest ad pacem.*

Num ex his, quæ Scriptor producit, legitime deducatur, Hobbio insedisse judicium de animæ immortalitate, non tam apertum est, ut suspicionem prudentem, in contrarium excludat. Socrates, Plato, Cicero, aliique Philosophi, certissime, si Philosophi erant, unicum numen agnoscebant, insanamque Deorum turbam deridebant; nec tamen populum, ab eorum cultu avertebant; quin potius suadebant, & urgebant. Tullius auctor erat, ut quotannis, duodecim ex Ephebis Romanorum Etruriam mitterentur ad adiscendam Auruspicinam. Possibile ne est a tanto viro in pretio fuisse habitam hanc insanam, turpissimamque artem? Tanti ne faciebat hujus facultatis Magistros, ut fidem daret mulierculæ etiam Etruscæ, quæ Idola, Deosque novo, ex satiricis procreabat, ut refert, atque irridet Arnobius?

Spinosistam, vel Atheum fuisse Athiam eruditum, Ligurni hoc Sæculo demortuum, satis ipse se prodidit, dum novas productiones rerum, mutationesque, non ad Deum cuncta creantem, producentem, regentemque, sed ad occultas naturæ vires, referebat; & tamen suæ gentis Judaicæ cæremonias observabat. Epicurum ita continentem, parcumque traducit Laertius, ut dum jucundius epulari volebat, ad Pythagoricum victum, parum casei adderet, quid tamen revera fuerit Epicurus, discimus a PP: sed præcipuè ab Augustino.

Finis operis quandoque optimus est, & rectus; distortus finis operantis sæpissime. Quantum valuerit apud priscos Philosophos vanitas, & ostentatio pietatis notissimum est Lypsis atque Tonsoribus. Potuit Hobbius hominibus indulgere, &

legem, & Canonem proferre eorum genio accomodatum, & cum ipsis de animi immortalitate exterius, diutiusque convenire; ab ipsis tamen, & in corde dissentire. Sollicitus itaque esse potuit, ut populus uniretur in iis, quæ vulgo creduntur necessaria ad salutem, quin ipse immortalitatem animæ, quam Divina Scriptura continet, ipse crederet.

Sed ex ipsa Hobbii officina facile est desumere quidquid necessarium est ad revincendam assentationem Scriptoris.

Magistratibus, & Superioribus parendum esse, docet Hobbius, nec ab eorum jussis, & consiliis perlatum unguem discedendum. Ab iis præcipiuntur ea, quæ diximus sensibiles observantiæ: iis igitur opera danda. Quod ita verum est, ut Hobbii sequaces non dedignentur publicis exercitiis interesse, quæcumque illa sint, modo a Republica jubeantur; tametsi aliam ipsi religionem, aut nullam colant.

Quia, inquiunt, Resp. *jus habet jubendi, jus autem suum unicuique dandum est*. Hinc potuit Hobbius consulere, quod minime credebat. Potuit, & bis cænam Protestantium recipere, & suadenti Joanni Cosino Episcopo Reformato, ut Deo preces funderet, respondere. *Ita si precibus præieris. juxta ritum Ecclesiæ nostræ*. Quod magnum signum reverentiæ erga disciplinam Episcopalem appellat Scriptor.

Jus Regium demonstravit in Anglia, & populares suos ad pacis, & concordiæ rationem revocare visus fuit; grassante in Anglia Bello Civili. Pluries tamen Hobbius postulatus fuit, etiam a Protestantibus, non solum tamquam Hereticus, sed etiam parti Regiæ adversarius, conjurationumque, & factionum Concitator, vel Auctor. Potuit ipse nihil minus animum ad bellum natum dissimulare, ut apud Principes gratiam iniret. Non unus fuit in Orbe Eucbolius primum Hebræus, dein sub Imperatoribus Constantino, Constantio, & Juliano, Christianus, Arianus, Idololatra. Quod familiarius Hobbio, quam Civili gubernio, potestatique parendum? mutandi proinde mores, ut tempus exegerit. Pacem itaque Bellumque simul complectitur Hobbius, Lupum eum Agno sociat.

Cavit, ne Sacram Scripturam traberet ad sensa ipsi scripturæ contraria, nec opposita Ecclesiæ, quæ ante bellum ortum Auctoritate regia constituta fuerat.

Divinum verbum soli Ecclesiæ favet, eamque solam, veram, sanctum, unicam agnoscit, & declarat: Si favet Eccle-

siæ

siæ constitutæ auctoritate Regia ; hæc erit Ecclesia Christi ; igitur ante hanc constitutionem nulla erat Ecclesia Christi.

Hobbius autem, qui legitima Scripturarum sensa venerari gloriatur, invenit ne in istis Laicocephaliam ? nullum ne in his Scripturis præceptum ? Nulla lex, nisi Civilis ? nulla Deum diligendi, proximumque obligatio, quæ omnia sustulit ipse ? Prophetæ omnes, omnesque PP. præcepta, & leges naturales, ac divinas, quibus obtemperandum in Divinis Scripturis agnoscunt, Hobbius solas Civiles veneratur, igitur Divinę Scripturæ vero sensui minime credit ; aut si sensa aliena ab iis, quæ Prophetæ, & PP. dignoscunt, & reverentur, ipse rupit, dicat iterato, *aut solus insanio*, *aut solus non insanio*, *tertium non est*. Non insaniunt Prophetæ, non Christus, qui præcepta, legesque tulit ; non Apostoli, non PP., non Orbis, qui totas Dei leges recipit ; igitur insanit Hobius ; tertium non est. Insanit etiam Scriptor, dum audaciter affirmat ante Hobbium nihil solidi, quo *ad rem Ethicam scriptum in Orbe esse*.

Summa præditus fuit reverentia in Deum, de quo ajebat: *satius est credere, quam scire*.

Verum quid de Deo credendum ? Tyrannum esse, qui legibus jura humanæ naturę invadit, violat ? Si leges Divinas agnoscit Hobbius, cujus præceptis parendum esse ab homine coacto a potentia Dei irresistibili, nulla erit Deo, necesse est asserat Hobbius, prærogativa, aut caracter, puta bonitatis, Majestatis, misericordiæ, amoris, quibus mereatur diligi, revereri, adorari etc. Sed sola potestas, quæ cogat hominem, ob ipsius imbecillitatem resistendi, ad subjectonem, & cultum.

Theologi, inquit Hobbius, Deo affingunt atributa arbitrariè, atque ipsi indigna ; ita dicendum erat ab eo, qui odio plusquam vatiniano in Theologos Catholicos flagrabat, quod juxta revelationem, optimam Methaphisicam, Ethicamque, disserentes Hobbianum Systema convellant. Docent hi Deum misericordem esse, in eumque sperandum, Providum, qui legibus, auxiliis, minis, pœnis, & præmiis nos regat ; justum, qui amantibus mercedem retribuat ; & in transgressores suarum legum animadvertat ; qui pacem inter homines, & caritatem jubeat, sociabiles esse velit &c. alienum ab iis caracteribus

ſteribus cogitare, non eſt de Deo ſentire in bonitate, ſed malo genio Deum proprio arbitrio, confringere.

Dogmata iſthæc Catholica minime placere poſſunt Hobbio, qui ut ſupra tetigimus, Deum tyrannum facit, qui ſibi ſubjiciat hominem propter iſtius imbecillitatem, & impotentiam reſiſtendi, reſtiturus ſi poſſet homo.

Hæ ſunt, quæ in laudem Hobbii potiſſima adducere potuit Hobbianæ vitæ Scriptor, ut illum exhibeat pium, juſtum, & virtutum exemplar. Sed hæc omnia Hobbium ſuper infimum hominum genus non elevant; quin nec ab Infidelibus, impiiſque ſecernunt, cum componi poſſint cum Deiſmo, & Atheiſmo, ſi pauca demantur. Quis in re morali, & intus in animo fuerit Hobbius ex ejus ſcriptis, & ſyſtemate potius venandum, quam ex nonnullis, ſatis æquivocis, factis; colores ſæpiſſime fallunt: Anhelitus præcordiorum morbos oſtendunt: Non raro, quod facimus animo non eſt conſonum; quod ſcribimus, docemuſque, ut plurimum de corde exit, illudque eſt, quod ſentimus. Si Origenis geſta penſamus ſanctiſſimum, & inter Catholicos Patres, collocabimus; ſi ſcripta ipſius non pauca, quando ipſius ſint, inter Hæreticos non infimam ſedem, & dare neceſſe eſt.

CAP. IV.

§. I.

Num Hobbio præluſerit Carneades?

HObbii doctrinam pauci ſunt, qui ſcriptis ſequantur, innumeri qui corde, factiſque amplectantur, pro his orandum potius, quam diſputandum cum illis. Hobbianum ſyſtema mox dabimus; interim, & in anteceſſum, præmittimus quæſitum. Num Carneades illud præformaverit, quod poſt multos arbitratus eſt Sarrokius. Id vero non omnino certum eſt. Audiamus Lactantium lib. 5 Inſtit. cap. 16. qui Carneadis Senſa refert. " Jura ſibi finxiſſe homines, & „ pro utilitate ſanxiſſe; ſcilicet varia pro moribus, & apud „ eoſdem ſæpe mutata pro temporibus. Jus autem naturale „ nullum eſt. Omnes homines, & alias animantes ad utili-
„ tates

„ tates suas, natura ducente, ferri; proinde aut nullam esse „ justitiam; aut si sit aliqua, summam esse stultitiam. Quoniam sibi noceret alienis commodis quis consulens. Quæ sensa graphicè pingunt Hobbianæ Machinæ fundamentum.

Verum non ita patulum, ea docuisse Carneadem ex animi sententia, quin de hoc dubitari non possit, potiusque coniicere a Carneade asserta, ut voluerit Platoni, Aristoteli, cæterisque justitiæ assertoribus, contradicere. Iterum audiamus Lactantium Cap. 14.

„ Carneades Academicæ Sectæ Philosophus, cujus in dis„ serendo, quæ vis fuerit, quæ eloquentia, quod acumen, „ qui nescit, is ex prædicatione Ciceronis intelliget, aut „ Lucii, apud quem disserens Neptunus de re difficillima, „ ostendit, non posse id explicari, nec si Carneadem ipsum „ Orcus remittat. Is cum Legatus ab Atheniensibus Romam „ missus esset, disputavit de justitia copiose, audiente Galba, „ & Catone Censorio maximis tunc Oratoribus: Sed idem „ disputationem suam, postridie, disputatione contraria sub„ vertit; & justitiam, quampridie laudaverat, sustulit; non „ quidem Philosophi gravitate, cujus firma, & stabilis esse „ debet sententia, sed quasi Oratorio exercitii genere in utram„ que partem disserendi. Quod ille facere solebat, ut alios, „ quidlibet asserentes, posset refutare.... ut Aristotilem re„ felleret, & Platonem justitiæ Patronos.

Utinam nostris hisce temporibus non essent, qui disputandi, cavillandique pruritu, aut proprii ingenii ostentatione, vel fortasse deridendi pietatem, disserunt, garriunt, atque aspernantur ea pietatis opera, quæ a veris sequacibus Evangelii, aut docentur, aut implentur: de his jure dici potest, cum Lactant. loc. cit. *Sive ex animi sensu, sive contentionis caussa* (dicant) *manifestum fit ab justitiæ tramite divertere .... cum Carneade sentiunt.* " De his autem rectissime D. Paulus Rom. „ 1. 22. ajebat: dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt; „ quia stultam fecit Deus sapientiam hujus Mundi 1. Cor. „ 1. 20.

Ut ut autem sit, num ex aliis, aut e proprio cerebro, certo minime helleboro candido purgato, systema eduxerit, illud agnoscere debemus humanæ rationi dissentaneum, injuriosum, & perniciosum.

Hobbium tamen, quem naturæ eversorem jure, & merito dicere

cere possumus, maximi faciunt *spiritus fortes*, & quot quot legum, & religionis jugum excutere molliuntur. Hominem quidem feracis ingenii fateri veritas cogit; optimum Mathesis professorem, optimumque Philosophum appellandum, sed *infelicis Philosophiæ*, quæ non subordinatur Evangelio, ut quondam dictum esse de Pomponatio multi arbitrantur.

§. II.

Quodnam judicium ferendum de quibusdam Hobbium commendantibus.

In laudem Hobbii Joannes Awbreis elogium prodidit, quo sicut nullum audacius; ita nullum magis ridendum; sequentibus igitur *versibus* Hobbianam *quercum* (Marianam ajebat Tullius) *aluit*.

Futilis exornet Barbatos Pompa Magistros.
Et schola discipulos, cogat inepta leves.
Affulsit nova lux tenebroso Hobbesius Orbi,
Quanta est laus hominem restituisse sibi?

Horum Carminum immaginem forte Awbreis desumpsit a Lucretio canente in laudem Epicuri.

...... *Hic est ille*
Qui genus humanum superavit, & omnes
Restrinxit stellas, exortus ut ætherius sol.

Sed de Carminibus hujus furfuris dicamus, quod de Lucretianis ajebat Lactant. lib. 3. Instit. c. 17. *Quos equidem versus nunquam sine risu legere possum. Non enim de Socrate, aut Platone hoc saltem dicebat* " .... *sed de homine, quo sano,* „ *& vigente, nullus æger ineptius deliravit. Itaque Poeta ina-* „ *nissimus Leonis laudibus murem non ornavit, sed obruit, & obtrivit*. Aptius, & æquius Hobbesium pingit Clar. Fransinus Rethorices, & artium Professor in Collegio Taurinensi S. Rochi, præmissa Tullii sententia de offic. lib. 3. n 5 *Si nihil existimet contra naturam fieri* (in statu naturali Hobbiano) *homi-*

hominibus violandis. Quid cum eo differat, qui omnino hominem ex homine tollit?

Dum violens homines ferro petit Hobbius, arma
Et vim naturæ tradita, lege docet.
Quid ratione velis decernere, & irritamentis
Hujus agens furias, fundere verba pares?
Ex homine hoc hominem Portentum tollit, & audet
Omnia sacrilega frangere jura manu.

Quod admiratione dignum videtur illud est, quod Gassendus, & Marinus, N. Mersenius, homines piissimi æque ac eruditissimi opus Hobbianum de Cive, Epistolis ad Samuelem Sorberium datis, summis extollant laudibus, & cudi enixe expostulent. Quare nedum Auctor vitæ Hobbii eas Epistolas promulgavit, sed in editione Amstelodami anno 1742. præmissæ sunt. Verum hæc remorari quemquam haud debent, & avertere a communi opinione, quod nimirum, opus illud perniciosum sit, & inutile ad bonum pubblicum, ad veram religionem, etiam naturalem stabiliendam fovendamque. Laudant quidem prędicti DD. Hobbii ingenium, & acumen; commendant & opera ipsius. Ad personam quod attinet, laudant, & præcipue Gassendus, Epicurum, cujus Philosophicum systema renasci curat, laudant & Socratem, Platonem, Aristotilem, cæterosque priscos Philosophos; sed errores, & corrupta moralis principia detestantur. Excipit Gassendus ea, quæ Catholicam Religionem concernunt; indignaque laudum declarat, quæ ei adversantur. Jam vero innumera sunt, in opere de Cive, hujus genus, ita ut si illius libri analisim tentemus, ferme totum adversus orthodoxiam consarcinatum cognoscere facile est. Nisi igitur suspicemur Gassendum, & Mersenium male de religione sensisse, iniquè operis de Cive, quale nunc habemus, Commendatores traducentur.

In operibus Hobbianis plura sunt, quæ male olent, prophanum sapiunt, ut ait Puffendorfius, sequitur nimirum Hobbius in moralibus Epicurum, ut scribitur in Bibliot. Imperantium pag. 76. quod manifestissime colligitur ex Thesibus, quas propugnavit Daniel Scargil, quę summa Hobbijanæ Doctrinæ dici queunt: has Theses mox dabimus. Interim

Conjicere possumus, hoc de Cive opusculum, minus agni-

agnitum fuisse a Gassendo; cum rarissima fuerint ipsius exemplaria, & Hobbius, non statim, ac propere cuncta sui animi sensa aperire, & significare consueverit; &, ut constat ex variis editionibus, identidem jam præconceptis adderat.

Mersenio communicabat Hobbius cogitata sua Philosophica, & Mathematica, scilicet examen hodiernæ Geometriæ; duplicationem cubi, circuli quadraturam, Problemata phisica: de natura aeris, aliaque hujusmodi; quæ cum Mersenio summe placerent, & præclarissimi ingenii partus ipse dignosceret, opus de Cive, quod minime viderat, ut satis ex eadem Epistola intelligitur, instanter cudi exposcebat. Et quidem, qui fieri potest laudatum iri a Mersenio viro Religiosissimo, Catholicæ fidei propugnatore, Romanæ Ecclesiæ addictissimo, opus de Cive, quod ovum Leviathani recte dicere possumus, in quo tam irrisorie, audaciter, impieque debacchatur contra Fidem, regimen Catholicæ, & veræ religionis Christianæ approbare potuit, & commendare, vel levis Christianus ea, quibus Hobbius de fidei articulis, de naturæ legibus, de spiritibus, atque de Deo, libros de Cive, & Leviathan inficit? Quid porro senserit infra relaturi sumus. Interim ipsius doctrinæ summam accipito,

§. III.

Summa Hobbianæ doctrinæ de Imperio.

In Academiis aliquando obtinere cæpit Hobbiana doctrina, quam juventus Academica haud raro defendere consuevit. Inter alios Daniel Scargil Artium Baccalaureus Academiæ Cantubrigensis Socius, sequentes propugnavit Theses, in quibus summa Hobbianæ doctrinæ continetur; fuit etenim Hobbii Auditor.

1. Jus Dominii fundatur in Potentia.
2. Justitia moralis pendet a Civilibus institutis.
3. Scriptura Sacra in legem sancitur solummodo ex Auctoritate Magistratus.
4. Supremi Magistratus jussis, etsi legibus Divinis, quæ de moribus latæ sunt, contrariis, obtemperare oportet.
5. Gloriosum est Atheum dici, & esse.

Hæc est Summa Hobbianæ Doctrinæ, quæ sub titulo *de Imperio*

Imperio in libro de Cive proponitur ; à qua facile est derivare cætera , quæ in Leviathani libro , horrori sunt .

Illis autem procacissimis assertionibus concitatus Academicæ Magistratus carceri tradidit propugnatorem audacissimum , *coegitque pro concione in templo , publice suas Theses tanquam sibi a Platone submissas ad Stygem damnare* . Quod non leviter Hobbium contristavit .

§. IV.

Hobbianæ doctrinæ enarratio .

Ad rem nostram parum vel minime pertinent cætera , quæ edidit opera Thomas Hobbius , solique Deo opuscula dicavit , nimirum de Cive , & Leviathani . De iis tantummodo sermo nobis erit . Librum de Cive partitur in tres Titulos . Videlicet *libertas*, *Imperium* , *Religio* . Hoc opus , ut jam diximus, ovum est , ex quo exclusit magnum Corpus Politicum , nimirum Leviathan , quem librum verbis Job. Cap. 41. v. 24. 25. describit , *non est super terram potestas , quæ comparetur ei , qui factus est , ut nullum timeret . Omne sublime videt , ipse est Rex super omnes filios superbiæ* . Hic caracter sufficiens est, ut omnibus despectui sit , atque ab omnibus , qui recte sapiunt , reprobetur : Opus hoc in quatuor partes distribuit nimirum : *de homine* , *de Civitate* , *de Civitate Christiana* , *de Regno tenebrarum* , quibus partibus attexit appendicem .

Canones libertatis proponuntur .

Incipiendo a primo titulo operis de Cive nimirum *libertas* sequentes Canones universam Hobbii doctrinam describunt .

1. Homo in statu naturali ; nimirum antequam pactionibus obstringatur , plenum habet jus in omnia . Hinc oritur jus belli in omnes .

2. Unicuique licet facere quæcunque ; & in quoscumque , & possidere , & frui omnibus , quæ vult .

3. Homo hominem naturaliter non amat ; sed natura afficitur primario honore , vel commodo .

4. Homines natura feruntur ad Dominationem .

5. Juris naturalis fundamentum primum est , ut quisque

vitam, & membra sua, quantum potest diuturnam tueatur: Ideo unusquisque jus habet utendi omnibus mediis, atque agendi omnem actionem, sine qua conservare se non potest; etiam palam, & ex insidiis, viribus, atque artibus alium præoccupare: idem judicium de bona fama esto.

6. Mensura juris est utilitas; quare quæ ad commodum, & vitam conducere possunt, jure naturæ fiunt, atque habentur licita, & juxta rectam rationem.

7. Quænam sint ea media, quæ ad propriam utilitatem conducunt, uniuscujusque est judicare. Quæ igitur quisque bona, & conducentia judicat, atque approbat, ea eligere, & exequi potest.

8. Frequentissima Caussa, qua homines se lædere cupiunt, ex eo nascitur, quod multi simul eandem rem appetunt, quare cum metuant homines re, quam appetunt privari, in eis nascitur voluntas, atque appetitus se mutuo lædendi.

9. Hæc voluntas sive cupido lædendi, oritur etiam ex æquali omnium natura, quæ Superiorem refugit.

10. Cum ex pactis, quibus homines in societate obstringuntur, & supremæ potestatis jussis nascatur bonum, & malum; justum, atque injustum, honestum, ac inhonestum, fit, quod ante pacta, & jussa, homini in statu naturæ, nihil sit jussum, nihil vetitum, adeoque actiones illius injustæ, & malæ nusquam erunt.

11. Natura homines dissociavit, & ad mutuam cædem aptos effecit.

12. Vis, dolus, insidiæ sunt Virtutes Cardinales status naturalis.

13. Justum, atque injustum non ex actionibus, sed ex consilio, & conscientia agentium æstimandum est.

14. Judicium de mediis utilibus, necessariis ad vitam diuturnam ducendam pendet ab eligente. Quod judicium recte dici debet *recta ratio*, *dictamen rationis*, *& lex naturalis*.

15. Homo in hoc statu præcise peccare potest, si eligat medium, quod ipsemet judicat inutile, aut noxium ad vitam conservandam.

Sunt & alii Canones Hobbianæ libertatis, sive status naturalis hominis, sed ad hos relatos reducuntur. Ex illis conspicimus hominem Hobbianum Belluinum, ad malum natum, societatis Osorem, hostem natura cæteris aversum hominibus; uno

uno verbo, hominem, qui omnibus horrori esse debet. Verum vel ipse Hobbius hujusmodi monstruosum hominem detestatur, suumque systema fatetur contrarium legibus naturæ, quin & Religioni revelatæ; sive sacris Scripturis, considerans porro statum hunc belli, conservationi hominum adversum esse, utpote qui unicuique tribuit jus alium destruendi, necesse esse, ait, huic malo remedium quærere; legibus nimirum, quibus illud jus compescatur, tollaturque. Quare leges non odiosas, sed humano bono proficuas agnovit, & fatetur; quia vero legibus corpus quoddam civile compaginatur; corpus autem minime conservari potest sine capite, totus est Hobbius, ut quale esse debeat, quibusque juribus potiri congruum sit, istud caput ostendat: tractat propterea de Imperio, cujus canones exibemus.

§. V.

Recensenstur Imperii Canones.

1. Summa potestate potiri debet, qui Civitatem regit, sive illius Civitatis Regimen Monarchicum sit, Democraticum, aut Aristocraticum.

2. In electum Caput omnes particulares, sive membra Civitatis transferre debent omne illud jus; quo in statu libertatis potiebantur; itaut nullus resistere illi Capiti possit, etenim.

3. Potentia certa, atque irresistibilis confert jus regendi, imperandique in eos, qui resistere non possunt.

4. Quum homines sæpissime discordes sint in *meo*, *& tuo*, in *justo*, & *injusto*. Judicium de cujuslibet jure, sicut & de actionum honestate, vel inhonestate pertinet omnino ad eum, qui præest.

5. Quodcumque jusserit, qui regit, pro bono; quod vetuerit, pro malo habendum est: ad eundem pertinet opinionum, sententiarumque, de Religione determinare, & jubere; fidei articulos declarare; & cultum in Deum qualis esse debeat, præscribere.

6. Quidquid præceperit, egeritque, qui præest, impune erit. Cumque legibus non subjiciatur, nulli injuriam facere potest. Quare David Uriæ injurius non fuit, sed soli Deo, ut ajebat in psalm. 50. *Tibi soli peccavi*.

7. Qui præest quod libet licite, atque impune facere potest, ut leges condere, lites judicare, pœnas sumere, viribus, atque opibus pro suo arbitrio uti, atque hæc recto jure.

8. Cum cultus sit animi interior actio, non tenentur Subditi credere ei fidei articulo, quem velit præscribere, is, qui summum habet Imperium in Civitate: debent autem parere si aliquod præcipiat exterius, quod ei articulo contrarium videtur, & sit, ut si imperet exterius dicere, *nego Jesum Christum esse Filium Dei*, quia actiones illæ exteriores ad cultum Civilem pertinent, minime ad Religiosum.

9. Si observantia præcepti jubentis sub pœna mortis æternæ contraria sit præcepto vetanti sub pœna mortis temporalis, cum illud præceptum inimicum sit paci Civitatis, is qui præest, debet præscibere eam doctrinam, & opinionem præcepto suo contrariam.

10. Qui faciunt, quod imperatur a legitimo Superiore, recte faciunt, etsi quod imperatur injustum, atque inhonestum reputetur. *Opinio igitur illorum, qui docent, peccare subditos, quoties mandata Principum suorum, quæ sibi injusta videntur esse, exequuntur, erronea est.*

11. Sententia iniqua, quam in consuetudinem ire sinit, qui præest, lex est, & a subditis observanda. Quia peccatum illud solum est, quod quis fecerit, omiserit, dixerit, vel voluerit contra rationem Civitatis, idest contra leges. Quinimo, si qui præest peccatum expresse precipiat, subditi tenentur obedire; & tunc peccatum est Imperantis, non obedientis.

12. Non peccat Imperans in Civitatem, si innocentem interfici jubeat.

13. Is quis regnat, judex est etiam in Caussa propria domorum, agrorum, item in carceratione, & mutilatione Civium.

14. Leges naturales nonnisi Legibus Civitatis leges sunt; & mutari possunt ab habente summum Imperium; earum interpretatio, non a Doctoribus Philosophiæ moralis pendet, sed ab auctoritate Civitatis.

15. Civis, qui contra Conscientiam facit, non peccat; quia lex publica, & Civitas sunt pro conscientia.

16. Leges non sunt nisi verba, & ideo non obligant, nisi adsit metus alicujus Potentiæ.

17. Quando observatio legum naturalium in foro externo tur-

turbare posset, ut quando a cæteris contemnuntur leges illæ, tunc non obligant; cæteris enim esset in prædam, qui eas observaret, quod est contra fundamentum omnium legum naturalium.

§. VI.

Referuntur Canones ad Religionem Hobbianam pertinentes.

1. Summa Religionis resîdet in potestâte Regnantis, itaut quod illicitum putatur vitium non sit, si vi Regnantis fiat.

2. Ad cultum externum nemo obligatur, nisi legibus Civitatis; quare Christianus jussus a Rege ethnico negare Christum exterius, negare tenetur.

3. Præceptum de pluribus Diis non colendis non est naturale, sed pactitium.

4. Athei non sunt subditi Deo.

5. Obedientia nascitur Deo ex pacto Judæorum cum ipso.

6. Qui non credunt Deo revelanti, non peccant peccato infidelitatis; nec in ipsis punietur infidelitas, sed imprudentia, & alia peccata præterita. Ipsi propterea exempti sunt a legibus Christi, si nolint Christiani fieri.

7. Christus nullam condidit legem, sed tantum promulgavit.

8. Ut Christiani se separarent ab Avaris, Idolis servientibus, & cæteris, de quibus loquitur Apost. 1. Cor. 5. jus non habebant nisi a Regente Civitatem, tametsi foret ethnicus.

9. Nemo Christianus tenetur ad observanda statuta conciliorum, & synodorum nisi accedente potestate civili.

10. Laicus, quin & fæmina potest esse Caput Ecclesiæ Christianæ.

11. Concilia, etiam Apostolorum, facta ante Imperatores, illicita erant.

12. Quænam sint Dei leges, qui articuli fidei, qui actus religionis, quibus Deus colendus, ad eum, qui summum habet Imperium in Civitate pertinet determinare, & præscribere.

13. Jus, quod habet Deus in trangressores suarum legum, nasci-

nascitur hinc ex potentia Dei irresistibili; hinc ex imbecillitate hominis non valentis Deo resistere.

14. Nullibi reperitur, animam hominis esse immortalem nisi ad summum ex gratia Dei. Neque in scripturis habemus esse incorpoream, spiritualem, atque immaterialem.

15. Substantiæ, quæ dicuntur spiritus, sunt præditæ corporibus, sive sunt corpora tenuiora, & subtiliora; quæ proinde gaudent suis, respective, extensionibus.

16. Male a Theologis admittitur in Deo scientia; cum scientia suos habeat limites.

17. Male etiam ab illis natura Dei dicitur spiritualis, & incorporea, cum nullibi in Scripturis, id reperiatur. Hinc rectius dicitur Deus esse Corpus.

18. Præcepta, quæ in scriptura continentur præter leges naturales, sunt pura consilia, nisi accedat jussio potestatis civilis.

19. Qui putant Ecclesiam esse regnum Christi, abutuntur scripturis.

20. Pœnæ inferni non erunt æternæ.

21. Locus Paradisi, in quo post diem judicii, animæ justorum præmiabuntur, est in hoc terestri orbe.

22. Demoniaci, obsessi, atque hujusmodi genus; non sunt aliud nisi ægri epileptici &c.

23. Unicus est articulus fidei, nimirum: Jesum esse filium Dei, promissum pacto.

24. Ad æternam salutem consequendam sufficit illius Articuli fides, atque obedientia legibus civilibus.

25. Nulla est scriptura Divina præter eam, quam recipit Ecclesia Anglicana.

26. Etsi ab aliquibus Deum esse, lumine naturæ dignoscatur; tamen homines voluptatibus, vel divitiis vel honoribus perquirendis continuo occupati, item homines, qui recte ratiocinari non solent, vel non valent, vel non curant, scire id non possunt.

27. Peccatum nullum est, quod non sit contra aliquam legem; neque lex ulla est, quod non sit mandatum ejus, qui summam habet potestatem; neque quisquam summam habet potestatem, quæ non sit ei ex nostro consensu delata: non peccat igitur, qui non existere Deum adfirmat.

28. Quamquam nolle se voluntati Divinæ subjicere, quod ipsum

ipsum non existere opinetur quis, etsi ejus opinio fuerit erronea, ideoque etiam peccatum, numerandum tamen est inter peccata ignorantiæ, atquæ imprudentiæ, quæ puniri jure non possunt.

Hi sunt Hobbiani Canones, qui summam doctrinæ, & systematis Hobbesii constant, & complectuntur. Quid de Deo, ac Trinitate sentiat, fusius infra explicabitur.

CAPUT V.

§. I.

Doctrina Hobbesii, cum opinione Melioristarum comparatur.

HObbiani Canones de libertate sive de homine in statu naturali, e diametro pugnant cum Regulis, & normis Societatis, quippequi traducant hominem natura ferum, societatis osorem, atque hostem alterius hominis, cum unicuique tribuant jus belli, odium, ac voluntatem alios lædendi, cæteraque concedant, quæ societatem funditus evertunt.

Hominis naturam ita descriptam, an crediderit Hobbius qualem ex Dei manibus exierit, num vero ex peccato Adæ profluxerint caractcres, quos ei tribuit; sive an consideraverit præcise hominem peccato corruptum, divinare difficile est; cum de peccato Adæ vix in suis operibus loquatur; & nihil prorsus de peccati primi Parentis effectibus.

Ut ut sit certissime hominem supponit natum ad malum generis humani, ejusque destructionem; ceu ferocissimum brutum, quod non nisi metu pœnarum ligari possit, ejusque sævus animus coerceri. Hinc *cum in statu naturæ conservatio sui, saltem diuturna expectari non possit*. Statuit Hobbius (a) *quærendam esse pacem, quod assertum appellat naturæ legem fundamentalem*. (b)

Pax autem impossibilis est, si ab unoquoque retineatur jus belli, quare homines pactionibus se constringere debent, mu-

(a) Cap. 1. de Civ. n. 15.
(b) C. 2. n. 2.

mutuis, ut illud jus destruatur; omnes in unum coeant, in Magistratum unum, aut Principem transferant omne illud jus, quo potiebantur in statu naturæ; & legibus Regentis se submittant.

Ex qua doctrina Hobbii recte consequitur, Leges civiles, quæ ligant, & coercent effrænem hominis libertatem; non esse recti juris destructiones nocivas, atque odiosas homini, sed potius utiles, proficuas, quin & omnino necessarias ad conservationem uniuscujusque hominis, & totius generis humani. Jus itaque, quod concedit homini, jus est Belluinum, naturæ malum, & perniciosum.

Verum jus, quod Melioristæ concedunt homini, bonum reputant, & donum cuilibet a natura datum, ob excellentiam, & præstantiam humanæ conditionis; cui juri cum contrariæ, atque inimicæ sint leges, utpote quæ illud restringunt, & limitant, rectissime appellandæ sunt odiosæ; nec ullo modo acceptandæ, nisi evidenter probentur, & sine ulla tergiversatione statutæ declarentur ab eo, qui jus habet excellentiæ hominis præjudicium afferre, atque interim illi resisti potest, tamquam importuno actori invadenti jus legitimum hominis. Opinio privata boni, & mali moralis recensetur ab Hobbio inter opiniones seditiosas, aptasque ad dissolutionem Civitatis. Quantum præjudicet sanæ Morali, eamque enervet, & dissipet libertas opinandi, ac tutum facere quidquid particulares homines opinentur, omnibus est pervium, & a SS. Pontificibus, ac Teologis sanioris ethices deploratur, illegem hominem Hobbes non facit, sed legibus naturæ, & Dei subditum. Dictamen rationis legem naturæ appellat, quæ patefit *per verbum æternum hominibus innatum, nimirum* rationem naturalem, contra quam legem peccare potest homo etiam in statu naturali, atque ante leges Civiles. Hanc legem naturæ, docet non ignorari ab homine usum rationis habente, ita ut nemo inexcusabilis sit, quamquam Deum neget, & voluptatibus, aliisque curis immersus; cum insipiente dicat: *non est Deus*,

Melioristæ hominem legibus subditum natum negare videntur; quippe qui jus ipsi concedant in omnes suas actiones, tam intra, quam extra se; jus autem non haberet, si ab jure, vel lege vetaretur, sive si subditus foret legi prohibenti. Quemadmodum enim supponitur jus proprietatis; & verus titulus in

eo,

eo, qui possidet; ita jus dominii supponunt Melioristæ, in homine super actiones suas propter titulum excellentiæ naturæ rationalis a Deo bonorum Auctore collatum . In ea, quæ lege vetantur jus nullum est, inquit Cocceius. Ignorantiam invincibilem, & excusantem, etiam supremi Numinis, facilime concedunt Melioristæ, ita ut opinio etiam minus probabilis sufficiens sit, ad repudianda præcepta; quinimo ad negandam Dei existentiam; cum in omni materia sive Religionis, sive morum excusent a culpa, eum, qui sectatur opinionem probabilem, etiam minus. Quin ne dum excusant Melioristæ a culpa formali imputabili, & pœna digna, sed & etiam a materiali, cum purgent ab omni malitia, & defectu opus a lege vetitum, patratum nimirum cum prædicta ignorantia, illudque judicant sanctum, Deo placitum, & gratum. Atheos non excusat Hobbius a culpa, & a merito punitionis, eos nimirum, qui voluptatibus deditos, vel non valentes, propter mentis imbecillitatem, Deum agnoscere. Excusant autem Melioristæ Atheos non tantummodo, sed & peccatores obcœcatos, quos in statu impeccabilitatis collocant. Quinimmo & eos, qui peccando actu de Deo, ejusque lege non cogitant.

Perversum putat Hobbius, post constitutam pactis Remp. Hominem esse Judicem in propria Caussa, & justum judicare, quod justum non fuerit judicatum ab habente imperium. Verum Melioristæ rectum, & licitum, sive justum judicant, quod propria suggerit opinio, & judicium, tametsi probabilius eis videatur damnari ut injustum a Deo Supremo Domino. Damnat Hobbius, reprobatque animum ejus, qui ob purum putumque metum pœnarum Leges observat. Non reprobant Melioristæ eum, qui ut adimpleat legem pœnitentiæ, pure, & præcise pœnitet ob metum pœnarum, sine, vel saltem initio amoris Dei.

Cum Hobbius statum illum naturalis libertatis reprobet tanquam malum, & perniciosum humano generi ultro confiteatur, Melioristæ vero eumdem libertatis statum tanquam donum debitum homini propter excellentiam ipsius naturæ exaltent, nonnemini videri poterit, eorum principia pejora Hobbianis: qui ita arbitraretur minus perspectam haberet vafritiem Hobbii. Fateri tamen debemus, ab ejs, certe minus caute, adoptata fuisse nonnulla, quæ Hobbianæ doctrinæ speciem habere videntur; & cum ipsa necessitudinem, & analogiam

retinent. Quod sequenti comparatione comprobatur.

PROPOSITIONES COMMUNES.

Hobbio,	& *Melioristis*.
1. Lex, nisi declarata sit, & promulgata, ita ut ignorationis excusatio omnis probabilis auferatur, ne id quidem, quod contra legem factum est, recte puniri, aut crimen appellari potest.	1. *Lex ita evidens esse debet, ad hoc ut ad culpam obliget, ut non remaneat opinio solide probabilis de ipsius legis non existentia; quare si contra legem quidpiam fiat, culpa omnino vacat.*
2. Unusquisque a natura jus haber facultatibus naturalibus utendi.	2. *Homo ex naturali suæ conditionis excellentia jus habet utendi suis facultatibus, & potentiis.*
3. Homo ex natura sua habet jus in omnia, faciendique quidquid ei libuerit.	3. *Homini ex natura sua inest jus licite agendi, quidquid maluerit.*
4. Ante leges, & pactiones hominum omnia sunt indiferentia, adeoque, & licita homini.	4. *Usque dum lex cognita sit eadem evidentia, qua homini evidens est propria libertas, ipsi omnia licita sunt.*
5. Homo ex natura sua se ipsum amat: quare ea, quæ propriæ paci, libertati, commodo, & utilitati obsistunt, repellere jure potest.	5. *Cum leges obsistant naturali dominio, & libertati hominis, is eas repellere licite potest.*

Consecutiones utriusque communes.

1. Homo ex vi suæ conditionis naturæ, & excellentiæ nulli subditur legi, & potest perpetrare, & agere licite; & sine crimine quodcumque ei libuerit; eique in eo statu nihil est vetitum, nihil jussum.

2. Leges omnes perturbant hominem a suo dominio, & jure naturali, quo gaudet in unumquodque.

Hobbius, ut supra animadvertimus, leges civiles expostulat, ut illud abominabile jus naturæ refrænetur, & destruatur;

tur; quare leges civiles non odiosas, sed proficuas homini declarat, & asserit. Non ita Melioristæ, cum, licet alia doctrina, & principio doceant quod

3. Leges omnes sive naturales, sive divinæ sunt odiosæ, & obsistunt excellentiæ naturali hominis.

4. Homo potest suum jus naturale deffendere adversus quoscumque, etiam adversus Deum, tanquam Auctorem, hominis juribus, & dominio præjudicium afferre nitentem; non secus, ac possit possidens domum, se deffendere ab aggressore, sive actore, eumque repellere.

Constans est Hobbii doctrina de Imperio, quod postquam homines coeuntes in unum Corpus, omnia jura sua transtulerint in eum, quem ut caput Reip. eligunt, teneri ei parere, & cæce agere quidquid ille jusserit sive bonum, sive malum ipsi intus in conscientia, judicarint: quia cum omnia jura ipsi concesserint, parendo, ab omni culpa immunes evadent; & si quod crimen in opere fuerit, totum refundetur in imperantem, minime vero in obedientem.

Ab hac doctrina parum videntur recedere ii, qui docent, onus esse Sacerdoti post acceptum Præsbyteratus Ordinem, aut Monaco post emissam professionem, obedire Episcopo, & regulari Prælato, siquid faciendum jusserint; quod illi subditi judicarint, multo probabilius illicitum; quia inquiunt melioristæ Prælati sunt in possessione juris præcipiendi, & subditi, præcipue Monacus, omne jus propriæ voluntatis, in voluntatem Superioris transtulerunt: quare, tametsi judicent opus illud, aut actionem injustam esse, obedire tanentur, & siquod peccatum erit, imperantibus, non obedientibus imputabitur.

Et quemadmodum, ut docet Hobbius, si ita non sit constitutum, ut subditi tali modo obediant, ablata subordinatione destruetur Civitas, & unusquisque ad statum libertatis rediret; ita nisi cæco modo obediant Prælatis suis, subditi, ablata subjectione, atque ordine, peribit virtus obedientiæ cæcæ, qua corpora Ecclesiastica constant, & subsistunt.

Judicare de justo, & injusto, licito, aut illicito non ad membra Civitatis pertinet, sed ad eum, in quem jura sua contulerunt; inquit Hobbes; cum homines in suis judiciis proni sint ad errorem; Hanc doctrinam puram, putamque adoptare sine ulla limitatione nequeunt Melioristæ, nequit ullus alius, cum primum judicium, & postremum dictamen con-

scientiæ intimantis legem nostra intersit, ut docet S. Th., debeamusque potius *obedire Deo, quam hominibus*, ajebat D. Petrus act. 5. 29.

In statu libertatis statuit Hobbes, unumquemque regi posse, & licite agere quidquid libuerit judicio proprio, & arbitrio.

Placitura, ut arbitror, hæc doctrina iis, qui statuunt, in dubio posse quemquam sequi opinionem, quam maluerit, dummodo prius proprium accedat judicium; & voluntas pro libito mentem determinet ad eam partem, quam maluerit.

§. II.

Quorumdam Hobeizantium nonnulla refferuntur Placita.

Qui abjecta regularum firmitate, ea comminiscuntur, quæ suggerit hominis judicium infirmum, multiforme, inconstans, & præceps tuto pedem figere nequeunt, sed per absurda quæque agi, & cieri necesse est. Hujusmodi sunt nonnulli Hobbii sectatores mali corvi mala ova.

Inter hos recensentur Christianus Tommasius, Scmasius ipsius discipulus, Seldenus, Cumberlandus, Parbeytacus, & alii inumeri hujus temporis scribentes *de jure naturæ*, *de hominis officiis*, aliisque similibus argumentis; qui licet Hobbesium spernere, atque oppugnare videantur, & impium ac prophanum traducant, ut Pufendorphius loquitur, capitale tamen Hobbianæ hypotesis, fundamentum approbant, & promovere, totis lacertis, conantur.

Illud autem est: *Prima, & fundamentalis naturæ lex est, ut unusquisque ita semetipsum, & sui ipsius conservationem, & vitam felicem, ac diuturnam amet, ut omnibus mediis queat, & valeat uti ad eum finem obtinendum*.

Ex quo præjacto fundamento rectissime, ut arbitrantur plurimi, colligunt, juris mensuram esse utilitatem propriam, quam preferri opporteat, aut saltem liceat cuicumque alterius vitæ; utilitati, & commodo: ac demum omnia, ex ea lege, consequi, quæ complectuntur Canones Hobbiani, relati Cap. IV. §. IV. Isti porro, quod in homine præcipuum est, videlicet rationalem vitam, atque æternæ felicitatis desiderium

rium considerare nolentes, hominem animal corruptum palpant, fovent, eique licitum faciunt, quidquid ei utile, & jucundum est.

Hinc facile consociare possumus doctrinam Melioristarum, cum opinatione horum Auctorum hac in re; videlicet leges Divinas esse odiosas homini corrupto, utpotequæ ipsius libertatem, & dominium coercent, & proscindunt.

Hobbianæ arboris fructices putant nonnulli Canones, qui circumferuntur, tanquam leges societatis liberorum Cæmentatiorum: jure vel injuria, ignoro: sunt autem.

1. Deus creavit hominem plena naturali libertate præditum, in qua omnes homines æquales sunt.

2. Hanc naturalem libertatem nullus restringere potest, sine injuria Creatoris.

3. Solis interioribus actis Deus contentus est: exteriores vero indifferentes sunt, & permissi.

4. Tyranni sunt, tyrannicæ leges, quæ hoc jus naturale hominis restringere tentant, quod in injuriam vergit Creatoris, qui hominem hoc jure decoravit.

In hoc tertio Canone castigatius loquuntur quibusdam, cæteroquin Catholicis, qui injuriosum Deo putant præcipere hominibus, ut diligant *Deum ex tota mente, & ex toto corde*.

§. III.

Refertur systema Scmasii.

Scmasius Discipulus Christiani Thomasii, sed Magistro pejor, profitetur, se a revelatione præscindere. Posthabita revelatione, rationalem etiam vitam adoritur, irridens his, qui rationis dictamina, tanquam naturæ leges, aut saltem tanquam legis præcones recipiunt, totus est, ut suadeat vivendum esse juxta instinctus, qui sensu deprehenduntur.

Non præscindit Scmasius a revelatione, idem dicendum de relatis Auctoribus, qui hominem illegem faciunt sed revelationem pernegant, aut e regione ei opponuntur. Siquidem, cum eorum systemata verbo revelato, & scripto contraria omnino sint, necesse est afferant, aut ea, quæ his opponuntur revelata non sint, abnegentque proinde sacra Biblia: aut falsum esse, quod in eis continetur. Hi igitur, qui nova illa dog-

dogmata ; & novas moralitatis regulas cudunt a revelatione alienas, non Deo revelanti credunt, non Divinæ Scripturæ deferunt; sed omnia contemnunt, atque aspernantur.

Pergit autem Semasius: statim ac homo natus est, jus habet vivendi, & ita sibi soli, ut non propter alios sit factus, quare Parentes veluti instrumenta sunt, quibus natura utitur, ad generis humani propagationem. Parentes autem in filios amor non tangit, sed ipsos sola libido excitat. Nutritionem, & educationem natura commendat, ut filii gratum erga Parentes animum exhibeant. Eo quod autem vivendi jus habeat filius recens natus, sequitur nullum inesse jus parentibus eum interficiendi, siquidem tunc jus pueri violarent.

Quia vero vita infelix, quando pejor sit ipsa morte, jus, quod habet homo ad vivendum, præcipue dirigitur ad beate vivendum: nemo enim vivere desiderat, sed quatenus vivendo fruitur, eique vita jucunditatem aliquam, & fruitionem parit. Porro cum varia sint de felicitate judicia, pro genii, & temperamenti varietate, ita ut quod uni bonum, alteri malum inutile, & injucundum videatur, felicitas, ad quam jus habet homo, relinquenda est genio uniuscujusque.

Ex quo fit unicuique homini jus a natura datum esse, ut ipse de sua felicitate statuat, & libere sectetur quæcumque sibi convenire putat utilia, commoda, & jucunda; atque adeo ut indulgeat omnibus voluptatibus corporis, atque animi.

Et quia jure connaturali sibi vivit, jure æquissimo propriam utilitatem aliorum utilitati præferre potest. Ad ita vivendum instinctibus naturalibus impellitur homo; atque tanta vi pollent, ut legum omnium vires superent. Hinc leges, quæ his instinctibus adversantur, eosque coercent, æquissimè dicendæ sunt violentes, nocivæ, & odiosæ, cum miserum faciant hominem, atque a sua felicitate avertant.

Cum vero ad vivendum, & jucunde vivendum plura sint necessaria, jus est homini eis utendi, prout judicaverit ea sibi bona, atque utilia fore, & in hoc sensu *jus inest homini in omnia*. Qui etenim jus habet in finem, scilicet ad feliciter vivendum, & in media jus habere debet.

Jus istud in omnibus æquale est, sed quia natura amat pacem, non omnibus tribuit idem genium; ne singulis easdem res appetentibus, bellum exoriatur.

Ex primigenio illo jure jucunde vivendi nascitur in homine

ne quocunque, *jus Belli*, scilicet se deffendendi; atque adeo cum plures res ad jucunde vivendum sint necessariæ, prout unusquisque judicaverit ea sibi utilia fore, jus inerit cuilibet eas armis etiam tueri, & occupare. Si autem ut vult, Hobbius, unicuique jus esset alterius rem sibi vendicare, natura præciperet *possidenti, ut pateretur*, & alteri concederet jus ita agendi, ut alius infeliciter vivat.

In omnibus his judicio uniuscujusque standum est; liberos enim omnes natura creavit, & ab Imperio aliorum exemptos: quare jus habet quilibet ea sibi vindicare, illudque facere, quod sibi bonum visum fuerit.

Huic juri adnectitur *jus impunitatis*, seu exemptionis a pœna. Pœna enim imponi non potest, nisi a Superiore; hominis autem natura nullus Superior.

Hujus naturalis æqualitatis fundamentum non in *viribus*, ut vult Hobbius, collocandum, in his enim manifesta reperitur inæqualitas, sed in æquali sorte nascendi, & jure vivendi.

Quid sit jus inquirit, & inquit esse facultatem licite faciendi, quam definitionem accipit ab Hobbio de Civ. c. 1. num. 7. *Juris nomine significatur libertas, quam quisque habet facultatibus naturalibus secundum rectam utendi rationem*.

Si Semasius sibi constet, hanc Hobbianam definitionem respuere debet, quippequi *dictaminibus rationis*, nihil defert, sed unice instinctus pro ratione, & jure agendi adoptat. Aliam juris explicationem adfert ex Grotio de jur. Bel., & Pac. lib. 1. c. 1. §. 3. n. 1. *nimirum jus est, quod injustum non est*.

Huic juri libertatis repugnat omnis coactio, atque adeo nulla lex illud naturaliter restringit. Potest autem homo huic suo juri cedere, quemadmodum, qui jure venandi potitur, abstinere a venatione. Quare homo potest tædio miseriarum sibi de repente vitam abrumpere; cum etenim quis judicat majus malum esse misere vivere, quam mori; sibi mortem inferendo, eligit minus malum, ut majus effugiat: quod æquum est, & rationi consentaneum.

Ne in illud jus effrænum Hobbianum Belli incidat Semasius affirmat, unicuique a natura tributam esse *inviolabilitatem, & sensum æquitatis*, quibus arbitratur, unicuique a natura impositum esse, ne violet jura alterius: quia alias homo

mo natura inviolabilis factus, lædi jure posset. Sentit porro unusquisque in semetipso, si alterius jura violet, quod injuste agat; si ipsius judicium non idipsum judicet, metuit illum alium injuriam vindicaturum; hocque movetur, atque obligatur naturali instinctu ad reparationem injuriæ. Ille porro internus sensus æquitatis, metusque vindictæ læsi, est verum, & adæquatum fundamentum obligationis mutuæ hominum, & regulæ decantatissimæ: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*.

Hic autem instinctus servandi æquitatem, & inviolabile jus alterius, cordi hominum ita a natura tam alte infixus est, ut de eo ignorantiam nullam prætendere quisquam possit, tantamque vim habet, ut omnem legis vim superet.

Hæc porro obligatio non tam valida est, ut possit unumquemquam ligare, cum enim a solo metu vindictæ proficiscatur, robustior, qui rem habet cum debiliore, ei obbligationi non subjacet. Quia vero homo rationis compos pertimescere potest Magistratus, qui animadvertunt in eos, qui jura alterius violant, metu majore perculsus, ea obligatione tenetur.

Hæc duo nimirum libertas agendi, sive jus *concessivum* in omnia, & *inviolabilitas* aliorum jurium, sive *jus præceptivum*, quæ ab eadem natura proficiscuntur amico fœdere conjunguntur; & tametsi contingere posset, quod quis ad propriam vitam tuendam, dolo, fraude, injuria, & cæde indigeat, non tamen proprie, alteri injuria irrogatur, aut frangitur alterius jus præceptivum naturæ; quia cuilibet jus est, se potius servare, quam alios. Dicendum idem de rebus, quibus indigemus ad vivendum; has etenim etiam cum cæde alterius, servare possumus, atque adipisci.

De Hobbiana Doctrina, qua Hobbius propugnat jus Belli in omnes ita loquitur Scmasius. " Hæc Hobbiana Philosophia
„ ad commendandum statum civilem, ex ingenio potius, quam
„ ex rei veritate conficta est. Facultas quidem inest homini
„ in omnia, modo jam occupata non sint; secus si occupata
„ fuerint, nam æque natura impellit ad servandam *inviola-*
„ *bilitatem*, atque indemnitatem juris occupantis, & possi-
„ dentis.

Si res in primæva libertate sit, poterit quis, poterit & alius eam fraude, vi, & cæde acquirere, & tunc aderit bellum utrinque justum.

CAP.

CAP. VI.

IMpugnandum nobis est Systema Hobbianum, ejusque contradictiones patefaciendæ, ac tandem investigandum, num sincere admiserit leges veras naturales, & Divinas, quibus in foro conscientiæ homines obligentur. Primo autem.

§. I.

Contradictiones Hobbii potissime recensentur.

Præcipua contradictio, quæ totum Hobbii systema convellet, ea est, dum vult lege naturæ hominem obstrictum ad sui conservationem, ex qua lege profluit *jus in omnia*, & *jus Belli in omnes*; cum tamen primam asserat, & fundamentalem naturæ legem esse, destruere illud jus Belli, & statum illum naturalis libertatis. Quin & sibi contrarius est, dum ex una parte docet, homini jus esse Belli, ut se conservet, ex altera quod jus Belli sit destructivum humani generis, & neminem conservari posse, nisi pactionibus, legibusve jus Belli destruatur.

Naturam igitur naturæ adversam suis legibus, & mediis ad finem conservationis hominum traducit Hobbius: Hoc jus Belli, & in omnes vel erit a Deo naturæ Conditore traditum; vel nihil erit, non prærogativa rationalis creaturæ, sed purum putumque phantasma. Si a Deo traditum, quomodo a Deo revelante tollitur? Hoc argumentum infra instaurabimus.

Cætera, quæ docet consectaria naturæ humanæ, ejusque appetitus, ut *metus mutuus*, *voluntas lædendi*, quam inesse, ait, omnibus hominibus; gloriæ studium, aliaque similia, licet optima dicat ad consetvationem sui, & a natura provide concessa, fatetur tamen, perniciosa esse ipsi humano generi, atque unicuique hominum.

Affirmat homines natura æquales esse, (a) & ideo unicuique omnia licent, videlicet, jus habet homo utendi omnibus mediis ad sui conservationem, atque agendi omnia, & contra

(a) De Civ. C. 1. n. 10.

omnes, si modo necessaria judicaverit, sibi utilia, *Cum juris mensura sit utilitas*.

Sed ex adverso docet, quod filius non possit Patrem occidere, quia est sub patria potestate, quare filius dici non potest in statu naturali libertatis, atque adeo, si Patrem necaret, foret injustus. Non igitur homines natura æquales sunt; nec unusquisque jus habet in omnia, & in omnes; nec filiis inesse debet voluntas lædendi omnes, aut cupido dominandi in omnes.

Insuper, igitur jus habet Pater in filium, adeoque injustus foret filius offendens, vulnerans, aut enecans Patrem, aut Matrem, cum tunc violaret jus Patriæ potestatis. Jam vero si Pater, & Mater jus habent in filium, is, qui alterius filium vulneraret, aut occideret, foret injustus, atque injuriam faceret patriæ potestati. Infiniti autem sunt, qui Patrem, aut Matrem habent, jam igitur paucissimi erunt, qui potiantur jure Belli in omnes, & jure in omnia.

Hæc autem Patria potestas, sive jus in filios non generatione (a) Patri contingit, sed primum *ad eum pertinet, qui primus in potestate ipsum habet. Nam qui hactenus dominium Patris in liberos asserere conati sunt, argumentum nullum atulere præter generationem*; *quasi per se evidens sit, quod a me genitum est meum esse*; addit præterea filium esse potius sub potestate Matris, quam Patris, quia ipsa sola est secura de Filii legitimitate, & quia ad eam potius pertinet filii conservatio, cura, atque educatio, unde etiam in hoc genere verum est: *Partus sequitur ventrem*. Itaque tota ratio juris in filios ab educatione, cura, & conservatione venanda est.

Puerum autem Mater educare debet, non quia genuit, sed quia cum omnes naturaliter sint in statu Belli, filius, quem genuit, hostis fieri posset: igitur educet ne fiat hostis. Quid autem si Mater moriatur, demus & si Pater; aut si fœmina puerum exponat, cujus erit in eum dominium? (b) *Si qui expositum educaverit, idem habebit Dominium, quod Mater habebat* (*non generando, sed alendo*) & quamquam Mater expositum, & derelictum petere possit, id ei accidit, non quia Mater, sed quia, sicut & cæteri, jus habet in omnia, filius tamen jure ad Matrem transire non potest, cum se, & omnia debeat ei, a qua

(a) De Cive c. 9. n. 2.
(b) Ibid. n. 4.

a quo fuit educatus. Idem autem est judicium ferendum de servo respectu *Domini*, & de Alumno respectu educantis.

His ita constitutis paucissimi erunt homines considerandi in statu Belli, in quo statu omnia omnium sunt; nam præterquamquod hi, qui Patrem, aut Matrem habent, non erunt in statu libertatis, sed sub Imperio, & patria potestate, sicuti erunt & servi sub Imperio Dominorum; paucissimi autem sunt, si senes exceptos velimus, qui patre, & matre orbati sunt. Hi etiam sub Imperio erunt Avi, & Aviæ; nam cum Pater, & Mater sint sub Imperio, similiter Patris, & Matris, quidquid illorum proprium est, ipsorum quoque erit: n.5. Sicuti *si Mater Bello capta sit, natus ex ea capientis est*.

Sed si non generatione, sed educatione, nutritione, &c. Altrices, earumque Mariti jus habebunt in pueros, quin Medici, Pharmacopolæ, aliique, qui vitam vel custodiunt, vel conservant; Et quicumque alii, qui quomodo vel a morte liberant, vel ad vitæ conservationem puerorum, vel hominum laborant, aut laborarunt. Qui panes, aut alios parant cibos, vendunt, vel elargiuntur. Hi porrò omnes, si metus eos moveat, possent & multis opitulari, ut hostes non fiant. Qui etenim alimenta capiunt omnia donanti debent, & sub illius sunt Imperio. Sublatus igitur erit status libertatis; vel saltem ita minutus, ut falsum propterea sit *omnes ante pacta, & leges sunt æquales*.

Quid porro de Deo dicemus? Pacto inquit Hobbius, quod cum Adam, deinde cum Abraamo pepigit, Deus jus habet Imperii in homines. Id quidem verum sit de Abraamo, ut Patre Judaicæ nationis, cujus specialis Rex, esse dignatus est, fuitque usque ad electionem Saulis; jus non habebit in cæteros, qui a Deo rebellarunt; regnabit utique propter solam potentiam irresistibilem, non autem jure vero, & legitimo. Cum enim homines a Deo rebellant, ut hostes habentur a Deo, non ut Subditi, ut docet Hobbius.

Veruntamen cum Deus omnes enutriat, curet, & conservet, detque etiam cibos pullis corvorum, omnes sub ipsius vero, legitimoque jure erunt, & non tantummodo propter potentiam irresistibilem.

Docet pariter Hobbius in statu naturali quidquid agat homo in hominem, nusquam ei erit facturus injuriam; cum etenim cuilibet insit jus in omnia, & in omnes, omnia jure fa-

cere potest; quod autem jure fit, juste fit; quod vero juste fit, contra justitiam esse non potest, atque adeo nulli injuriam facit, qui non contra justitiam facit.

Joco ne an serio ille dicat ignoro, dicet Terentius. Pater, Mater, nutriens puerum jus in illum habent; si qui eum igitur occidat, contra jus eorum agit, quod autem contra jus fit, injuste fit. Præterea cuilibet inest jus in omnia, propterea quidquid agat homo adversus alium, aut in eas res, quibus necesse habet, ut vivat, & jucunde vivat, erit contra ipsius jus, atque adeo injuste fit. In statu etenim naturæ, si unusquisque dicere poterat, *hoc meum est* Cap. 1. n. 11. Si ergo alter suum dicit hoc *meum est*, & jure dicit, rem, aut vitam illius, si ego auferam, ei violentus, atque injustus sum. Quod autem dicat Hobbius *alter jure invadit*, *alter jure resistit* ibid. n. 12. satis ostendit, quibus contradictoriis implexum sit ipsius systema: ea propter, ut belluinum, & homini indignum reprobandum esse, & legibus, & pactionibus estirpandum.

Quod omnes, qui in societatem coeunt, jus proprium transferant in eum, quem eligunt ad summum imperium, infert Hobbius, nulli facturum injuriam, tametsi alium occidat, propter eandem puerilem rationem, quia nimirum, qui regit, summum habet jus in omnes. Quare David occidendo Uriam gladio filiorum Ammon. 2. *Reg.* 12. 9. ea propter pœnituit David peccasse quidem in Deum, minime autem in Uriam, confitens Deo, *tibi soli peccavi*. (a)

Cum ante Hobbium nihil secundum rectam rationem in re morali scriptum sit, jactat Scriptor Hobbianæ vitæ, aut David jam systema Hobbii adoptaverat, aut aliquid rectum jam ab eo tempore scriptum erat. Sed Hobbii deliria præfocat Naabam Propheta eodem c. 9. 2. *Reg.* nam ibi exprobat Regi homicidæ injustitiam, qua Uriam interfecit, ut sibi in Uxorem acciperet Bersabeam, quæ Uriæ erat, sicuti ovis ad Pastorem pertinet. Violavit igitur David jus Uriæ, quod in propriam vitam habebat; violavit & jus Bersabeæ, quo potiebatur in Uriam; nam vir in uxorem jus habet, & uxor in virum; adulterio, & homicidio utrumque violavit David, dum carnem divisit contra consectarium mandati Dei, *erunt duo in carne una* Gen. 2. 24. Cum

(a) Psalm. 50.

Cum non omnia jura sint transferenda in eum, qui summum habet imperium, sed solum quædam Cap. 2. n. 3. profecto illud retinendum est jus, quod est primum, & fundamentum cæterorum, nimirum *jus ad ea agenda, vel omittenda*, quæ necessaria sunt *ad vitæ, membrorumque conservationem quantum fieri potest, diuturnam, quod est lex naturalis, sive dictamen rectæ rationis*. Cap. 2. n. 1. Cap. etiam 3. n. 13. 14. Jus igitur occidendi non habet Regens; nec sine injuria, aut violatione juris alterius occidere potest. Igitur David non soli Deo peccavit, sed & in Uriam, & Bersabeam.

Translato omni jure in eum, qui supremum habet imperium, ita ut nulli injuriam facere possit, ferme sequentur ea omnia, quæ in statu naturali timere quisque poterat: siquidem; si proprium judicium ita imbecille est, & ad errorem pronum, ut Hobbius sæpissime dixit, facile erit Regentem falli, eaque imperare, & agere, quæ civium juribus adversantur; eos opprimere, & vexare etiam eorum vitam, ut propterea in Civitate seditiones fiant, in Imperantem insurgant, Civitatem destruant discordiis, & excusso jugo illius Tyranni, ad libitum, & utilitatem, non ad populi bonum gubernantis, ad statum Belli redire.

Quid autem dicendum de David textu ex Ps. 50. *Tibi soli peccavi?* nullum Scripturarum admittit Hobbius sensum, nisi quem conformem viderit Ecclesiæ Anglicanæ, ut scribit Auctor vitæ, quasi ante deformem reformationem non extiterit Ecclesia Christi, aut non habuerit recti Scripturarum depositum.

Sunt, qui putant hunc Psalmum a Davide compositum, dum ante oculos habens Synagogam ad Christum conversam in fine Mundi, quando erit una Fides, unum Ovile, & unus Pastor, dicturam Deo Patri, *tibi soli peccavi*, addunt tamen, & *filio tuo*, quasi pœnitens dicit tibi soli revelanti filium tuum peccavi non credens; peccavi & filio tuo illum crucifigendo. Sed alias, & longe solidiores interpretationes sequamur. Audiamus Basilium, & Theodoretum, apud Liranum, *tibi soli peccavi, non quod in Uriam, & ejus Uxorem non deliquerit, sed quia maximum crimen in Deum fuit commissum, qui eum in Regem constituerat*: Familiare est enim, comparatione instituta, ita præferri id, quod maximum est, ut id, quod minimum, ferme non reputetur. Sic Socrates negabat, se sapientem esse, quod solus Deus sapiens esset. Sic Christus Dominus Deum Pa-

Patrem nostrum ita extollit, ut innuere videatur nihili existimandos esse temporaneos Patres Deo comparatos : ajens, *Patrem nolite vocare vobis super terram ; unus est enim Pater vester, qui in Cœlis est* . Sic universum hominum genus, *quasi nibil & inane* Isai. Deo comparatum reputatur .

Cassiodorus existimat dictum a Davide *Tibi soli &c.*, quia solus Deus illum punire poterat : alii in hunc modum intelligunt, & explicant, te solo sciente, & cognoscente, nam neque Urias, neque Bersabea consilium de morte Uriæ cognoverunt . Multi Hæbreorum legunt , *Tibi soli dico , & confiteor peccatum meum* , quia tu solus condonare, & remittere potes peccatum meum (a) . Injuria nemini fieri potest , inquit Hobbius , C. 3. n. 4. nisi ei , quo cum pactum contrahimus : Quodnam pactum , in statu bestialis libertatis , contrahunt mater , aut nutriens cum filio ? cum tamen filius occidendo Matrem , aut nutrientem injuriam facit , sive jus violat .

Metum docet, esse principium humanarum actionum , & tamen *injustum facit eum , qui justa facit propter pœnam legi adjunctam* Cap. 3. n. 5.

Gratum esse Benefico , ait esse tertiam legis naturæ, cap. 3. n.8., non igitur propter solam potentiam irresistibilem Deo obedire , & servire debemus . Etiam pacem non dare petenti est contra legem naturæ cap. 3. n. 10. eadem lege obligamur ignoscere aliis ibid. n. 11. Ulcisci est crudelitas , ibid. superbiam , ingratitudinem , injuriam , contumeliam , inhumanitatem dicit, prohibitas esse lege naturæ cap. 3. n. 29. virtutesque iis vitiis contrarias juberi . Hæc autem omnia systemati de libertate , seu de brutali , ac belluino statu naturæ prorsus sunt contraria . Et quod in hoc statu struit , destruit in statu civili , legum , & pactionum .

Ad proprium judicium refert omnem agendi regulam, sive agendorum regulam in proprio judicio collocat : ita ut quidquid alii dicant , & probent , ad ipsummet hominem pertineat de aliorum sententia judicare , & eligere quidquid ipse judicarit bonum sibi , si judicat sibi conveniens occidere , occidat . Id vero vetitum esse, etiam in statu naturæ censet relate ad Patrem, Matrem , & nutricios , qui gaudent in filios summo impe-

(a) Apud Malvend.

imperio . Sed quam sit imbecille , inconstans , & fallax judicium proprium manifeste prodit cap. 5. n. 5. , ubi proprium judicium probat seditionum , & Bellorum semen, & originem . (a) Metum asserit etiam agendorum principium , quod homo nihil agat , nisi metu mali fugiendi , atque arcendi . Cum tamen ipse utique concedat amore boni proprii hominem duci , & regi . Constat autem amoris passionem nobiliorem , & priorem esse passione timoris , illiusque esse regulam , & principium : Ideo namque , & tanta vi malum aversamur , quia , & quanta vi ferimur in bonum oppositum , mortem timemus, quia vivere cupimus , & ea sollicitudine , atque ardore , quibus vivere concupiscimus .

Leges civiles regulam morum constituit ; adeo ut eas adhibeat ad corrigendas , enervandasque leges ipsas naturæ . Sed a subjectione ad leges civiles liberat Patrem , Matrem , qui summum habent in filios imperium, nutricios , qui eodem jure fruuntur in enutritos . Cap. 9. n. 3. Liberare etiam potest Maritum , & Uxorem , qui vicissim uni alter imperare potest propter mutuum imperium , idem dicendum de Domino in servum , quod pari in Civitate statu , noxium esse videtur . Et præterea doctrina hæc innumera Civitatis membra a legibus civilibus absolvit . Omnibus autem istis juribus , nimirum Patris , & Matris præjudicat Hobbius , eaque omnino tollit , ea lege : *extra Civitatem quilibet a quolibet jure spoliari potest , & occidi cap. 10. n. 1.*

§. II.

In quo doctrina de Imperio rejicitur , & identidem contradictione convincitur .

Ita Hobbius dignoscit statum libertatis perniciosum , ut in eo nullam agnoscat veri nominis virtutem , nisi vim , & dolum , quæ appellat status illius Virtutes Cardinales , *vis , & dolus in Bello Virtutes Cardinales sunt , neque sunt justitia , & injustitia corporis , aut animæ* facultates ... *qualitates quidem hominis sunt , non autem quatenus hominis , sed quatenus Civis .* (b) Sed

(a) Cap. 12. n. 6.
(b) Leviat. c. 13. in fin.

Sed dum monstruosum illud jus in omnia, quod tantopere deplorat, & coercendum esse putat, media potestate unius in Monarchia, aut plurium in aliis institutionibus, & Regiminibus Reipublicæ instaurat in uno, aut pluribus; cum etenim homines, ut in Civitatem, aut Rempublicam coeant, transferre debeant in gubernante sua omnia jura, jus Belli, & omnium in omnia, illi Regenti transferre debent, nimirum *jus omnium, in omnia ipsis hominum corporibus non exceptis*, (a) is, qui eligitur honorifico illo jure potietur, nec legibus aliquibus præpediri, quin potestate abutatur, etiam adversus insontes, quos pro arbitrio propriis spoliare poterit, & impune, quin etiam innoxie. Nam jure naturæ jam potiretur jure omnium in omnes, quos occidere poterat, si voluisset, de *Civ.* C. 8. n. 10., a natura igitur, & a recta ratione non cohibetur?

Sed neque a legibus civilibus, quibus non subjacet, qui summum habet imperium. Et regula justi, & injusti, honesti, atque inhonesti a legibus civilibus prodeat, sequitur manifeste omnia summum imperium habenti licita esse, tametsi semetipsum interficeret. Quod si contra rectam rationem, & principia Hobbii, non sit nihil, est invenire, quod contra naturam sit.

Totus est Hobbius, si corticem libri de Cive tantummodo aspiciamus, ut Imperium stabiliat; fortassis, ut gratiam Principum iniret, quemadmodum plurimi Scriptores arbitrantur; revera tamen ab eodem libro occasionem captarunt populi, ut a Regibus desciverint ad factiones Cromuellianam, Miltonianam, Ascasianam, & Godwianam, ut scribit Decanus Universitatis Osoniensis. Et merito quidem, tantam etenim concedit Principibus auctoritatem, ut Tyrannico jugo subditos subjiciat. Nam

Primo putat jus homini inesse imperandi statim ac sit, ita potens, & ejus potentiæ resisti non possit. Si igitur Regens ita potens sit, ut saltem accitis exteris, nemo subditorum resistere possit, jus ei erit imperare, & facere quidquid ei libuerit; & consequenter Subditus obedire tenebitur, alias injustus foret, & juris imperantis violator, quin manifestum sit non a pactis frui illo jure, sed a potentia. Secun-

(a) Leviat. c. 14. in princ.

Secundo. Cum Imperanti traditum sit ab Electoribus omne illud jus, quo potiebantur in statu naturali; & ipse Imperans non ligetur legibus civilibus, a quibus tantummodo destruitur jus libertatis naturalis, ipse imperans nulla lege tenebitur homines amare; sicut in statu naturæ nullus teneretur, ut docet *Cap. 1. de Civ. n. 2.*

Tertio. Imperanti jus concedit infallibilitatis in interpretandis scripturis, tametsi Ecclesiæ Pastoribus illam potestatem alligare videatur, revera tamen totam residere probat in habente summum imperium, cui proinde omnes tenentur parere. Nam potestas Pastorum ab habente summum imperium promanat, inquit ipse: Ecclesia idem est ac Civitas; & Civitas est ipse imperans; scilicet ipse est tota Civitatis potestas. Jam vero cum Christus præcipiat parendum esse Ecclesiæ, sive habenti summum Imperium, etiam in spiritualibus, & in iis, quæ ad fidem, cultumque Dei pertinent, subditi obligantur ad recipiendam scripturæ interpretationem, rerum credendarum, & cultus Dei determinationem tanquam verbum Dei, eique obedire, scilicet, *Ecclesiæ, sicut obediret Christo, si veniret in terras* De Civ. c. 18. n. 14. nedum vero jus interpretandi scripturas, & determinandi, quæ pertineant ad fidem, & cultum Dei, sed etiam habenti summam Imperii concedit auctoritatem remittendi peccata, excommunicandi, & canonizandi Sanctos. Hæc etenim omnia, inquit, ad Imperium pertinent, *De Civ. cap. 18. n. 14.* nihil autem mirum si contra Reges sic constitutos ab Hobbiano Systemate, subditi insurgere tentarint.

Sed videamus Hobbii Paradoxa, immo, & secum pugnantes doctrinas. Docet ipse in Apostolis auctoritatem regendi, remittendi peccata, & excommunicandi profluxisse ab Imperatoribus etiam Ethnicis. Cum tamen asserat tantummodo in Civitate Christiana Imperatorem potiri juribus in spiritualibus. Non est Civitas Christiana, ubi imperat Ethnicus, cum Imperator sit ipsa Civitas.

Si in Civitate aliquid vergat in damnum, & miseriam alicujus, ille potest arma sumere adversus Regentem; tunc etiam reassumit jus se defendendi, cum etenim *juris naturalis summa sit*, post quæsitam pacem, & non inventam, *omnibus viis, & modis se ipsum defendere*, a quo jure nemo recedere potest, quin in conscientia teneatur illud sibi retinere, ut idem asse-

rit *Lev. cap.* 14. hinc deducitur Regnantem non habere illud summum Imperium, quod toties laudat Hobbius. Hoc autem jus se defendendi, extendi debet ad defensionem Patris, Matris, & aliorum omnium, quorum mors, atque infamia nobis esset miseriâ, & probro. Quare ad eorum defensionem procurandam, Tortus potest verum negare, *sive enim vera, aut falsa Confessione, jure facit*, jure nimirum defensionis. *Lev. c.* 14.

Distinguens Hobbius jus a lege, docet, libertatem ab jure nasci, (a) itaut homini liberum sit licite facere, id, in quod jure potitur, ex lege autem obligationem oriri; nimirum faciendi, aut omittendi, quod a lege jubetur, aut vetatur.

Jam vero prima lex naturalis, & fundamentum cæterarum est, ut quisque vitam, & membra sua quantum potest, conservet (b): quare ex eadem lege promanat, ut jus habeat in ea omnia, quibus mediis, vitam, membra, felicitatem, cui addit honorem, conservare potest (c), & quidem contra quoscumque, etiam fraude, & dolo; cum juris mensura sit utilitas. Igitur ad usum horum mediorum obligabitur, si arbitretur privato suo judicio, eorum usum esse necessarium; illis autem mediis non uti, tametsi agatur de aliorum occasione, crimen erit. Si vero utatur, immunis erit a culpa, *& unice peccare potest, quando occidens judicaret eam occisionem, ad sui conservationem non esse necessariam*.

Huic doctrinæ obstat primo quod non omni proprio judicio, circa electionem mediorum, duci debeat homo, sed tantummodo *recto rationis dictamine*. Non igitur homini inest omne jus, & in omnia, sed aliquam legem consulere debet, ad cujus normam proprium illud judicium rectum fiat, ne contra eamdem legem peccatum admittat.

Secundo. Ex illa lege conservandi semetipsum oritur jus Belli in omnes; & istud Bellum non est bonum hominis, sed humani generis destructivum (d); quare prima lege naturæ obligatur homo ad pacem quærendam, & illud Belluinum jus destruendum, & legibus Imperii cohibendum; manifestum igitur fit illud jus contrarium esse primæ legi naturæ. Pugnat igitur

---

(a) De Civ. (b) De Civ. c. 1. (c) Pag. 17. 18. 19. 25. 31.
(d) De Civ. c. 11. n. 2. & 3.

igitur natura adversus naturam. Et *Bragma*, Idolum Sinense sive Deus auctor naturæ adversus semetipsum.

Tertio cum asserat Hobbius hominem natura sua ad Bellum natum, & ita in omnes, vel hæc inclinatio, sive instinctus, aut indoles res bonæ sunt, aut male: Si bonæ, cur legibus destruendæ, frænandæ, & cohibendæ? Si malæ, cum nullus eas sibi dare possit dum nascitur, eas habere debet ab aliquo Auctore malo, sive Deo malo Origeniano aut saltem Manetis.

Quarto. Cum condere legem ad Superiorem pertineat, qui eam in subditum ferat; & homo non sit sibi Superior, nec subditus hanc legem juris Belli, & in omnia, recipere debet ab alio, si ab alio accipit naturam, cujus confectarias docet esse eas dotes, quæ hominum animum circumstant. Quis autem sit iste Superior, qui hominem brutali illo jure condecorat ab Hobbio scire cupimus.

§. III.

Hobbii doctrina Hæresis convincitur.

De Ecclesia Catholica, quam sanctam unicam, & Apostolicam, Romana scilicet speciatim pro nunc non loquimur; sed quænam sit Hobbii potius disquirimus, ut latentes hæreses prodamus, quæ latent in doctrinis impostoris istius. Quæ de vera Ecclesia, quam appellat *Regnum tenebrarum* (a), dicat per plura capita, pudet etiam referre.

Christianis omnibus summa religio est Sacris Scripturis credere, earumque auctoritatem irreformabilem esse, itaut crimine hæresis aspersus sit, qui contra eas quidpiam ex arbitrio dixerit, aut docuerit? quia tunc, vel scripturas nobis a Deo datas pernegat, quod est hæresis, potissima, & infinitarum parens: vel si a Deo datas arbitratur, mendacem, falsumque Deum blasphemat.

Jam vero infinita sunt, quæ Hobbius scribit *de statu libertatis*, quæ e regione opponuntur Divinis Scripturis: siquidem licitum

(a) In Leviat.

licitum facit quodcumque facimus ad vitam , & jocunditatem necessarium , ut dolus , insidiæ, cædes , & similia, quæ omnia peccata esse , & vetita verbum divinum expressissime prodit : *Quicumque* autem, ut scribit S. Th. (a) *dicit non esse peccatum id quod est contra præceptum Dei contradicit Sacræ Scriptura , & hæreticus judicatur* .

Peccatum admittit Hobbius in eo , qui non credit Deo revelanti , sed quale ? *Imprudentiæ* , non vero *infidelitatis* . Sed perpenderit Hobbius vel saltem verba ? Credere fidem indicat : non credere igitur infidelitatem . Atheus , Maumetanus , Idolatræ infideles Hobbio non sunt , sed imprudentes .

Hobbio nullus articulus fidei arridet nisi *credere in Jesum Filium Dei* . Hunc si quis credat , Christianus est . Quid si Civitas prohibeat credere in Jesum Filium Dei , & statuat illum non esse fidei articulum, qui pareat Civitati erit ne Hæreticus ? Minime gentium ait Hobbius . Nam hæresis aliud non est *nisi opinio privata , contra leges Civitatis obstinate propugnata . Impossibile ergo est , opinionem ullam esse hæreticam , quam publice doceri jubent , vel permittunt leges Civitatis* (b) .

At qui non credit Deo revelanti infidelis est , vel saltem hæreticus ; infinita sunt a Deo revelata præter *Jesum Filium Dei* , cum quidquid in scripturis continetur revelatum sit .

Hæresis est , & contra verbum scriptum , omnes actiones exteriores esse indiferentes , & permissas . Prohibet Deus homicidium privata auctoritate ; prohibet adulterium ; Idolis sacrificare ; vetat & Jesum Christum negare esse filium Dei . Id totum permittat necesse est Hobbius , cum doceat cultum Dei esse animi motum interiorem , quare actiones exteriores ad Dei cultum minime pertinent . Quare expresse docet non peccaturum , qui exterius negarit *Jesum esse Filium Dei* , dummodo intus fidem retineat ; & id exterius negare sit jussum a Tyranno habente summam potestatem. *Leviat c.42. pag.234.35.36.*

Hæc est hæresis Osseniana sive, ut opinantur multi , Essenorum, quam sub Trajano excitavit quidam Elxai ; ex quo nonnulla excerpta fuisse ab Hobbio crediderim . Messiam appellabat Magnum Regem . Corpus ei tribuebat sed impalpabile , & in-

(a) Quod. l. 3. n. 12.
(b) Leviat. c. 42. pag. 277.

& invisibile ; quemadmodum, & Spiritui Sancto. Docebat sequaces suos, omnem actionem exteriorem esse indiferentem; atque adeo permissum exterius negare fidem, & Idolis sacrificare dummodo interius in corde firma fuerit fides. De hac hæresi loquuntur *Epiphan*. *Hær.* 29. 30. Origenes, & Theodoret. *lib.* 2. *cap.* 7. Appellati etiam sunt hæretici istiusmodi Samosenes, & Ampsenienses.

Hæc eadem hæresis resuscitata fuit principio tertii sæculi ab Elcelaitis, qui de actionum externarum, deque abnegationis fidei indifferentia, dummodo interius fides incorrupta remaneret, docebant eadem; quæ Hobbius. De eadem hæresi scribit Eusebius *lib.* 6. *c.* 38 *Epiph Hæres.* 53.

Ad hanc Classem pertinere putandum est Praxeam, qui perjurium a culpa excusat, quod sit actio externa; & Molinisium, qui omnia scelera contra honestatem a crimine purgat, dummodo anima interius de Deo cogitet.

Martyres Christi in persecutionibus minus sapientes, & prudentes fuissent, si ad conservandam vitam, quam ex prima naturæ lege obligat Hobbius conservare; & præcipue Episcopi, aliique Doctiores, & Sanctiores, quibus Ecclesia indigebat, si vel minimo exteriore signo Paganicæ superstitionis a morte liberari potuissent, sine ulla culpa. Sed nec ignorantes, nec impios dicimus, si consone ad interiorem fidem exterius eam profitebantur, certissimi, quod si aliter fecissent, ab Ecclesia rejecti forent, inter Ethnicos adscripti, & a Regno Cœlesti æternum exules, & proscripti.

Audiamus, quid de Martyribus dicat Hobbius. (a) *Qui ad unamquamque doctrinam, quam ipse ab historia vitæ Christi, vel ab Actis, vel Epistolis Apostolorum deduxerit; & qui privati hominis auctoritate confisus leges civiles violare ausus fuerit; is ab honore Martyris Christi . . longe abest. Unicus articulus fidei est, pro quo mori Martyris nomen honorificum meretur. Est autem articulus ille, Jesum esse Christum, idest illum, qui nos morte sua redemit.*

Exultabit Deduvellus, & a Cathalogo Martyrum infinitos delebit. Quandoquidem Martyres non erunt, morientes in con-

(a) Leviat. c. 42. pag. 235.

confessione Trinitatis, Consubstantialitatis, Divinitatis Spiritus Sancti; Dualitatis naturæ in Christo, & voluntatis; unitatis Personæ; Virginitatis, & Maternitatis M. V., aliorumque articulorum fidei.

E contrario ab infidelitate, & impietate excusandi erunt, qui quemcumque ex mox relatis articulis abnegaverint; quin & etiam illi, qui negarunt exterius *Jesum esse Christum*, tormentorum atrocitate coacti: Excusabimus pariter illos, qui potestate Civitatis jubente idolum appensum collo gererent. Summatim omnes illos, qui hæresim, Maumetanismum, athæismum exterius confitentur.

Non ita tenuit, nec tenet Ecclesia Christi, quæ omnem duplicitatem in confessione fidei condemnat (a). *Si a Potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, fidei gloriosum consulo: tacere ut peccaminosum per se non damno*: Hanc propositionem damnavit Ecclesia postremis hisce temporibus, edocta per traditionem perennem ab eadem Ecclesia priscorum temporum. Quando extra corpus Fidelium ejiciebat eos, qui, licet exterius tantum, Christum abnegarunt. Sed quo spiritu regebatur tunc, & nunc regitur? Audiat Hobbius Apostolum: (b) *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: salus igitur nulla his, qui data opportunitate ore non confiteantur fidem, quam corde tenent. Audiat Magistrum fidei Christum Dominum *Omnis, qui confitebitur* (c) *me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*. Confiteri coram hominibus, non est corde confiteri: homines etenim *vident ea, quæ parent*: Quid autem est exterius *nego Christum*, nisi negare Christum coram hominibus. Negari a Christo coram Patre est impium esse, & alienum fieri a Patre, qui in Cœlis est. Hæc est fides, & Religio Christi; hæc fuit constans, & perpetua doctrina Ecclesiæ. Testis sit Augustinus: *Qui metu potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem, quam Deum*.

Putat autem Hobbius legitime posse a Cive negari Christum,

(a) Innoc. XI. prop. 18. an. 1679. (b) Rom. 10. 10. (c) Mat. 10. 32.

ſum, ſi leges Civitatis jubeant, (a) *quia tunc cæteris eſſet in prædam*; *quod eſt contra fundamentum omnium legum naturalium*. Sed quæ lex jubet præponere vitam Religioni, & Fidei? Quid proderit homini vita iſthæc temporalis, etſi univerſum Mundum lucretur, animæ autem ſuæ ſi detrimentum patiatur? Totum corpus exponere, & perdere jubemur, ut ſerpentem imitantes, caput, quod eſt Chriſtus, & fidem ſartam, rectamque ſalvemus. *Habentes ergo . . . Jeſum Filium Dei teneamus confeſſionem*. (b) Tametſi nos adoriantur anguſtiæ, fames, perſecutio, gladius, mors, infernus, omniſque creatura alia, ut a confeſſione fidei nos avertere (c) conetur. Confeſſio noſtra Capitis noſtri ſit firma, conſtans, *indeclinabilis*, ut loquitur Apoſt.

Quod autem ait Hobbius in faciendo contra id, quod præcipit Deus, dummodo ab habente ſummam poteſtatem jubeatur, ſi quod peccatum eſt, totum erit imperantis, ægrè judicarim, quod ipſe id crediderit. Si jubeat occidere innocentem; Patrem, Matrem, Filios; violare amicitiæ fœdera; turpia quæcumque perpetrari, numquid non peccarem? non peccaret Hobbius blaſphemiis iſtiuſmodi, ſi Caput Hobbianæ Civitatis ei imperaret facienda?

Plura alia adducemus, in quibus hæreſeos convincatur Hobbius, cum adverſantem commonſtrabimus nedum Eccleſiæ Romanæ, ſed & Eccleſiæ Proteſtantium, in iis, quæ communia ſunt Chriſtianæ Religioni. Sed quid tandem eſt Eccleſia Chriſti in terris juxta Hobbianam perſuaſionem? Oſtenditur §. ſequenti.

§. IV.

Qualis ſit Hobbii Eccleſia.

Tam ſubdole, & aſtute loquitur Hobbius de Eccleſia Chriſtiana, ut nullus ſibi blandiri poſſit divinare, quid revera ſenſerit; niſi dicamus nullam veram Eccleſiam agnoviſſe, ſaltem monſtruoſiſſimam conſtituiſſe dicendum videtur.

Fate-

(a) Leviat. cap. 15. pag. 78. (b) Hebræ. 4. 14. (c) ibid. 10. 23.

Fatetur ex Scripturis eruendum esse quid, & qualis sit Ecclesia; verum cum nullam Scripturam acceptare profiteatur, nisi eam, quam sua ætate cudere mandavit Anglicana Ecclesia, statim ac ab innumeris perturbationibus, mutationibusque liberata fuit. Si Biblia hæc Anglicana, a vulgatis Catholicorum in substantialibus non differunt, non erat, cur commoveretur; si discordantia vero sunt, nulla erat Hobbio, ante hanc reformationem nulla agnita erat vera Ecclesia.

Ecclesia ab Hobbio accipitur pro cœtu Christianorum adunatorum sub uno capite in Monarchia; aut sub uno Magistratu, in dominiis Aristocratico, & Democratico. Huic cœtui omnem potestatem, & auctoritatem tribuit, quantum necessarium judicat ex Scripturis. Puta Sacramentorum confectionem, & administrationem: Divini Verbi explicationem, sive interpretationem: doctrinarum sequendarum determinationem; ac tandem, ut alia plurima omittamus, articulorum Fidei credendorum præfixionem. Vult tamen Hobbius unicum esse articulum Fidei, ad quem obligamur credendum, nimirum: *Jesum esse Filium Dei, qui nos redemit*; quamquam fateatur, coactus, ex eo articulo nonnullos alios derivari, sed certè non omnes, quos credere oportet, ut Christiani simus.

Hoc autem Corpus, sive Ecclesiam vult colligari debere legibus civilibus, sine quibus minime consistat. Cum vero leges non nisi verba sint, non sufficiunt ad corpus continendum, nisi accedat auctoritas. *Veritas, leges non facit, sed* auctoritas. Hæc Ecclesia *Sancta* dicitur, idest *Publica*; sanctum etenim idem ac *publicum* sonat.

Quod magis prophanum est adoptat Hobbius (a). Sancti quandoque dicti sunt Principes profani; quin & infideles, ut notat Alemannus. *Sanctum* quoque dicitur, quod neque sacrum est, neque profanum, sed sanctione aliqua firmatum, quod sanctum sit quasi *sanctione actum*, sive firmatum; cum vero quod sanctione, & lege firmatur, in hoc sensu *sanctum, publicum* dici poterit (b): *Quando Tyrannorum imperio colebantur figmenta*; dum populus colebat muros serpentes; Dum

(a) Not. in Pr. pag. 79. 113. (b) Sap. 14. 16.

dum Christum Dominum publico Sinagogæ voto, Pilatus occidit, sanctus erat idolorum cultus, & occisio Servatoris?

Si vel quidpiam religionis in phrasi, retinere ipsi cordi fuisset, vel saltem priscam significationem retinere poterat; cum vel Gentiles *sanctum* vocarent, quod de Diis, rebusque Divinis dicitur, illsve, qui quadam majestate vitæque innocentia, ad Deorum immortalium virtutem quamproxime accedunt. (a) Sanctum quoque apud Christianos illud dicitur, quod, aut Deus est, qui vocatur *sanctus sanctorum*, aut per imitationem virtutis, & vitæ innocentis ad Deum proximius accedit. Anne cum dicat Deus, *sancti eritis quoniam ego sanctus sum*, voluit Deus significare se publicum esse, aut sanctione firmatum? Anne Angelus dum alloquens Mariam Virginem prænuntiabat concepturam de *Spiritu Sancto*, significare voluerat de spiritu pubblico? Apage hanc loquendi phrasim exoticam! Sancta Ecclesia Christi dicitur, quia pura, immaculata, sine macula, sine ruga in dogmatibus, & vera Sponsa Christi, qui Sanctus Sanctorum appellatur, & existit.

Huic Ecclesiæ sanctitati, ait Hobbius, non obest fidei Christianæ ejeratio, dummodo Caput Ecclesiæ id præcipiat, & ejerans in corde animum fidelem custodiat. Modo illius Ecclesiæ Caput inquiramus.

§. V.

Sitne Deus Caput Hobbianæ Ecclesiæ.

Cum jus regnandi a potentia irresistibili oriatur ut pluries ex Hobbio vidimus, Deus jus habebit per potentiam imperandi omnibus. Ita plane: *Per naturam regnat Deus in totum humanum genus*. Quia vero *regnare proprie, est imperando, minando, promittendo regere*. Subditi in regno *Dei, non sunt res inanimatæ, nec irrationales*; quia præcepta Dei non intelligunt. Neque Athei, aut qui providentiam negant, qui *ut hostes haberi solent*, potius *quam Cives* (b).

Si jus regnandi a Potentia irresistibili manat, difficile est Atheos, a numero Civium tollere; quippe qui potentiæ Divinæ

(a) Cicer. (b) Lev. c. 31. p. 167.

vinæ subsunt, non minus, quam hi, qui in Civitatibus leges violant, & puniuntur, aut puniri possunt ab habente summam potestatem.

Si a Regno, & Dominio Dei Athei tollantur, non video cur excludi non debeant Pollitheistæ; qui cum venerentur Jovem, Venerem, Martem &c. unius Dei existentiam negant, leges ipsius non excipiunt, sed suorum Deorum inanium.

Regni nomine intelligitur proprie, *summa potestas super Cives per ipsorum suffragia acquisita*. In Scripturis invenit Hobbius (a) Regnum proprie dictum, nimirum constitutum consensu populi Israelitici, qui Deum in Regem sibi pacto elegerunt. Pactum erat illud, quod illis Deus traderet terram Chanaan, in æternum, & quod populus Deo obediret.

Per potentiam regnavit Deus in homines omnes, sed etiam in quosdam homines specialiter, sicut in Adam, cui vetavit comedere de ligno scientiæ boni, & mali. (b) Pactum postea inivit Deus cum Abraham. Pactum hoc renovavit Deus cum Mose ad montem Sinai; quo declaratum fuit populum Israeliticum esse Regnum Dei: *eritis mibi in Regnum Sacerdotale, & gens sancta* (c). *Sanctum* ibi non *publicum* dicit Hobbius, sed accipit pro eo quod consecratur in usum Dei. Dicitur autem Regnum Sacerdotale, quia summa potestas erat penes summos Sacerdotes.

Regnum itaque Dei est Regnum Civile, quod appellatur Theocratia. Verum hoc Regnum cessavit in electione Saulis, quando Deum Israelitæ abjiecerunt, ne regnaret super eos: *non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*, (d) dixit Dominus Samueli. Illud porro regnum abolitum in Saulis electione, illud est quod restituendum promittit Deus; quam restitutionem a Deo rogamus, dum dicimus *adveniat regnum tuum*.

Ex hac Hobbii doctrina manifestum fit, quod Regni, vel Regnorum hujus Mundi, Deus non sit is, qui proprie Caput dici possit, atque adeo neque Caput erit Ecclesiæ, si aliquam Hobbius admittat, cum *Ecclesiæ* nomine nihil intelligendum esse velit, nisi *Civitatem*. Videamus num Christus Dominus sit Ecclesiæ hujus Caput.

§. VI.

(a) Leviat. c. 35. p. 190. 191. (b) Gen. 17. (c) Exod. 19. (d) 1 Reg. 8. 7.

§. VI.

Sitne Christus Caput Hobbianæ Ecclesiæ.

Plurima officia admittit Hobbius Christo Domino (a), nimirum Redemptoris, Pastoris, sive consiliarii, Prophetæ; & tandem æterni Regis. At quemadmodum Moses proprie Rex non erat; nec Leges condidit, sed præcise promulgavit; unde ad summum dici potest *Prorex*; ita Dominus noster Jesus Christus *Prorex* tantum erat, sive Rex *sub Patre*; nec legem ipse condidit ullam, sed conditas a Patre declaravit.

Ad officium Redemptoris pertinebat ut victima fieret *pro peccato*. Valor autem *hominis*, *licet justissimi*, tantus non erat, *ut ad justitiæ strictas regulas satisfacere posset*; *sed quia quod Deus misericors in prætium redemptionis lege postulaverat*, *illud Christus obtulit*.

Si minime subtilizat, & quæstionem Scholasticam deffiniat Hobbius (b), poterat illi verbo *licet justissimi*, subrogare, *licet Dei*, ut se a suspicione Arianismi, aut Socinianismi purgaret. Suspectum autem hujus erroris capitalis, facit Hobbium, quod asserit: *Sicut Sacrificium Hirci*, *prælium Redemptionis sufficiens erat* (*quia majus non postulabat Deus*) *ita quoque mors Christi pro peccatis totius generis humani ideo satisfecit*, *quia nihil amplius a Deo postulatum est*. Ex his etenim apparet prætium redemptionis, & sanguinis Christi infiniti valoris non fuisse, nec sufficiens pro vel uno scelere delendo, nam *Frater non redimit*, *redimet homo*, *non homo* purus, sed homo Deus.

Ad jus regium quod attinet, aperta est Hobbesii opinio. *Quia Redemptor in redemptum nullum jus habet*, *nisi prætio soluto*, *manifestum est servatorem nostrum ante mortem suam Regem non fuisse*. Post pactum initum in baptismate renovatum, obedire obligantur, quicumque baptizantur, tanquam Pro Regi, sub Patre. Quare ajebat Christus *Regnum meum non est hujus mundi* (c), melius dixisset *non est de hoc mundo*.

Si Deum Messiam agnoscit Hobbius regnare in hoc mundo fatere-

(a) Lev. c. 41. p. 226. (b) ibid. p. 227. (c) Jo. 18. 36.

fateretur; nam & hic *imperat*, *& regit*, ut ait Theophilatus. Quid nomine Mundi intelligatur in Scripturis tum manifestum est, ut non sit necesse immorari. *Rectorem mundi* Diabolum produnt. Quid? Rex est Diabolus hujus Globi terraquei? Minime certe, sed Rector est iniquorum, sive sectantium vitia, ut explicant post S. Augustinum omnes PP., quando dicebat Christus Dominus Hebræis *vos de mundo estis, vos de deorsum estis: ego non sum de mundo* (a) non utique negabat se natum in mundo, & in mundum venisse; (b) *mundi*, dixit amatorum Mundi *iniquorum*, *& impiorum*: videlicet ego non sum mundanis passionibus obnoxius, peccatis subditus, sed veritas, & vita; vos *de Mundo estis*, *& ex Patre Diabolo estis*: *& desideria Patris vestri vultis facere* (c) *& qui facit peccatum ex Diabolo est* (d). Ego a Patre exivi, verbum Patris, ut Patris faciam voluntatem; & ut homines vitam habeant, & abundantius habeant.

Regnum Christi æternum est, non temporaneum: ab æterno destinatus fuit Christus Rex, & Pastor etiam antequam ovis periret; sed non ut Reges imperant in Mundo, tributa exigunt; Bella indicunt, & temporales status acquirunt, vel perdunt. Rex est Regum, & Dominus Dominantium, ad cujus nomen Cœlestia, terrena, & inferna contremiscunt, & obediunt. Venit Christus accipere sibi regnum, & reverti: at Judæi, & quicumque non obediunt Christo, qui in propria venit, (e) licet subditi, non receperunt, & noluerunt regnare super se.

Probat Hobbius vere Deum fuisse Regem Israelitarum nondum in electione Saulis *abolito Regno*, ex illo præcipue testimonio, *eritis mihi in Regnum Sacerdotale* (f): Sacerdotale administrandum scilicet per Sacerdotes, non autem Deus officio Sacerdotis sacrificando fungebatur. Judices tunc aderant administrantes justitiam puniendo, coercendo, aliisque modis utilibus, & necessariis ad populum regendum. Deus tamen Rex erat propter pactum. Jam audiat Hobbius quid dicat Divina Scriptura. Christus est *Princeps Regum terræ* (g)... *fecit nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes!* (h) *Fecisti nos Deo nostro Re-*

(a) Jo. 8. 23. (b) S. August. in ps. (c) Jo: 8. 44. (d) 1. Jo. 3. 8. (e) Luc. 19. 12. 14. (f) Exod. 19. (g) Apoc. 1. 5. 6. (h) Apoc. 5.

Regnum. (a) Factum est Regnum hujus Mundi, Domini nostri (nempe Patris) & Christi ejus. Si Pater Rex est Mundi, igitur & Christus, qui est *Rex Regum, & Dominus Dominorum*. (b) Demus Hobbio Regnum, Ecclesiam, & Civitatem; Caput Civitatis ipsam esse Civitatem, eo quod omnis Civitatis potestas sit in Capite, en quid dicat S. Joannes: *Mulier, quam vidisti est Civitas magna, quæ habet Regnum super Reges Terræ*. (c)

Præveniamus Hobbesium, ne dicat hæc, quæ retulimus ex Apocalypsi prophetica esse, adimplenda post diem Judicii, quando nimirum adveniet Regnum Christi.

Fallitur quisquis id dixerit. Loquitur ibi S. Joannes de Regibus, qui regnant, licet una tantum hora, quia tempus, quo regnant, tam exiguum est, ut merito comparatè ad Regnum, & Solium Davidis promissum Messiæ æternum duraturum, vix etiam una hora dici potest: *Cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt; qui Regnum nondum acceperunt; sed potestatem tanquam Reges una hora accipient* (d). In hoc textu de iis loquitur, qui futuri erant Reges; in superiori de iis, qui actu regnant. Post diem autem Judicii, nullus Rex, nullus Dominus, nisi Deus, & Christus ejus.

Refugit Hobbii doctrina hanc interpretationem cæteroquin obviam, & litteralem, quia timet, ne, si Christus sit Rex Regum, & habeat potestatem super omnes Reges Terræ, ejus Vicario hæc quoque potestas concedatur; quam opinionem dum tangit actus rabie venenum, quo intus inficitur, rabiose prodit.

Sed non videt ipse quod si Regnum Christi post resurrectionem incipiet, nullum erit Regnum, nullusque Rex? Quod Sacerdotes poterant, quando *pro Deo* summam habebant delegatam potestatem, id, quod Deus illis jusserat. Poterant contra Regem Ægypti rebellare; Quid ni possent sexcenti mille viri, qui erant in illo regno, sub Deo Adjutore, signis, & portentis? Poterant & Ægyptum occupare, & Pharaonem e solio dejicere: Id autem Deus vetabat, Palestinam occupavere, sed Deo omnium Domino promittente daturam, & jubente occupandam. Hæc pro hac quæstione sufficiat insinuasse, firmo remanente utroque gladio, qui mire sibi consonant.

Regnat igitur Christus in terris, sed potestate spirituali impe-

(a) Ibi c. 11. 15. (b) Ibi 17. 14. (c) Ibid. c. 17. 18. (d) Eod. cap. n. 12.

imperans virtutis opera, criminosa vetans; huic paramus fide, spe, dilectione, qua sicuti membra Christo Capiti, copulamur. Hæc est Ecclesia, & Regnum Christi, quod mediis Sacerdotibus permanebit firmum, & constans, *adversus* quod *Portæ inferi non prævalebunt*. (a) Hæc est Civitas Dei, quæ incœpit in Adam pœnitente; In Abel justo, & deinceps permansit in iis omnibus, qui fide vivebant. Si autem fide vivimus, si Regnum Christi in fide, quæ etiam per charitatem operatur, consistit, utique est in hoc Mundo, qui est locus fidei, non verò Cœlum, in quo evacuatur, & visioni cedit.

Et certe quid innuere voluit Christus Dominus, dum dixit Hebræis. (b) *Auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus?* Si sermo est de Regno Dei, quod transibit ab Hebræis ad gentes facturas fructus illius Regni. Regni Dei fructus post resurrectionem, sive opera meritoria nulla erunt; sed fruitio, & præmium tunc absorbet Beatorum animas transformatas a claritate in claritatem, in imaginem ipsius Dei. (c) Sensus igitur verborum Christi apertissimus est: auferetur a vobis Synagoga, sive Ecclesia, Fides, Religio, & quidquid ad Ecclesiam pertinet, & dabitur alteri genti, quæ fidelior, obedientior, justior erit, atque opera, quæ ego præcipio, virtuosior exequetur. Sed id exequi minime potest, nisi in hoc sæculo. Adde demum, quod si nulla erat, eo tempore Ecclesia, sed ea potestas sola, quam Hobbius solam agnoscit in Ecclesia, nimirum potestas civilis Principum, tradita fuisset genti, non quæ facit *fructus ejus*, sed Tyrannis Imperatoribus persequentibus Ecclesiam, immo & Christum ipsum.

Hobbes nomine Ecclesiæ, & Regni Dei intelligit in hoc Mundo ipsam Civitatem, quod ferme toto libro de Civitate, probare conatur. Nunc videamus an in terris sit, & fuerit Ecclesia Christi. Christus Dominus Ecclesiam ædificabit super Petram, sive Petrum. Jubet dicere Ecclesiæ, si monitus quis non declinet a malo. Paulus persecutus est Ecclesiam Dei. Persecutio quondam magna facta est in Ecclesia. Hujus autem Ecclesiæ quis Caput? Audiat Hobbius Divinas Scripturas, & ob-

(a) Mat. 16. 18. (b) Mat. 21. 43. (c) 2. Cor. 3. 18.

obmutescat. (a) *Omnia subjecit sub pedibus ejus, & caput supra omnem Ecclesiam*. Supra omnem, quia plures erant Ecclesiæ particulares ut Ecclesia Corinthi, Ephesina &c. quamquam omnes non sint, nisi una unitate Capitis, & doctrinæ fidei. Unica autem erit omnimodo post resurrectionem: igitur Apostolus de Ecclesia hujus temporis, sive militantis eodem modo idipsum manifestat dum ait: *& ipse est caput corporis Ecclesiæ . . in omnibus primatum tenens* (b). Ibi autem loquitur de Ecclesia, cujus membra sunt hi, qui permaneat in *fide fundati, & stabiles, & immobiles in spe Evangelii*. Ecclesiam appellat Apostolus Corpus Christi; hujus Corporis ipse Minister est, & pro quo patitur, & sollicitus. Principatum vult Hobbius Ecclesiam esse quin, & Caput Principatus ait esse ipsam Civitatem, & Ecclesiam; jam vero Christus *est caput omnis principatus, & potestatis* (c). Non modo igitur Christus Caput est Ecclesiæ, sive Regni Dei post resurrectionem, seu Ecclesiæ Triumphantis, sed & Militantis.

Christi Ecclesia una est solo statu diversa. De triumphante Ecclesia non dubitat Hobbes, quod Christus ejus sit Caput. Audiamus D. Lucam 18. 17. *qui non acceperit Regnum Dei non intrabit in illum*, quod non nisi de Ecclesia in duplici statu intelligi potest. D. Paulus ad Colos. 4. 11. nominat Aristarcum Marcum, & Jesum, qui dicitur justus *sibi adjutores in regno Dei*; in quo adjuvabant, nisi in prædicatione, & opere fidei, qua regnum Christi colligatur, & copulatur? Aliam cudat deffinitionem Ecclesiæ Hobbius, nam quam dat nullus Catholicus, nullus cordatus recipiet. Sanguinariam, impiam facit, cum & potestatem illi tribuat perdendi, necandi etiam innocentes, sed etiam ejerandi Christum, & ejus fidem.

§. VII.

Quodnam tandem sit caput Ecclesiæ Hobbianæ.

Jam dictum est sæpius penes Hobbesium eamdem omnino esse Civitatem, Ecclesiam, quin & Regnum Dei in hac vita, quia ad Ecclesiam constituendam exposcit summam potestatem facien-

(a) Ephes. 1. 22. (b) Colos. 1. 18. 23. 24. (c) Colos. 2. 10.

faciendi quidquid libuerit caput Civitatis; cui propterea omnes parere debent. Caput autem Civitatis, cum potiatur omnibus juribus, quæ membra Civitatis contulerint, debent autem, & omnia conferre, proprie Caput illud Civitas, & Ecclesia dicitur, & est.

Ad hoc idem caput pertinet condere leges; quæ tamen, cum puræ voces sint, exigitur auctoritas, & vis. *Leges non facit veritas*, sed *auctoritas*. Hinc si plures sint Civitates, plura & erunt capita, pluresque Ecclesiæ.

Tantam auctoritatem tribuit huic Capiti, sive habenti summam potestatem, ut sine hac civili potestate mille sint leges, quæ vim habeant obligandi, sive Decreta facta sint ab Apostolis, sive a Conciliis, sunt etenim pura, meraque consilia, non leges, quia facta sunt *sine auctoritate civili*. (a)

Et quia Lex Christi prædicata fuit sine auctoritate, qua non gaudebat Christus, nec Apostoli, illi, *qui doctrinam Christi recipere noluerunt, eo nomine peccavisse nusquam legimus*, sed solum quod morituri forent in peccatis præteritis; *& in peccato vestro moriemini*. Hinc dum convenerunt Apostoli, ut deliberarent quid docendum foret, cum potestate legislativa carerent, quod ab aliis reciperetur, determinare non potuerunt. Et eo magis si docere decrevissent contraria civilibus legibus. *Etsi igitur Doctrinæ Christianæ regulæ erant perfectissimæ, leges tamen fieri non potuisse sine consensu Regum, aliorumque summam habentium potestatem civilem*.

Ex qua doctrina habes, Christiane Lector, quod cum Christus Dominus nulla gauderet in terris potestate civili, nullam potuerit condere legem, nullumque præceptum, sed pura dare consilia. Quin cum resisteret Potestati Civili Synagogæ, quæ Evangelium prædicare vetabat, & tamquam blasphemiam condemnabat, ita ut damnaverit ipsum reum mortis, quia ipse *Filium Dei se fecit*, manifestum fit, ne dum nequiisse leges condere, sed nec consilia proponere: Nam quæ prohibentur a potestate civili, non sunt consilia, sed crimina, & peccata, quæ puniri debent.

Præterea cum electio doctrinæ docendæ ad habentem summam potestatem, & Scripturæ interpretatio, & alias Synago-

ga

(a) Leviat. c. 42. pag. 248.

ga in intelligendis Divinis Scripturis Christo contradiceret, ut manifestum habemus in Evangelio, Christus ipse prædicando criminosus fuisset: Criminosi Apostoli, qui etiam vetante Synagoga verbum Christi prædicabant. Quæ summa potestas civilis a culpa liberabat Apostolos, si Christus in illis verbis *ite in Mundum universum, prædicate Evangelium omni Creaturæ*, nulla fruebatur potestate civili?

Si Caput Civitatis, & Ecclesiæ unius quidpiam vel in doctrina, vel in opere quod contrarium sit doctrinæ Christi; oppositum autem doceat Caput alterius Civitatis, & Ecclesiæ, quid tunc dicendum? Sane ad doctrinam Probabilisticam recurrendum: videlicet ad regulas reflexas. (a) Videamus hoc ipsum: *Quando credimus Scripturas Sacras esse verbum Dei, fides nostra terminatur in Ecclesia*; Quam tamen Ecclesiam, sive Civitatem infallibilem non judicat; aliter alia Civitas, quæ contradictoria docet, foret quoque irreformabilis. Isthæc autem auctoritas sufficit pro lege reflexa; quia nimirum Caput est in possessione licite præcipiendi, cui proinde tenemur obedire.

Qui est in Ecclesia, seu Civitate obligatus propterea legibus civilibus pro lege conscientiæ legem publicam habere debet (b); quare doctrina seditiosa est: *bonarum, & malarum actionum Judicem esse Civem privatum quemlibet.... Manifestum* igitur *est mensuram boni, & mali esse legem civilem, Judicemque esse, qui summam habet potestatem*. Hinc repudiat hanc regulam moralis disciplinæ, nimirum: *Quidquid facit Civis contra conscientiam suam, peccatum est*. Concludit tandem: *Publica lex unicuique pro conscientia habenda est*. Hac impiissima doctrina Hobbii Leges naturæ enervantur, & tolluntur; siquidem si Lex naturæ intimetur per conscientiam alicui, puta numen non ejerabis, & Lex civilis a Principe lata ejerandum esse jubeat, ejerabit impune, & innocenter.

Summam potestatem habens subditur quidem legibus naturæ, ait Hobbius, (c) quia *Leges naturæ Divinæ sunt, neque possunt ab homine, vel Civitate quacumque abrogari*. Si igitur, concludamus contra Hobbium, intimetur a conscientia alicui lex naturæ, non poterit contra eam innocenter agere, quidquid adversus eam legem imperet Princeps, aut Civitas.

G g Hob-

(a) Lev. c. 7. p. 32. (b) Lev. c. 29. p. 152. (c) Ibid. p. 153.

Hobbium rationi, & sibi contrarium vidimus; videamus nunc contrarium Divino verbo. Negat ipse peccaturos eos, qui nolint recipere Evangelium, ut modo diximus. Audiat iterum Hobbius Paulum scribentem ad Timotheum: (a) *Quemadmodum Jannes, & Mambres restiterunt Moysi: ita & ii resistunt veritati, homines corrupti mente; reprobi circa fidem.* Isti Magi erant Pharaonis, ut scribit etiam Numenius apud Eusebium, & Moysi restiterunt gravati utique enormi crimine. Onusti pariter peccato infidelitatis, & reprobi circa fidem sunt hi, qui veritati Evangelicæ resistunt. Reprobus non est, si culpa careat.

Peccator Paulus erat, & inter peccatores primus, quia, & exequens præcepta Synagogæ persequebatur fidem, & doctrinam Christi. Qui sanæ doctrinæ adversatur, *quæ est secundum Evangelium*, connumeratur ab Apostolo inter fornicarios, mendaces, perjuros, &c. (b)

Dum Paulus fidem Christi prædicaret Elymas Magus ei resistens *quærebat avertere Proconsulem* Sergium, Paulum *a fide. Saulus autem repletus Spiritu Sancto intuens in eum, dixit: o plene omni dolo, & omni fallacia filj Diaboli, inimice omnis justitiæ . . . & nunc ecce manus* (c) *Domini super te, & eris cæcus.* Filium esse Diaboli, plenum omni dolo, inimicum omnis justitiæ, & a Deo cæcitate percussum significant profecto Magum illum peccasse, dum prædicationi Pauli resistebat: minime autem peccasset, nisi jussum sit a Deo audire verbum Dei, & Spiritui Sancto non resistere.

Sed enormem Hobbii, & impotentem Tolerantismum unica sententia dejicere facillimum est. Tenemur viam amplecti, quæ unica est, ut salvemur. Porro sine fide in Christum, in quo solo nomine est salus, impossibile est placere Deo: igitur fidem tenemur amplecti. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* (d)

Gloriatur Hobbius se nihil credere, aut judicare in materia religionis, nisi inhærendo Divinæ Scripturæ. Melius pronunciasset, se aperta fronte velle a Divinis Scripturis recedere, eisque bellum indicere. Nulla certe est veritas, quam magis, vehementiusque inculcent, & repetant Divinæ Scripturæ, quam fidem in Christum necessariam esse ad justificationem,

(a) 2. Tim. 38. (b) Tim. 10. (c) Act. c. 13. (d) Marc. c. 16; 16.

nem, & salutem, hac de re plenum est Evangelium, acta, & Epistolæ Apostolorum; contra quas insigni contradictione, prodere audet Hobbius posse hominem justum esse, amicum esse Christi, & salvari, ob merita Christi, in quem non credit, non sperat, & consequenter nec amat.

Sed & insuper sciscitemur ab Hobbio, an qui summam habet potestatem, teneatur fidem Christi amplecti, an non si tenetur quia Caput Civitatis, cur non civis, quia membrum? Si non tenetur, poterit esse Caput Civitatis Christianæ, sive Ecclesiæ non Christianus, & Ethnicus; quia vero ad habentem summam potestatem pertinent jura Sacramentorum; determinare de doctrinis, fidem, & religionem concernentibus; præfigere quis cultus Deo sit præstandus; Sacramentorum confectio, & administratio; Scripturæ sensa pandere; & alia hujusmodi, & quidem privative quoad alios cives, ut mox vidimus, fiet inde Caput Ecclesiæ Christi deforme esse, & adversarium esse Christo si velit. Hæc aliaque consectaria doctrinæ, & Ecclesiæ Hobbianæ quis ferre poterit, si homo est, ne dum si Christianus? Fert autem Hobbius, & devorat.

Apostoli, inquit (a), non erant nisi *Ludimagistri*, cum carerent potestate coerciva, quæ unica est, quæ possit subditos obligare, scilicet ob metum; eorum itaque præcepta, & Synodorum, aut Conciliorum decreta, sicut & aliorum PP. usque ad tempora Constantini, *præcepta non erant*, *sed monita tantum*. Hinc recte inferre debet Hobbius aut illis temporibus nullam fuisse Ecclesiam Christi, quam tamen agnoverunt Apostoli, & PP., aut Ecclesiæ Christi Capita fuisse Imperatores Tyrannos, Ethnicos, Persectores, & hostes impiissimos Christiani nominis, quibus propterea obediendum erat, tametsi jusserint exterius dicere *non credo in Christum*.

Ratio hujus perversissimæ Doctrinæ Hobbio hæc est (b); quia cultus est actus interior; verba autem exteriora sunt, & pluribus significationibus subsunt. Poterant igitur, & Christiani coacti ab Imperatoribus blasphæmias in Christum proferre, Thus adolere Idolis, sacrificia alia offerre, ut vitam conservarent, quod est de jure naturæ: & aliunde actus exteriores plura, & diversa significare possunt. Quod si fecissent Christiani, non

(a) Lev. c. 42. p. 232. (b) Lev. c. 42. p. 233. 234.

non ipsi Christum ejerassent, sed Imperantes. Quin si propriam teneat Hobbius (a) sententiam, martyres peccassent transgrediendo primum naturæ legum fundamentum, videlicet *conservare se ipsum*, *& vitam degere felicem*. Atque adeo eos omnes innumeros a Catalogo martyrum delendi, & numero damnatorum addendi; quod vel ipse Doduvellus refugiet. Quid Hobbius dicit de praxi illorum temporum quando *Tyrannorum imperio colebantur figmenta*? Quam consuetudinem ibi Spiritus Sanctus (b) iniquam affirmat, & errorem? Illos, qui coacti colebant Idola, excusabit Hobbius:

Quia cum actiones hominum ab opinionibus nascantur, quas habent de bono, & malo, si jus esset civibus judicandi malum esse obedire legibus Principum, impellerentur cives ad Civitatis eversionem. Civitas autem est Ecclesia, adeoque & ad destructionem Ecclesiæ. Igitur de doctrinis addiscendis, de cultu numini tribuendo, ad habentem summam potestatem pertinet jus determinandi. Idcirco etiam Ethnici si imperent, etiam *Pastores* vocantur.

Oblivifcitur Hobbius eorum, quæ dixerat de Cive, nimirum hominem teneri in conscientia obedire Deo magis, quam homini, tunc ipsi affulgebat lux Evangelica docens servandum esse caput, nempe fidem in Christum, & totum corpus perdendum. Et quod Apostoli ea luce perfusi prædicabant Christum libere, & patenter contra Synagogæ, vel Synedrii præcepta, quia injustum reputabant obedire hominibus, magis quam Deo (c).

In statu libertatis unicuique licebat, quæcumque voluerat agere. In statu Civili omnes Cives jura sua transferunt in Caput. Caput igitur Ecclesiæ jus habet faciendi quidquid maluerit, eique tenentur obedire Cives. Credat velim in unum Deum, ille qui summa potestate est præditus, currat ad insanam turbam Deorum cum Socrate, Platone, & Tullio, jubeatque, ut & Cives idola adeant, ne turba, populusque comitetur; Judæus sit & ad sacrificandum in Ecclesiis populum cogat, aut permittat, ne populus ab eo desciscat. In castris permittat militibus, cum Maxentio, absurda quæque, & inhonesta, ne milites ad Constantinum se recipiant: cum *mensura*

(a) Ibid. (b) Sap. 14. 16. (c) Act. 5. 29.

ra justi sit utilitas; & justum civibus sit, quod ad Civitatem rectam servandam imperat Caput: omnia ea licita erunt.

Cum plures sint Civitates, & dominia, plura forent capita Ecclesiæ, pluresque Ecclesiæ, discordes, & contrariæ pro Capitum libito. Si porro summam habentes potestatem sint ignari legum, & Scripturarum, ut contingere facile est? Quid si consiliarios non habeant, non audiant, & relicto consilio seniorum sequantur consilium juniorum? (a) Quid si scelera plurima admittat? Cum non pertineat ad membra judicare de capite, ejusque legibus, & contraria doctrina sit seditiosa, & perniciosa, ait Hobbius, subditi patienter ferre debent malitiam Capitis.

Quidquid contingat, stabit Civitas, stabit Ecclesia, stabit Regnum Dei. Civitas est plurium adunatio sub Capite habente summam potestatem, mediis legibus ab ipso editis. Hæc est Civitatis, & Ecclesiæ definitio, qua stante stat Ecclesia; tametsi exterius profiteatur Civitas Idolatriam, & Imperans sit veri nominis Idololatria. Sicuti stante animali rationali stat homo quamvis, cæcus, gibosus, furiosus, & amens.

Quod si habens summam potestatem sit Fæmina? Cum etenim habenti summam potestatem conveniat, si velit, baptizare, manus imponere, & peragere cætera munera Episcopalia, (b) Mulieri, cui Apostolus, non permittit docere: *docere mulieri non permitto*; (c) ac tacere in Ecclesia jubet: *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit*, (d) incongruum videtur eas esse Caput Ecclesiæ. Sed Hobbium hæc non terrent: nam.

Auctoritas Masculinum, & Fæmininum non recipit. (e) Concedit quidem non fuisse consuetum Regibus munia Ecclesiæ exercere, sed absolute affirmat inesse hoc jus Regnantibus, (f) idque jure naturæ. Quare Elisabeth cum primo Anno Regni sui suprematum Ecclesiæ Anglicanæ sibi vindicasset, & multi hunc suprematum in ea agnoscere detrectarent, quia incongruum videbatur a fæmina functiones Ecclesiasticas exerceri, Regina scripto publico promisit se eas functiones non facturam,

quo

(a) 3. Reg. c. 12. 14. (b) Lev. c.42. p. 157. (c) 1. Tim. 2. 12. (d) 1. Cor. 14. 34. (e) Ibid. p. 259. (f) Append. p. 350.

quo facto, aut non volentium jurare scrupulo, *manifestum erat ministros illos in ea opinione fuisse auctoritatem quidem junctiones Parrocchiales exercendi, cum suprematu Ecclesiæ conjunctum semper esse.*

Forte persuasi erant, impossibile esse conjungi in fæmina utrunque gladium, & contenti, si non exerceret, quidquid fuerit, an ipsa, ipsiusque assentatores affirmarent.

Hic Hobbius fabellam Joannæ Papissæ renovare videtur, quam finxit Martinus Polonus, eamque adoptarunt, ut in Catholicos invidiam conflarent Magdeburgenses, Mornæus, aliique pauci, quibus refragantur omnes eruditi. Fæminam istam Athonis eruditam confingunt, variisque agitatam fortunis, tandem in Cathedram Romanæ Ecclesiæ Matris, & Magistræ Cæterarum. Somnium hoc exsuflant silentium Græcorum etiam Schismaticorum, licet acutissimi, & vigilantissimi Exploratores Romanorum morum, gestorumque, ut Costantinopolitanam Ecclesiam Romanæ præferant, Onuphrius Panvinus, Baronius, Bellarminus, Florimundus, Papirius, & omnes fere Protestantes.

Larvam hanc resuscitat Hobbius in Elisabetham, quam Antipapissam sive Caput Anglicanæ Ecclesiæ imperite traducit, nova est etiam inter Etherodoxos hæc opinatio; si quidem firmum fixumque olim semper fuit in Anglia defuturam Hyerarchiam, nisi adsint, qui ordinati fuerint a veris Episcopis, seu habentibus Ordinis potestatem, quales erant Episcopi illi, qui defecerant ab Ecclesia Romana ad hæresim Calvinianam; Quare valide ordinatis demortuis, inter vina ab ebrio Episcopo Catholico curarunt, ut aliis manus imponeret. Quod si verum foret, nemo nisi ebrius, validam ordinationem arbitrabitur.

Non me latet Auctores de facto Parkeri dubitare, aut etiam nihil curare; sed inter alia indicium est Canticum quoddam hac super re lepide compositum, quod Londini etiam in hoc sæculo canebant anus, innuptæque puellæ. Quantum arbitror prætermissis aliis momentis, sufficere eruditis videtur Hyerarchiam negare Anglis, quod cum ordinationes peragantur juxta ritum compositum ab Eduardo VI. in quo, etiam quoad substantiam corruptæ sunt Sacramentorum formulæ, fit inde nullum esse in Anglia Sacramentum, si velis Baptisma exceptum; atque adeo nullam ordinationem. Sed

Sed Laico cephalici omnia restaurare putant, si Regi, etiam fœminæ concedant potestatem omnem, etiam manus imponendi, cæteraque peragendi, quæ sola potest Ecclesia, sicut & dandi Claves Regni Cœlorum, itaut possint nedum ligare super terram, quæ ligata pariter erunt, & in Cœlum, sicut & solvere, sed insuper aliis committere, quod Christus (a) contulit Apostolis. Sed qua consequentia doctrinæ, putat pertinere ad Ecclesiæ Caput Laicum, etiam fœminam, & aliis tradere hanc Clavium potestatem, cum Christus Dominus contulerit eam Apostolis, licet, ut placet Hobbio, ipse non sit Caput præsentis Ecclesiæ Militantis?

Discamus ex Apostolo; quos constitutos putemus, & credamus ad constituendum Corpus Ecclesiæ; *Primum*, ait D. Paulus, (b) *Apostolos*; *secundo Prophetas*, *tertio Doctores* ec. Cur non dixit primum Sæculares potestates, sed primum Apostolos? Forte ne quia, qui imperat primus est, & Caput. Sed responsio Verbum Dei, non adulterat tantum, sed pernegat, quia *Christus est Caput Ecclesiæ* (c), Apostoli autem post Christum primi sunt, & membra potiora Ecclesiæ; Deinde *Prophetas*, *Evangelistas*, *Pastores*, *& Doctores*: *Caput* autem *Christus*. (d) Hæc porro doctrina ab omni sæculo consecrata fuit, & traditione firmata. Sufficienter hoc assertum probaverimus, si M. Constantini religionem proferamus, cum Patroni Laicocephaliæ potissimum hunc Imperatorem traducant tanquam Caput Ecclesiæ, cui jus inesset adunandi Concilia, damnandi hæreticos, privandi Episcopos suis Ecclesiis, suis ipsius Decretis, quibus nullus Episcoporum, sine peccato resistere poterat; quare Hobbius, nec Athanasium a culpa absolvit, quia Arium, contra Imperatoris mandatum recipere noluit. (e)

Fatendum equidem plura facta a Constantino fuisse, quæ excedere videntur Laicalem jurisdictionem, sed excessum, siquis fuerit, ipse fassus est, & ab Ecclesia veniam petit, (f) ut scribit D. Augustinus, qui disertissime asserit Constantini detestationem adversus Donatistas, ad Concilium Arelatense pertinuisse. Mens autem Constantini claret in Epistola data Episcopis Catholicis. Donatistæ jam prædamnati a Concilio

(a) Lev. c. 42. p. 262. (b) 1. Cor. 12. 28. (c) Ad Ephes. 5. 23. (d) Ibi cap. 4. 11. 15.
(e) Lev. append. cap. 2. p. 354. (f) Optat. Cont. Parmen. Aug. ep. 165. 166.

cilio appellarunt ad Constantinum, quam appellationem detestatus, ita in hac Epistola scribit. (a) *In ipsos tanta vesania perseverat, cum incredibili arrogantia persuadeant sibi, quæ nec dici, nec audiri fas est, descifcentes a recto judicio dato, quæ Cælesti provisione meum judicium eos comperi postulare?.. meum judicium postulant, qui ipse judicium Christi expecto. Dico enim ut se veritas habet: Sacerdotum judicium ita debet habere, ac si ipse Dominus residens judicet. Nihil enim, licet illis aliud sentire, nisi quod Christi Magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines officia Diabolo perquirunt sæcularia relinquentes Cælestia. O rabida furoris audacia? sicut in Causis gentium appellationem interposuerunt. Equidem gentes minora interdum judicia refugientes, ubi justitia reprehendi potest magis ad majora judicia auctoritate interposita ad appellationem se conferre sunt solitæ. Quid hi detractores legis, qui renuentes Cæleste judicium meum putaverunt postulandum sic sentire de Christo Servatore?*

Verum vel ipsi Donatistæ Hæretici rejecerunt Constantini judicium, siquidem postquam experti sunt ab ipso Constantino præferri supra omne, judicium Ecclesiæ, ad semetipsos advocata Causa, eumdem Imperatorem damnarunt. Quam inconstans est hæreticorum judicium?

Non igitur Laicum Tribunal illud est, cui competat jus judicandi de rebus ad religionem pertinentibus. Hoc jus Capitis Ecclesiæ est: igitur nullus Laicus Caput Ecclesiæ existit. Et id quidem judicatum semper, & ubique fuisse apud viros de religione bene merentes compertum est.

Legimus nusquam puros, putosque Principes se immiscuisse in rebus, & functionibus, quæ ad Thimiamata, & Ecclesiam pertinent, nisi auxilium ferrendo, ut sanctiones Ecclesiæ observarentur ab iis, qui nonnisi vi parere coguntur, quidquid in contrarium blateret audacissimus Mornæus. Legimus quidem ab justis Ezechia, & Iosia regibus Juda occisos fuisse Idolorum Sacerdotes; deletos aurispices; purgata Excelsa; deleta Idola, atque universam venerationem Baal, & solis extinctam (b) Verumtamen invenimus punitos Saul Regem, quod sacrificare ipsemet tentaverit, & Sacerdotis offi-

(a) Apud Lab. tom. 1. Concil. Concil. Arelat. (b) 4. Reg: 23.

officio fungi. Quod de Ozia narratur palmare est, & decisivum. (a) " *Ingressus Templum Domini adolere voluit „ incensum super Altare; statimque ingressus post eum Azarias Sa-„ cerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta . . . restiterunt „ Regi, atque dixerunt: non est tui Officii Ozia, ut adoleas „ incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui „ consecrati sunt ad hujusmodi Ministerium: egredere de San-„ ctuario . . . Iratus Ozias tenens in manu Thuribulum minaba-„ tur Sacerdotibus. Statimque orta est Lepra in fronte ejus . . . „ & festinato expulerunt eum.*

Hanc Spiritus Divini progressionem docuerunt PP., & secuti sunt Principes Christiani, aut inter Christianos, qui fide, religione, & pietate excelluerunt; Qui vero excitata jurisdictione in Sacerdotium jus habere, & exercere ausi sunt, invisi ab Ecclesia, atque exerati fuere. Hobbio tantummodo, ejusque pice tinctis placere poterunt Leges Licinii in Episcopos; Decreta Persecutorum Christi nominis, Constantii, & aliorum Arianorum, erant etenim, in hac opinione Hobbiana, habentes summam potestatem, adeoque, licet hostes, & destructores Ecclesiæ Christi, ejus tamen caput, Cæteris verò hominibus recta sapientibus, iniquæ Legis, Impii, & detestandi Tyrani sunt.

§. VIII.

Solvitur unum Argumentum.

Hobbius, ut mox vidimus peremptorie affirmat legem pubblicam pro Conscientia haberi debere ab uno quoque civium: hanc doctrinam tanquam perniciosam, & legum naturalium destructivam insinuavimus, & infra commonstraturi sumus: In hujus tamen favorem stare videtur sententia S. Th. (b) ejusque celeberrimæ Scholæ. Quandoquidem docet S. Doctor, quod Judex debet ad mortem damnare eum, quem novit scientia privata innocentem, dummodo ab allegatis, & probatis convincatur reus. Judex igitur, tunc habet pro conscientia Leges; Quid igitur in Hobbio reprehendimus, quod in S. Thoma veneramur. H h Respon-

(a) 2. Paralip. c. 26. (b) 2. 2. q. 64. a. 6. ad. 3.

Responsio non una est. In primis mirari nemo debet in ore impii reprehensibilem esse propositionem aliquam, quæ in ore alicujus S. Patris sit veneranda. Exemplum profert Cajetanus in hac propositione, *Liberum arbitrium a gratia regitur; sicut equus a sessore*, quæ Catholica est in ore Divi Augustini, hæretica in ore Calvini. Idem judicium esto de quibusdam propositionibus ab Ecclesia justissime damnatis in Quesnellio. Auctoris mentem, & animum ex ejus operibus venari debemus, quo nimirum propositio tendat, quid inde sequatur considerandum potissimum est. Porro vero quid sentiat Hobbes, quo tendit, quidque in ipsius sisthemate sequatur, jam est notissimum factum.

Monet Natalis Alexander (a) explodendam esse eam doctrinam, quæ pugnat cum Doctrinis PP., licet Scholasticorum principiis conformior sit. Est autem Doctrina communis PP. quod conscientia formanda sit ad normam Divinæ Legis, quæ est unica, aut prima regula moralis honestatis. Hac de re legendus Lactantius, ubi de vera justitia contra ethnicos agit; quod argumentum latissime tractant Augustinus cæterique PP., quin, & ipse D. Th. frequentissime in suis operibus.

Sancti Doctoris (b) opinio de Innocente damnando in specie proposita derivatur ex ea, quam tractat postea, ubi concludit, quod Judex debet judicare secundum Leges, & non secundum propriam opinionem, sed distinguit S. D. inter Judicem, qua Judex est, & ipsummet quatenus persona particularis, aitque, (c) *homo in his, quæ ad propriam personam pertinent debet informare conscientiam suam propria scientia: sed in his, quæ pertinent ad publicam potestatem, debet informare conscientiam suam secundum ea, quæ in publico judicio sciri possunt.*

Præterea docet, quod quando *sententia continet errorem intolerabilem, Minister Judicis non teneatur obedire, alias excusarentur carnifices, qui martyres occidebant*. (d)

Ibidem docet S. Th. (e) quod Judex tenetur, si potest, sententiam differe, *ut districtius discutiat probationes, ut possit eorum defectum investigare*. Item quod debet, *diligentius examinare testes ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si non possit debet eum relinquere superiori judicandum*. (f) Quæ

(a) Natal. Alex. Tom. 1. Hist. Eccl. Sæc 4. cap 6. a. 3. (b) 2. 2. q. 67 a. 2. (c) Ibid. ad 4. (d) Ibid. q. 64. a. 6. ad 3. (e) Ibid. q. 67. a. 2. in corp. (f) Ibid. q. 64. a. 6. ad 3.

Quæ cautelę satis commonstrant sententiam D. Th. alienam omnino esse ab Hobbii mente, qui obligat Civem ad parendum præcepto habentis summam potestatem, & cœci mente judicare legem esse propriam ipsius conscientiam, etiam quando lex contineret errorem intolerabilem, qualis esset dubio procul ea, quæ obligaret subditum ad publice profitendum, & asserendum, *Christus non est Deus*, aut ad adolendum incensum Idolo, vel quid aliud exterius faciendum, quod in sensu obvio importet veri nominis Idololatriam.

Ad eam porro sententiam D. Th. quod attinet, quamque præcise tangit in arg. 3. ejusque responsione dicerem cum Doctissimo Sylvio *salva reverentia tanto Doctori debita* contrarium sentio; quam Sylvii opinionem sequuntur plurimi Theologorum, quos videris apud Concinam. (a)

Hujus opinionis non unum est fundamentum, sed unum sufficiat proposuisse desumptum ex ipsa D.Th. (b) Littera. *Aliquis homo dupliciter considerari potest. Uno modo, secundum se, alio modo per comparationem ad aliquod. Secundum se quidem considerando hominem nullum licet occidere, quia in quolibet etiam peccatore debemus amare naturam, quam Deus fecit, quæ per occisionem corrumpitur. Sed occisio peccatoris fit licita per comparationem ad bonum commune, quod per peccatum corrumpitur: vita autem justorum est conservativa, & promotiva boni communis, quia ipsi sunt principalior pars multitudinis. Et ideo nullo modo licet occidere innocentem.*

Præceptum Domini vetans innocentis occisionem manifestum est, Exod.23. *Non suscipies vocem mendacii ... non sequaris turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies ... mendacium fugies; insontem, & justum non occides*; quibus pr[ill]asibus deffiniri videtur opinio, quam sequimur. Hoc idem præceptum commemorat pro carioribus senibus Daniel propheta: (c) *Innocentem, & justum non interficias*.

Rationem hujus præcepti investigat, & pandit S. D. (d) Dei ordinatione moriuntur, & peccatores, & justi, quia Deus solus habet dominium vitæ, & mortis. Qui mandatum Dei exequitur occidendo innocentem, sicuti paratus erat A-

(a) Concin. lib. 7. in Decal. cap. 4. (b) 2. 2. q. 64. ar. 6. (c) Dan. 13. 53. (d) Ibid. ad 1.

braham, non peccat, ficuti nec Deus, cujus eſt executor. Ex quo ſequitur nulli conceſſum eſſe occidere innocentem, uſque dum fiat reus mortis ratione delicti. Hinc concludendum, occidere innocentem eſſe intrinſece malum. Si porro eſt de ſe malum, nullo modo poterit ab Judice morti tradi; quemadmodum non licet Tyranno tradere virginem ſtuprandam, aut innocentem mactandum; ut fert aptior, & probabilior ſententia.

Factum Suſannæ huic noſtræ opinioni ſuffragatur; nam Senes illi duo teſtes erant omni exceptione majores, & *in ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum*. (a) Injuſtam tamen ſententiam putavit Daniel.

Putant patroni opinionis contrariæ ſe expedire ſi dicant, quod Judex non occidit Innocentem, ſed partes, aut teſtes, quæ probant illum reum. Aut ſi quo modo concurrat Judex non niſi indirecte concurrit, exercendo nimirum officium proprium Judicis, cujus eſt ſententiam ferre juxta allegata, & probata, non autem ſecundum propriam opinionem, aliter facilime corrumperetur via judici, ſi Judici liceat, relictis momentis partium, judicare prout ipſe ſcientia privata judicaret. Verum.

Obſtat doctrina S. Th. (b) *ille aliquid facit, cujus auctoritate fit*, & quidem David occidit Uriam, quod juſſerit ipſum relinqui, ut periret. Quem interfeciſti *Gladio filiorum Ammon* (c) ajebat Davidi Propheta Natham; nec immediate, nec directe occidit, ſed tamen occidit, quia occidi etiam indirecte ab Ammonitis permitti juſſerit. Nec Pilatus Chriſtum occidiſſet, ſed partes, videlicet Judæi, quando clamarunt *Crucifige*, prius ab ipſis damnatum ut reum mortis.

Ut plenius huic argumenti inſtaurationi fiat ſatis, duo ſunt præmittenda, quæ ab omnibus admitti debent. Primum quod Jus Civile, præcipue in his, quæ conſcientiam concernunt, juri Canonico ſubdi debet; Jus Canonicum Evangelio; Evangelium conſonum eſſe neceſſe eſt cum veteri Teſtamento, & iſtud cum lege naturali; id nemo negat niſi impius ille nullius religionis homo, qui bellum inter illa invenire ſe blaſphemabat. Jus igitur civile corrigendum a Ver-

---

(a) Deuter. 19. 15. (b) 2. 2. q. 64. a. 3. ad 1. (c) 2. Reg. 12. 9.

Verbo Dei; si ab ejus regulis exorbitare dignoscatur: Exorbitaret autem si contra Præceptum Divinum: *Insontem, & justum non occides*, juberet interfici. Legi naturæ non minus opponeretur, dum ipsa natura vetat quempiam occidi, nisi facinoribus, & delictis ipsam hominis naturam, & bonum commune corrumpat. Sed & Statui civili Reip. contraria foret lex illa; cum, etenim justi sunt præcipua multitudinis portio *conservativa, & promotiva boni communis*. (a) Magis igitur nocet insontem occidere Reip., quam non occidere, magisque prodest ipsum indemnem conservare. Quare lex ista lex non foret, & quia injusta violativa juris, quod habet innocens in vitam; & nociva Reip. cui aufert membrum præcipuum multitudinis.

Secundum præmittendum illud est, quod ut qualis sit verus legis sensus, qualisque vis, & robur dignoscatur, necessarium est comprehendere, qualis sit finis, ob quem lata est; qualisque animus, & voluntas Legislatoris eam condendo. Hic autem animus, voluntas, & intentio alius esse nequit, nisi justum, & rectum judicium judicare, quod Deus jubeat jam in veteri Testamento. (b) *Judicium verum judicate, nec injuste judicabis* .... (c) *juste judica proximo tuo*. Jam vero judicium, & sententia, qua innocens pronuntiatur reus, revera, & in conspectu Dei vera non est: Nec etiam justa, sed injusta utpote, quæ lædit jus Innocentis ad vitam.

Et sane ad quid testes adhibentur, examina, & probationes? Ut quid tempus insumitur in tot perquisitionibus, interrogatoriis, constitutis, & responsionibus? Nisi ut rei veritas pateat; nisi ut Judex elongetur a periculo falso judicandi, & condemnandi innocentem. Res est adeo patens, & omnibus pervia, ut solo naturali lumine dignoscatur. Testes hujus rei sunt Aristoteles alibi datus, Cicero (d), qui de Judice pronuntiat, quod sequatur veritatem, cæterique vetusti Philosophi. Quare non Principem, non Patrem, non Judicem habet Gundlingius, (e) se ut occidat, *sed ut potenter tueatur*. Et ita, ac tanta solicitudine innocentia, aut crimen inquiritur, ut in favorem rei semper leges inclinent, & semper quod minimum est, & minus noxium reo, disponant. Si porro tot adhibentur

(a) Ibid. q. 65. a. 6. (b) Zac. 7. 9. (c) Levit. 19. 15. (d) De Offic. (e) De jur. nat., & Gent. c. 9. §. 9. pag. 98.

tur cautelæ, ne homo puniatur, aut morti tradatur, tametsi suspicio subsit criminis, quia etiam reus membrum est Reipublicę. Quanto magis leges inclinant ad innocentem conservandum.

Finis igitur legum, & intentio Legumlatorum est veritas, & innocentium conservatio, & perennitas. Judex, qui secundum allegata, & probata innocentem damnaret, non legibus parèret, sed in leges peccaret: quia *peccat in legem, qui secutus verba legis, contra legis nititur voluntatem* (a).

CAP. VII.

Quid de summa Religionis senserit Hobbesius.

§. I.

Aliqua recensentur Hobbii placita ad fidem pertinentia.

Homines liberat ab externa fidei professione, si parere Principi opus sit. Contra Apostolum dicentem *ore confessio fit ad salutem: omnis, qui credit in illum confundetur*, (b) nimirum dicere verum, sive fateri, quod corde credit ad justitiam (c). *Obedire* tenemur *magis Deo* præcipienti, quam Synagogæ, quam Principibus, cæterisque qui jubeant non confiteri Christum Filium Dei; *Qui autem negaverit* illum *coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei* (d).

Omnem submovet articulum fidei, unicum tantum admittit nimirum unice credendum, quod *Jesus Christus sit filius Dei*. Facile Hobbius intra Ecclesiam admittet, Nestorianos, Sabellianos, Arianos, omnesque ferme Hæreticos ab Ecclesia damnatos, cum nullus eorum inficiatur illi articulo subscribere. Ita plane colligendum ex Hobbii sententia: (e) *Si peccatorum suorum pæniteat, dummodo credant in Jesum Christum*, salvandi erunt. Quod alibi etiam concedere videtur. Hæc fides Hobbii contraria est Catechismo Anglicano, ubi alii articuli proponuntur credendi.

De Trinitate calvinizat; Trinitatis explicationem a PP, & Con-

(a) De reg. Jur. (b) Rom. 10. 10. 11. (c) Act. 5. 29. (d) Luc. 18. 9. (e) Append. ad Leviat. pag. 445. pag. 350.

Conciliis ad nos usque derivatam non recipit, nimirum de *Persona*, & de *substantia* (a). Spiritum Sanctum genitum a Filio insinuat; & Christum Dominum pariter a Spiritu genitum; quamquam videatur non parum Symbolo Athanasiano deferre.

Prætermissis autem plurimis animadversionibus, quibus castigari potest Hobbiana doctrina, ad duo accedamus exponenda, a quibus summa religionis pendet omnino.

§. II.

Quid de hominis anima Hobbius judicet.

Omnium hominum animos invasit opinio, & judicium, quod animæ humanæ immortalitate rejecta, nulla remansura sit religio. Quid etenim interest credere Deum existere, præmia æterna promittere, pænas cominari perpetuas, si nihil horum est post hanc vitam, & idem finis sit jumentorum, & filiorum hominum? Edamus, inquient mortales, & bibamus, quia post mortem nulla voluptas.

Non negat Hobbesius animam hominis esse immortalem, sed tantummodo ex gratia Dei, qui eam iterum suscitabit. Animam cum hominis vita confundit; immo nihil aliud esse affirmat; quare cum moritur homo, nullam putat esse substantiam superstitem præter corpus; quod cum Deus promiserit suscitandum in die Judicii, ei animam restituet, idest vivere faciet. Ex quo placito Hobbii unusquisque intelligit animam hominis aliud non esse, nisi corporis organizationem aptam ad motus vitales.

Adeo firmus est in hac opinione, ut eam celebrem Jesu Christi sententiam: *Dominum, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum.* (b) explicet: *vivere quidem* hos Patriarchas, *non tamen actu, sed quatenus promissione Dei, vitæ æternæ, & resurgendi certi sunt*. (c)

Fatetur ex novo Testamento pluribus testimoniis probari apparenter posse, animæ rationalis existentiam post corporis, sive

(a) Append. c. 1. pag. 342. (b) Luc. 20. 37. (c) Leviat. de regn. te- c. 44. p. 299. 300.

sive hominis mortem, ut ea, quibus reprobi deputandi dicuntur ad ignem æternum, electi verò ad æterna gaudia, sed putat Deo injuriosum asserere quod Deus, qui *Pater est misericordiarum, cruciatibus æternis punire velit peccata hominum*, (a) qui error fuit Origenis, ut tradit D. Augustinus.

Provinciam hanc dogmatice disputandi cum Hobbio non suscipimus; ita Sacræ Scripturæ textus contorquet, & ad inania perducit, ut infiniti esse deberemus, si ipsum sequentes, omnia ipsius deliria persequi animus nobis esset. Nonnulla tamen testimonia Divini Verbi adducimus, quibus ipsius asserta præfocemus.

Putat ipse eamdem esse rationem de jumentorum, ac de hominum morte, quod nimirum utrorumque anima aliud nihil sit, quam vita, utens illis verbis Ecclesiastæ: *Unus est interitus hominis, & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius . . . de terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum.* (b)

Probabilior opinio est, ibi induci ab Ecclesiaste impium loquentem. Quid sibi velit hac loquendi phrasi, interpretes declarant. Hobbium brevi aggrediamur. Idem Ecclesiastes (c) sapienti comparat stultum, & utriusque asserit eumdem esse interitum; quod non facile admittit Hobbius, (d) qui putat homines, justos scilicet, resurrecturos ad vitam, secus stultos, sive impios, qui morituri sunt morte secunda, non vero æternum vivent. Origenizat Hobbius, & Socinianorum semitas ingreditur, Burneto placiturus, horum omnium doctrina communis est, negans cruciatus æternos impiorum contra manifestissimum Evangelii sensum. Ibunt maledicti in æternum ignem, impii ad sinistram (e) stantes in die Judicii; sicut justi, ad dexteram locati, in æternam vitam benedicti.

Spiritum commemorat Ecclesiastes, qui revertitur *ad Deum, qui dedit illum*, dum interim corpus revertitur in pulverem, & *terram unde erat*. (f)

Summa doctrinæ Hobbii in hac controversia ad id tandem con-

(a) Ibid. (b) Eccle. 3. 19. 20, 21. (c) 2. 14. (d) Leviat. c. 44. p. 301. (e) Mat. 25. 41. (f) Eccle. 12. 7.

contrahitur. Animæ substantia nulla est præter corpus ita organizatum, & expeditum, ut hominis functiones peragat; in quo vita, sive anima consistit. Anima igitur est corporis vita; atque adeo, qui occiderit corpus, ita ut non vivat, is dicendus erit animæ occisor, sive destructor. Aliam ideam nobis ingerit Evangelium: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam* (a) Qui igitur occidit corpus, sive hominem, ita ut occisus non vivat, non occidit animam. Si igitur anima est vita, corpus, sive homo occisus, vita adhuc vivet; sive mortuus vivet. Fateatur ingenue Hobbius, aut propriam inscitiam, aut ab Evangelio discessionem.

In appendice ad Leviatan respuit Philosophos, quos agentes de animæ substantia non vult pro magistris habere. (b) Nullum putat afferri posse Textum S. Scripturæ, quo probetur animam, substantiam esse diversam a vita; illamque subsistere post mortem hominis, & ante diem Judicii; ac tandem hoc pro sua sententia argumentum conficit: *Si anima non sit idem, quod vita, sed substantia in se existens distincta a corpore, eademque hominis essentia, sive natura, sequi videtur addita natura divina tres esse in Christo naturas, quod est contra fidem.*

Non ne legerat Hobbesius Symbolum Athanasianum, quod ipse recipit pro fidei Nicænæ paraphrasi? Quid porrò in eo symbolo profitetur Ecclesia? *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus, & homo unus est Christus.*

Sicut igitur Deus alia est substantia, & natura ab homine, ita anima rationalis, alia est substantia, & natura a substantia, & natura carnis. Non autem caro, & anima sunt duæ naturæ hominis, sed unica conflata ex carne, & anima rationali. Certe quodlibet membrum humani corporis est quoddam ens, sive quædam res, natura, essentia, & corpus, & tamen in eodem corpore hominis, nemo nisi Vitilitigator, quos sophistice respuit, ajens *o mirabiles inanis Philosophiæ præstigias*. (c) asseret plura corpora, naturas &c., sed unum corpus hominis compactum ex pluribus partibus esse.

(a) Mat. 10. 28. (b) Cap. 1. p. 335. (c) Ap. c. 1. p. 342.

Quid probant ignita illa desideria, quibus flagrabant homines Dei, dum cupiebant dissolvi, & esse cum Christo; dentibus Bestiarum moliri; liberari a carcere mortis hujus, aliaque innumera suspiria alterius vitæ, quam desiderabant sicut cervus ad fontes aquarum? Si post mortem corporis nulla est vita, nisi post diem resurrectionis, non video quid, nisi inaniter, optare potuerint. Consule Cl. Muratorium adversus Brunetum. (a)

Animæ itaque Prophetarum, Patriarcharum, Apostolorum, B. Virg. nullæ nunc sunt in Paradiso fruentes Dei visione. Ita sane sentiet Hobbius, (b) si jam resurrexisse non judicet; licet ipse pro die resurrectionis, alium non censeat, nisi postremum *hujus sæculi*. Sed quid de anima Servatoris in triduo mortis dicendum? Nihil in suo opere de hac difficultate legere est, ni fallor, sed Divinæ Scripturæ magisterio instruimur animam ipsius ad inferos descendisse, ut ostendit Petrus Apostolus (c) in concione prima post acceptum Spiritum Sanctum, & in prima Epistola (d), ubi asserit in suo spiritu prædicasse spiritibus, qui in carcere erant, significans animam Christi Domini descendisse ad infernum aliquem carcerem, quo detinebantur animę quorumdam.

Quid, si sapiunt Protestantes, significat illud Athanasianum *descendit ad Inferos*? Sepultus est, ajunt: optima quidem si nil aliud obstaret; sed obstat Symbolum Apostolicum, quod *intemeratum semper custodivit Ecclesia Romana* (e), nam non sufficit confiteri Christum mortuum, sed & sepultum, & ulterius quod descendit ad inferos, e quibus *captivam duxit captivitatem*: *Crucifixus, mortuus, & sepultus*: *descendit ad inferos*. Ac tandem quod e Cælo ubi ascendit, venturus est, & ei reddituri sunt omnes rationem de factis propriis. Qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, non solo tempore indefinito, longo, & occulto, sed æterno; & qui mala in ignem æternum, eadem æternitate puniendi, qua præmiandi, qui electi invenientur.

Addamus pro coronide universam SS. PP. traditionem communem, uniformem, qui omnes judicarunt, animam esse substantiam a corpore distinctam a Deo desursum provenien-

tem

(a) L. Murat. *de Paradiso*. (b) *Leviat*. c. 44. p. 301. (c) Act. 2. (d) 1. Petr. 3. (e) S. Ambros.

tem, & etiam agnoverunt Plato, & Aristotiles. Unus, in re tam patula sufficiat Augustinus disputans adversus eos, qui negabant abortivos resurrecturos, qui sic argumentatur, si non resurgent, *eorum animæ sine corporibus in æternum erunt* (a). Igitur anima non est simplex vita, sive motus in corpore excitatus medio organismo; sed substantia cogitans a corpore in suo esse independens, quod Hobbesius negare non potest nisi aut neget hominem cogitare; aut admittat materiam capacem esse cogitationis: quod bonus Philosophus quisque inficiabitur.

§. III.

Quid Hobbius de substantiis spiritualibus sentiat.

De humana anima quid Hobbius senserit jam vidimus; negat esse substantiam a corpore ejusque structura, & organizatione distinctam, erit igitur Hobbio anima rationalis, præter vitam purum nomen, a scholasticis derivatum ex illa definitione hominis, videlicet *animal rationale*: cæterum nihil discretum inter hominem, & brutum, quoad animam, nisi *potentia*, quod nimirum homo scit imponere nomina rebus, quod Brutum non facit (b). Ita discurrit impius iste. Videndum nunc est, num admittat aliquam inter creatas res spiritualem substantiam.

Hobbesii aperta mens est spiritus aliud nihil esse cogitabant antiqui, quam spectra, & imagines, (c) quales *apparent in somnio, & in speculo*, quas tamen *corpora esse putabant* (d); *quod autem res eadem, & spiritus sit, & incorporea, intelligi non potest* (e); *spiritus enim loco, & figura, idest terminis, & magnitudine sua aliqua determinatur, ac proinde corpus est, utcumque tenue, & insensile* (f). Quod frequenter inculcat, & repetit.

Hinc energumenos, & Dæmoniacos abnegat, sed nonnisi *furiosos, insanos, lunaticos, & epilepticos* affirmat. Quid autem fuerunt, sciscitor, illi Dæmones; qui jussi e corporibus egredi a Chri-

(a) De Civ. Dei l.22. c. 13. (b) Append. ad Lev. c. 1. p. 337. 338. (c) Leviat. 12. p. 56. (d) Cap. 34. p. 182. (e) cap. 45. p. 306. (f) Append. c. 1. p. 344.

a Christo Domino *clamaverunt dicentes, quid nobis, & tibi est Jesu Fili Dei .... Dæmones rogabant eum dicentes: si ejicis nos hinc mitte nos in gregem Porcorum. Et ait illis: ite* (a). Nunquid epilepsia, aliique enumerati morbi loquuntur, timent, ac demum gregem porcorum invadunt, & perdunt?

In auxilium propriæ opinionis advocat Hobbius textum D. Pauli, quando loquens de electis ait *seminatur corpus animale; surget corpus spiritale. Si est corpus animale, erit & spiritale* (b). Ex quo textu probatum putat humanum corpus ita depurandum, & poliendum esse, ut spiritus sit; quare concludit spiritum esse corpus, sed tenue, subtile, & insensibile.

Sane delirat Hobbius. Non resurgit nisi quod cecidit; cecidit autem corpus hominis, caro hominis, ossa hominis, ac in eodem corpore, eademque carne videbimus Deum salvatorem nostrum. *In novissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum; quem visurus sum ego ipse & oculi mei conspecturi sunt, & non alius* (c). Job igitur idem, & non mutatus in alium resurget in ossibus, & carne sua, prædita oculis, cæterisque membris suis. Ubi igitur umbratile illud Corpus subtile, & spirituale, quale vult Hobbius? Ubi illæ flammulæ, & ignieuli Burnetiani fingentis corpora resurrectura, futura ignis, & flamma?

Repetamus cum Tertulliano (d) resurget quod cecidit; cecidit autem corpus opacum, spissum, organicum suis quibusque membris compactum: igitur & resurget. Videatur Cl. Lamius in *deliciis eruditorum* ad Epist. Mich. Glichæ, ubi exagitat deliria Burneti *de statu mortuorum*.

Quid vero intelligat Apostolus nomine corporis spiritalis, vel jejunis phrasis Divinæ Scripturæ notum est: caro, animal carnale, animale sonant in Scriptura quid vile, & vilius etiam quam sit esse hominem, videlicet ob infirmitates, & pænalitates, quæ naturæ humanæ obvenerunt per peccatum, & quia Christus Dominus voluit fratribus assimilari, participavit carni, & sanguini, eo quod factus sit in similitudinem carnis peccati; & secun-

(a) Mat. 8. 29. (b) 1. Cor. 15. 44. (c) Job. 19. 25. (d) Tom. 8. Delic. Erudit.

& secundum hanc considerationem, Christus fuit paulominus minoratus præ Angelis.

Sonant etiam phrases corpus, & carnem, per peccatum corruptum hominem, passionibus, & defectibus obnoxium, ac a parte interiore, quæ terrena sapit, & non cælestia juxta hanc considerationem dicitur *caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt. Prudentia carnalis, Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*: quod mille aliis testimoniis confirmare possemus. Itaque Apostolus *corpus animale* appellat corpus corruptibile, molestiis, & passionibus obnoxium; *spiritale* vero Corpus impassibile, immortale, sicut sunt angeli Dei; quas dotes acquiret eadem caro post resurrectionem, ut proinde verum sit eam resurgere; si etenim non eadem in substantia, certe non resurget, nam resurgit, quod mortuum fuerat.

Probat Apostolus resurrecturos mortuos, quia Christus resurrexit. (a) Exemplum igitur nostræ resurrectionis sit resurrectio Christi. Jam vero Corpus Christi, quod resurrexit, erat palpabile, spissum, visibile plagis confixum: *palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet*: (b) *infer digitum tuum huc . . . . . affer manum tuam, & mitte in latus meum*. (c) Erat igitur Corpus Christi Domini alterius quidem status, & gloriæ, sed ejusdem naturæ, ut PP. loquuntur.

Non prius quod spirituale sed quod animale: deinde, quod spiritale. Primus homo de terra terrenus: secundus homo de Cælo Cælestis. Qualis terrenus, tales, & terreni: & qualis Cælestis, tales, & Cælestes (d). *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus, & imaginem Cælestis . . . caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt; neque corruptio incorruptelam possidebit*. Si Hobbius totum hoc caput decimum quintum legere, aut intelligere voluisset, & non præcise versiculum 44. illud obiicere ausus non fuisset. Ibi etenim Apostolus ita nitide rem declarat, ut nulli difficultati locus remaneat. Quid sit corpus animale, quid spiritale explicat, atque corporis Christi similitudinem proponit.

Electi in Patria quia videbunt Deum sicuti est, transformabuntur a claritate in claritatem in eamdem Dei imaginem, & similes ei erunt.

(a) 1. Cor. 15. 14. (b) Luc. 24. 39. (c) Jo. 20. 27. (d) 1. cor. 15. 46.

erunt (a) ; quod fieri nequit nisi anima spiritualis sit , & Divino lumine perfusa , ita Deo adhæreat ut fiat veluti unus spiritus , ut loquitur Apostolus . Corpus quidem , sive homo in carne sua videbit , mediis oculis Salvatorem , nempe Christum Dominum , sed anima mente Deum in sua substantia contemplabitur (b) .

Ab hac difficultate se expedit Hobbius blasphemando , quod Deus est corpus . Errore pejore se tegere putat ; sed is, qui Anthropomorphitas tanquam hæreticos ab Ecclesia confitetur , & piaculum admittit, Deum, angelos , & animas , quin & homines , post resurrectionem humanis membris compactos asserere : alia vero membra , organizationem , vel partes , & particulas materiei confusas , inordinatas , disjunctas concedere sanctum arbitratur . Sed noluit intelligere in illis hæreticis primarium errorem , quod videlicet Deus sit corpus. Hoc damnat Ecclesia ; quod vero membra humana haberet , in primo damnatum est ; si etenim corpore caret , utique & membris .

Qualiter autem frui possint Deo Angeli , & homines , si nulla sint præditi organizatione , corpora cum sint Hobbiana tenuia , insensilia , subtiliora materia subtili Cartesiana ; aut flammulæ , ut vult Burnetus (c), libentissime disceremus ab his novis philosophis ; cum cæterum certissimum sit quod humana corpora , quæ compassa sunt , participia erunt gloriæ , & præmii pro modulo ipsorum .

§. IV.

De animæ rationalis inmortalitate disseritur .

Fertur dictum fuisse a Pomponatio , quod *anima rationalis est immortalis secundum evangelium , sed non secundum Philosophiam* (d) . Negant inter alios N. Salierius , id unquam a Pomponatio pronuntiatum , quod ex ipsius Pomponatii discipulis colligere putat . Sed arbitror id quidem docuisse Pomponatium , in libro *de animæ immortalitate*, quod opusculum cum

(a) 2. Cor. 3. 18. (b) 1. Cor. 6. 17. (c) Th. Burnet. c. 8. de statu mort. (d) Salier de animi immort.

cum jussu Cardinalis Bembo examinatum fuisset, immune a censura evasit. Nulla ratione naturali putabat Pomponatius posse probari animæ immortalitatem, sed solum ex revelatis; si ita est Philosophum agebat, sin autem putarit a Philosophia probari mortalem, merebatur illud *infelix philosophia, quæ non subordinatur evangelio*. Tunc etenim ne dum a revelatis præscinderet, sed eis obsisteret; quo vitio inquinantur nonnulli, nimis audaces nostri temporis.

Hobbesius negat in Scripturis inveniri textum (a), quo animæ immortalitas probetur. Vitam cum anima confundit (b), ut jam vidimus; si corpus organicum pernegat homini post resurrectionem, quomodo vivet; quandoquidem cum vita corporis sita sit in motibus a principio interiore prodeuntibus, sine organizatione, plexura, & subordinatione organorum; isti motus sunt impossibiles: si autem organizationem admittit, non tenuia erunt hominum corpora, sed crassa, spissa, & prædita suis extensionibus, & dimensionibus, & quidem humanis: siquidem *non omnis caro eadem caro: sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia piscium* (c). Porro vero corporum discrimen non a materia prodit, sed a plexione, compaginatione, & textura. Non erit autem hominis caro, caro piscis, pecoris, aut volucris; sed hominis caro, quæ resurget, aut nullimode caro erit. Hobbius igitur cum Eutiche carnis resurrectionem abnegabit.

Sadducæis accensendus est Hobbesius, & Samaritanis, qui negabant spirituum existentiam, non tamen hominis vitam, & corporis organismum: (d) *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*.

Animam nunquam interituram censuere Hebræi, eo quod ex Dei afflatu processerit, numquam reversuram proinde in pulverem, quia de pulvere desumpta non fuit, quod dogma inficiatur Hobbius, qui animam in membris hominis collocat; aut si in solis vitalibus motibus, mutari ferme quolibet momento asserere cogitur. Corpus autem in pulverem, de quo sumptum fuit, resolvi debet. (e) *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*.

Eadem insedit opinio iis, qui dediti erant Necromantiæ; aurif-

(a) Lev. c. 38. p. 211. (b) Append. cap. 1. p. 335. (c) 1. Cor. 15. 39. (d) Act. 23. 8. (e) Gen. 3. 19 Eccle. 12. 7.

aurispicinæ; sicut & iis, qui Pythonis spiritum habebant: Platoni pariter, licet earum præexistentiam docuerit, cum nimirum docuit substantias esse Angelicas, sed propter quędam facinora, in corporibus tanquam ergastulis emancipatas. Cui errori favisse Origenem censent plurimi, eo abutens versiculo psalmorum, *priusquam humiliarer ego deliqui*. Suffragantur animorum immortalitati Plutarcus, (a) Aristotiles, Laertius, Herodotus, Chaldęorum, & Indorum Magi, quos primos fuisse in hoc dogmate falso censet Pausanias, cum primas obtinuerint Judęi, ad quos primo consignata fuit hęc perpetua, & longęva traditio.

Quod bonum vidit in Philosophis Hobbius respuere maluit, quia propius ad Religionem Christianam accederet, adoptare vero quod magis ab ea recedit, secutus Pithagoram, Homerum, & Stoicos, qui animam hominis dixere flatum, ventum, invisibilem ignem, aut quid simile.

Animarum immortalitatem, atque adeo substantias esse separatas a materiei concretione asseruere omnes illi, qui metempsychosin, seu illorum revolutionem in corpora admittebant, in qua secta fuere veteres Egiptii, ut testantur Herodotus, Laertius, & Clemens Alexandrinus; Traces, ut tradit Solinus; Magi, & Celtæ, sive Galli ut ex Druidum doctrina colligitur apud Cæsarem, (b) de quibus Lucanus canebat. (c) Multi opinati sunt hunc errorem viguisse, insinuat Doduvellus. De Germanis asserit Appianus (d) Germanis *mores ferocissimi insunt: in aggrediendo insignis audacia, contemptus mortis maximus ob reviviscendi spem*. His connumerandi Brachmanes, Indi, & ferme omnes Orientales; & quotquot imposterum edocti sunt a Pythagoreis, Platonicis, & Pharisæis. (e) Qui omnes etiam dum errant, animæ rationalis immortalitatem confitentur, ut de resurrectione mortuorum ajebat Tertullianus.

Hęc communis persuasio, a nævis per Evangelium purgata sufficere posset ad revincendam contumaciam, audaciamque eorum, qui *spiritus fortes* vocantur, et post mortem nihil sperandum, timendumve, contra rationis reprehensiones, morsusque, sibi persuadere conantur,

Tunc

(a) Plutar. de Isid., & os. (b) Cæs. lib. 6. de Bel. Gallico. (c) Lucan. l. 1. Phar sal. (d) Dodur. dissert. Cypr. 12. Appian. in Celtic. (e) Calmet. dissert. de Pharis.

Tunc virtuti præmium deesse debet, et vitio pœna luenda, cum in unoquoque regimine, si constans, firmumque esse velimus, et virtus remuneranda, et vitium puniendum venit, ut hoc modo alliciantur membra ad virtutis amorem, et per semitas æquitatis incedant; impii vero a facinoribus deterreantur, aut si commiserint, eorum perversa voluntas ad justitiæ canones redigatur. Quod cum in hac vita non semper contingat, perversi etenim plurimi felices vivunt, boni autem miserrimi. Cum Platone igitur concludamus, aliam nobis esse vitam, post mortem corporis, atque adeo animam nostram immortalem esse.

Aliud argumentum ex Philosophicis afferamus vulgare, sed persuasorium animis alienis a rixandi libidine. Familiarius nihil Philosophis, quam quod materia incapax sit cogitandi, sed tantummodo figuræ, extensionis, motus, quietis, et his similium. Materiei idea primaria nobis ingerit extensionem: qua in re si fallimur, perpetuo fallimur, nostræque falsitatis Deus auctor censeri potest, qui nobis naturam, facultatemque providit, qua semper fallamur; quod contrarium est revelanti verbo, quod nimirum *creaverit Deus hominem rectum* (a), qui si recte lumine rationis uteretur, nec se se immisceret infinitis quæstionibus inveniret *solutionem verbi*.

Cognitio porro, quam in nobis experimur res extensa non est, quæ se extendat ad præterita, futura, & absentia, dum cogitamus quod factum est, quod futurum, atque in omnem mundi plagam mente percurrimus. Si extensa non est, extensi principii esse non potest; cum etenim motus non nisi mobilis naturam fortitur: Lapidis motus lapideus; Bruti Brutalis; Cæli cælestis, materiei materialis est; erit igitur cogitatio rei inextensæ, & extensionis expertis; partibus igitur carebit. Si autem partibus caret, dissolvi non potest, nec propterea mori, aut destrui. Punctum, si in sensu phisico sit, immortale esse debet. Partes primigeneæ, quæque dissolvi a nullo agente, aut dividi queunt, ut ratiocinabatur Avenroes, immortales sunt; igitur nec anima mori, si dissolvi in partes non valet.

Igno-

(a) Eccl. 7. 30.

Ignorat Lokius, num materia ita perpoliri a Deo possit, ut tandem ad cognoscendum perveniat. Ignorantia hæc est indigna acutissimo, & subtilimo Philosopho (a), qualem appellat Cl. Muratorius. Leibnitius quamlibet monadem, seu materiei minutissimam particulam capacitate cognoscendi donat, sed impotentem asserit exerendi motum cognoscendi, eo quod sufficienti organizatione ad id exequendum requisita, careat; cui imaginationi adhærere videtur Hobbius. Organizatio igitur sufficiens exposcitur ab his auctoribus, ad cognoscendum. Hinc quæramus ab Hobbio, & Burneto, quali organizatione sufficienti ad cognoscendum, sint prædita corpora illa, quæ tribuunt homini, post resurrectionem, nimirum Cælestia, subtilia, insensibilia, ignea, & pene spectra; quali ea, quæ corpora, quæ Hobbius concedit Angelis, & Deo?

Quid Hobbius reponat, aut Burnetus, dum plus ratiocinationi, quam Divinis oraculis, & PP. traditionibus concedunt: quin ut ingenue, jureque fatear, nec rectæ rationi quidquam solidi permittunt, nihil habeo. *Inorganicum*, *inconcretum* corpus hominibus in altera vita, attribuunt; atque adeo, si Deo placet, nec eamdem carnem resurrecturam necesse est, asserant. His cum Tertulliano (b) dicamus; *Viderit unus aliquis Lucanus, nec huic quidem substantiæ parcens . . . aliud quid pro ea subjicit tertium resurrecturum., neque anima, neque caro, idest non homo, sed ursus forsitan, tanquam Lucanus*, Hobbius, aut Burnetus. Sed his jam antiquatis deliriis, quæ D. Augustinus (c) protriverat, & præfocaverat relictis ad id, unde discesserat disputatio redeuntes, manifestum in primis fit vitam hominis in partium combinatione sitam non esse; aliter mutata materia ejusque organizatione, alia omnino diversa vita erit; non igitur idem homo resurget, qui mortuus fuerat: *Cum audio resurrectionem homini imminere, quæram, necesse est, quid ejus cadere sortitum sit. Si quidem nihil resurgere, expectabit, nisi quod ante succiderit*: materia cœlestis, insensilis,ætherea, ignea non cecidit: anima (vivat veritas) non interiit: Hobbio si interiit alia longe diversa foret nimirum textura, & vitales proinde motus: non igitur resurget homo in eadem carne, sed *alius, non ego ipse in carne mea*, ut Job fide firma affirmabat.

Melchiori Cano suspecti sunt hi, qui negant ratione naturali

(a) Philosoph. Moral. (b) De Carn. resurrect. (c) De Civit. D. c. 12..

rali probari posse animæ rationalis immortalitatem. Siquidem perire sua natura non potest, nisi quod contrariis propriæ naturæ subjacet; aut quod in semetipso responsum habet mortis; videlicet principium aliquod, quod ad destructionem inclinat, qualis est partium dissociabilitas; aut bellum, sive mutua constituentium lucta, & pugna. In substantia spirituali, cum partibus careat, nullum est contrarium, quod dissociationem partium causare possit: nec intus, atque in semetipsa continet quidpiam, quod contra eam nitatur, & pugnet, cum sit individua, & simplex. Quare, qui eam immortalem non asserit, aut suspicatur non posse immortalem demonstrari, Philosophus cum sit, idemque, quibus percelluntur cæteri, abundet, non immerito eruditissimus Theologus suspicari potest, eum, aut animæ spiritualitatem denegare, aut aliquid, quod minus religionis habeat, moliri.

Ex nihilo prodit anima, ut post S. Augustinum tenent omnes Catholici, & eruitur ex Concil. Lateran. Nulla igitur naturalis causa ipsam producit; atque adeo nonnisi Deo agente, & ad nihilum redigente perire potest. Materia non nisi in nihilum redacta destruitur; cur non & spiritualis substantia.

Quod opponi doctrinæ præsenti potest, argumentum est illud de Brutorum anima, pro qua similiter eadem formari queunt ratiocinia. Siquidem cognoscunt, nec etenim sunt pura automata; sed suis pollent ratiociniis, ut post Aristotilem docet S. Thomas, omnesque Philosophi, quin Lactantius ita describit eorum astutias, industrias, & cogitationes, ut tandem asserat *solam Religionem* discrimen esse hominem inter, & Bruta. Jam vero materia ex re cognitione prædita esse nequit; adest igitur in Brutis substantia quædam spiritualis, quæ careat partibus: erit ergo pariter immortalis, qualis asseritur anima hominis.

Torquet nimis animos hæc ratiocinatio, cui ut responderet quispiam ab inferis advocavit Dæmones, ut eos intruderet Brutorum corporibus, ut superbos illos spiritus, qui quondam ut Dii venerari avebant ab hominibus, ad servilem Bestiarum conditionem humiliaret. Sed isthæc lepida opinio merito Ecclesiæ displicuit.

Quo fato introducta fuerit in scholis anima quædam sensitiva, quæ nec materia sit, neque spiritus, difficile est divi-

 nare.

nare . Saletius (a) nusquam invenit in operibus Aristotelis licet diligentissime examinatis. Eam fortasse invenit Justinus, (b) vel quis alius antiquus Philosophus, sed eam rejicit communi; quæ invaluit persuasione, videlicet: *Quidquid est materiale, & secundum materiam, materia est: dic quid aliud?*

Fortassis putarunt nonnulli actiones animatorum ab anima originem trahere, ejusdemque cum ea generis: Cum vero actiones vegetandi, & sentiendi materiales sint, arbitrati sunt inesse Brutis animam materialem. Persuasum semper cum fuerit omnibus, ante opinionem authomatum, Bruta cognoscere, & aliunde materiam incapacem esse cognitionis, hinc materialem eam animam esse, indicarunt, esse autem materiam inficiati sunt.

Explosa opinione de triplici anima in homine, & firmata sententia de unica in homine, eaque rationali, & spirituali, unicuique manifestum debet esse, nullam ipsius operationem posse esse corpoream. Siquidem actio, est motus agentis, sequiturque naturam principii; nec motus lapidis potest esse Angelicus, sicuti neque motus Angeli potest esse lapidis actio. Quare Agatho Pontifex revincit Monothelitas (c) hac evidenti doctrina, probatque duplicem actionem in Christo, quod in eo sit duplex natura, & duplex voluntas, una, quæ verbi sunt exequens, altera, quæ humanæ naturæ. Qua etenim philosophia potuit quorumdam schola asserere simul idem esse Dei actionem, & creaturæ? Monstrum id esset Creato--increatum. Quid porro sint actiones vegetandi, & sentiendi, quatenus hæ ad organa pertinent, explicant Philosophi politiores sine ulla animæ cognitione, aut voluntate. Mirari subest, quod qui inter Scholasticos nolunt animam infundi, nisi post quadraginta, aut septuaginta dies, cernunt tamen fœtum ante illud tempus ita crescere, ut si eadem proportione usque ad annum vigesimum vegetaret, & grandesceret; homo Gigas futurus foret.

Sensationem autem demonstrant prædicti Philosophi aliud nihil esse, nisi motum corporeum fibrillarum, nervorumque, qui dum ad intimam cerebri partem perveniunt, cognitionem excitant in anima, aut occasionem præbent animæ, ut cognoscat.

Ex modo dictis concludendum est aut Bruta non cognoscere, quod difficile non dissonare sacro verbo probabitur, aut

(a) Salier. Hist. de form. (b) Justin. Aliq. Aristot. dogmat. eversio. (c) Concil. III. Constant.

tur si cognoscant, spiritus eis concedendus erit. Cum autem immortalitatem animæ spiritualis probemus potissimum ex ipsius spiritualitate, ad Brutorum spiritum, quem eis concedunt plurimi PP., ut Lactantius, Gregorius, &c., hæc demonstratio ad eum pariter extendenda convenit, aut alia utendum probatione.

Quid vero futurum sit de Brutorum spiritibus post Orbis interitum, is solus novit, qui Deus est, *qui omnia quæcumque voluit fecit in Cœlo, & in terra*. In his etenim sicut & in mille aliis rebus, homines ignorantia detinentur! Quis usque ad hæc tempora novit, quid, & ad quam speciem revocanda sint monstra quamplurima, de quibus Itinerarii loquuntur? Narrat D. Hieronymus, (a) animal quoddam interrogatum, S. Paulo respondisse: *Ego sum mortalis, & unus ex acolis Eremi, quos vario delusa errore Gentilitas, Faunos, Satirosque, & incubos vocans colit. Legatione fungor Gregis mei. Precamur, ut pro nobis communem Dominum depreceris, quem in salutem Mundi olim venisse cognovimus*. Hos Faunos Paulus vocat Bestias, *Bestiæ Christum loquuntur*: Hieronymus homines: *Homo vivus perducitur Alexandriæ ad Constantinum*. (Melius fortasse ad Constantium.) Si hæc vera historia est, quam disquirere deberent Theologi, juxta consilium Mabilonii, quis ei Fauno negabit substantiam cogitantem?

§. V.

Quid de Angelis Hobbius sentiat.

Sadducæi, inquit Hobbius (b) Angelorum existentiam negabant, *quia creationis Angelorum in veteri Testamento nulla est mentio*. Debuerant & negare existentiam Melchisedech, quod ipsius nativitas nullibi reperiatur descripta: *Sine Patre, sine Matre, sine genealogia; neque initium dierum, neque finem vitæ* ... (c) Negabant pariter Sadducæi resurrectionem: *Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*. (d) Cum autem de Angelis, & resurrectione Scripturæ disertissime loquantur, eas negarint necesse est. Falsa igitur est casualis Hobbii;

(a) Vita Paul. tom. 4. (b) Append. c. 3. p. 362. (c) Hebr. 7. 3. (d) Act. 23. 8.

bii ; fociet fibi Hobbius Sadducæos , & una cum ipfis fit hæreticus , five de *Hærefi Sadducæorum* . (a)

Angelos forte Hobbius admittit , fed fubftantias effe fpirituales , ab omni materia fecretas pernegat ; quod de ipfis fcriptura nitide non loquatur . (b) Pluries quidem nomen *Spiritus* Scripturæ ufurpant , fed fpiritus vox , fpectrum , phantafmata , auram , ventum , ignem , corpus tenue , & infenfile fignificat . (c) *Subftantia incorporea* , ait , *vox eft infignificans* ; *non fecus ac Corpus incorporeum* . *Dico ergo fummatim* , *textum in T. V. nullum effe* , *ex quo inferri poteft* , *quicquam fub nomine fpiritus*, *aut Angeli fignificari* , *quod non* haberet quantitatem . . . . ita ut pars ejus fit in uno loco , & pars proxima in loco proximo . . . neque in Teftamento novo locus ullus invenitur, unde probari poffit Angelos res effe permanentes , & fimul *incorporeas* .

Sublata traditione PP. , quos fibi Magiftros nollet, eo quod cæci Platonem , aut Ariftotelem fint fecuti , ad Scripturas confugit , quas *nequiter* humilis fibi tantum interpretatur non aliis, dum tamen publice fuis in libris exhibet Scripturarum abufum . Ex diverfa igitur acceptione *Spiritus* , fubftantias negat fpirituales infinuari in Scripturis . Nomen Dei in fcriptura non femel creaturis tribuitur ; Moyfi , Sanctis , Juftis , Præfidibus , & Angelis . Neget Hobbius Dei nomen , verum Deum fignificare in Scripturis . Filium Dei nominant Scripturæ Angelum Juftum , Populum Judaicum , quin & fceleftos homines filios Dei appellant modo effent progeniti , & educati in vera religione: *Videntes filii Dei filios hominum* . (d) Non igitur verum erit verbum effe Deum confubftantialem Patri , fed ad fummum Deum Platonicum minorem Patre , creaturamque excellentiorem cæteris , ut volebant Ariani : & Chriyftoph. Sandius , (e) qui purus , putufque Arianus , contortis Divinis Scripturis , & præcipue Evang. S. Joan. Capite primo , *verbum* , *&* *Filium Dei* nomina , creaturis applicat .

Ne abfcedamus ab Hobbio , qui folis Divinis Scripturis inniti gloriatur , licet tantummodo infinuet , credendum effe Propheticis , ut fecurius lateat ; quid fibi volunt hæc verba Chrifti Domini : *Hoc eft Corpus meum* . Optimus , cum videri aveat, Calvinifta , Anglicanus , fubfcribet potius ducentis interpretationibus

(a) Act. 5. 17. (b) Leviat. c. 12. p. 56. (c) Leviat. c. 34. p. 183. 188. (d) Gen. 6. 2. (e) Chriftoph. Sand. Paradox.

nibus a Lanspergio collectis, quibus, ut lepide ajebat Lutherus, *de Corpore Christi fecerunt nasum cereum*, quam nitide fateri existentiam realem, juxta evidens, & obvium sensum Evangelii, & perpetuam traditionem utriusque Ecclesiæ Latinæ, & Grecæ, ut evidenti demonstratione convincit Nicola (a) sub nomine Arnaldi, & factis comprobat eruditus Meimbourgh (b) Quin procax, & audacissimus aspernator, & blasphemus in Catholicos, expuit: *Verbis quibusdam prolatis, quas incantationes vocant* (mentitur impius) *tantam virtutem adscribunt, ut panem in hominem, quidlibet in quodlibet mutari posse putent*. Audis Impostorem?

Tantisper immorandum censeo in investigando quo modo Hobbius interpretandas esse velit Divinas Scripturas; his etenim tantummodo standum esse pluries affirmat.

§. VI.

Quid Hobbius de Divinis Scripturis sentiat.

Fidei objectum principaliter, & proprie est persona loquens. Itaque quando credimus Scripturas Sacras esse verbum Dei, fides nostra, nisi specialem aliquam habeamus revelationem, terminatur in Ecclesia, in cujus authoritate acquievimus. (c) Catholicum agere videtur Hobbius: Sed latet anguis. Ecclesiam agnoscere videtur *columnam, & firmamentum veritatis*: (d) Sed tamen Ecclesiam in docendo, sive interpretando Divinum verbum postponit primò revelationi particulari, qua in re quantum falli possit homo, facta innumera comprobant. Secundò uniuscujusque interpretationi. *In Scripturis Sacris*, inquit, (e) *vita æterna, & salus singulorum continetur; & unusquisque periculo animæ propriæ illas legit, & sibi ipsi interpretatur*. PP. interpretationem pariter proprio uniuscujusque judicio submittit, eadem ratione. *Quæ PP. dicunt extra Scripturam Sacram in suis Fidei explicationibus particularibus Christianos non obligant, quorum unusquisque non alieno periculo sed suo, & summo, salutem suam in Scripturis scrutari debet*. (f) Tertiò Civitatis Regenti postpo-

(a) Perpet. Fid. (b) Schysm. Græcor. (c) Leviat. c. 7. pag. 34. (d) 1. Tim. 3. 15. (e) Leviat. c. 47. p. 326. (f) Append. c. 2. p. 346.

postponit, cujus authoritate, asserit, Scripturæ in legem fasciuntur, vim obligandi obtinent, & canonicitatem. (a) Cum vero nomine Ecclesiæ, ut alibi vidimus, aliud nihil intelligat nisi Civitatem; immo ipsum Imperantem, qui etiam potest esse fœmina, manifestum fit, quod quidquid dixerit Ecclesia Anglicana sub suis respective Regibus, postponi, & submitti Regi noviter, electo, sive Reginæ. Judicio igitur fœmineo subjacet Ecclesia, subjacent & Divinæ Scripturæ. Sed quo doctrinæ nexu ista coeunt, si demum quilibet jus habet sibi interpretandi Divinas Scripturas; & alias totum robur obligandi eædem habent ab habente summam potestatem? Tenebras offundit Hobbius, & omnes in tenebris ambulare affirmat, etiam in Scripturarum interpretatione. (b) *Sumus ergo in tenebris . . . Scripturarum abusus maximus*. Ast hunc abusum depellet Princeps, sive etiam sit Fœmina? non depellent Theologi, non SS. PP., non Concilia? oh insignis insania!

Hobbius unus ex illis est, qui examine christianè sapere, & vivere volunt; posthabita PP. traditione. Hanc methodum damnarunt PP. Nicœni (c) recedendi nimirum a PP. traditione. Id ipsum egerunt omnes Synodi. Reprobant identidem Ministri Protestantes nonnulli. Hobbius Juvenis, & Scripturas interpretandi incapax nullius erat Religionis, si examen unica est via credendi. Cum objectum Fidei sit persona loquens, *& Fides tandem terminetur in Ecclesia*, in nostra authoritate aquiescemus, non vero in authoritate Ecclesiæ, ut ipse fassus cæteroquin fuerat. Qui duram, imperviamque provinciam aggreditur interpretandi Divinas Scripturas, ut tandem quid credendum, faciendumve dignoscat, ut viam salutis æternæ percurrere valeat, in primis necesse est, ut linguas caleat Græcam, Hebræam, Samaritanam, ut originalia consulat, & varias editiones meditetur, ut dignoscat quæ legitima exemplaria, an in illis aliquid exoticum irrepserit malitia, aut oscitantia amanuensium. Scire etiam necesse habet, quid in Conciliis actum sit, quodnam eorum authenticum exemplar. Quid senserint Hæretici damnati. Legere opus habebit PP. omnes, & præcipue PP. Apostolicos, nec etenim judicabit Hobbius, illis aureis sæculis, jam defecisse Ecclesiæ veram doctrinam, & fidem.

(a) Leviat. c. 33. per totum, & c. 42. p. 244. & seq. (b) Leviat. c. 44. p. 290. (c) Conc. Nic. I.

fidem . Plura alia peragere opus erit , ut clarissime commonstrat adversus Spinosam Bencinus Abbas , (a) ut probet necessitatem traditionis , & authoritatem Ecclesiæ . Quis ita insipienter gloriosus sibi hæc omnia promittere valet , & immensi judicii vastitate præditum esse se , ut nulla sibi supersit enodanda difficultas judicet ; perfectumque examen exquisitissimæ præcisionis absolvisse securus erit ? Credant hi scioli Ecclesiæ Catholicæ , sine cujus authoritate nec Evangelio credidisset S. ille Ecclesiæ lumen Augustinus . (b) Evangelio non crederem , nisi Ecclesia diceret . . . .

Papini factum alibi dabimus ad hanc rem nostram accomodatissimum . Articulum de Christi Divinitate proponamus, ut clarissime constet quam periculosa sit proprii ingenii Scripturarum interpretatio, & una simul quam sit necessaria Traditio PP. & Ecclesiæ authoritas.

Monebat laudatus Abbas Bencini repudiata traditione , & Ecclesiæ authoritate necessarium esse Protestantibus , ut in recensendis libris in cathalogo Canonicorum , commonstrent eorum divinitatem , quod impossibile est . Qui etenim fieri potest , ut singulis , diversi licet genii , & indolis characteres singulorum librorum præsto sint ; cum potius experiamur Sectarum diversitatem , & inconstantiam hinc oriri , quod unusquisque in suo abundet sensu : ex quo etenim ab unitate regulæ recedunt in varias , & oppositas sententias eunt .

Sit exemplum ex libro Sapientiæ desumptum cap. 7. v. 25., & 26. , ubi sapientia dicitur : *Vapor est virtutis Dei , & emanatio quædam est claritatis Dei sincera . . . candor est lucis æternæ , speculum sine macula , & imago bonitatis illius* . Quid Jo. Clericus , ut divinitatem filii pernegeт , asserit ? Librum Sapientiæ nullius esse authoritatis , plenum Platonismo , & a quodam Platonico editum . Ita Clerico placet , diversum , & oppositum aliis . Effrœnis audaciæ , & libertatis opinandi fructus error est , & dissensio .

Liber iste nec Philonis est , qui vixit anno 40. Æræ Christianæ , nec Platonici alicujus , sed hominis fide recta instituti ; hic aut Salomon est , ut colligi videtur ex cap. 7. , ubi enarrat quantam sibi tribuerit Deus sapientiam , quod adamussim consonat cum his , quæ leguntur 3. Reg. c. 3. Id ipsum manifestius in-

(a) Tract. Hist. Polit. tab. 28. pag. 436. (b) S. Aug.

innuit cap. 9., ubi se fatetur Regem Israel sapientia a Deo donatum, ac tandem jussu Dei ædificasse Templum in Monte sancto, Altare, & Tabernaculum. Quæ omnia non nisi Salomoni conveniunt. Ut ut autem sit de hujus libri Authore, quem probabilius putant Eruditi quemdam fuisse Judæum Hellenistam peritissimum linguæ Græcæ, cujus phrasibus liber scatet, certum est eo libro usos fuisse Judæos, & præcipue Aristobolum, qui sapientiam a Salomone descriptam appellat existentem, sive *Hypostasin*: (a) SS. PP. pariter tanquam sacro libro usi sunt, nimirum Clem. Rom., Clem. Alex., Tertul., Cyprian., August., Synodi Sardic. Hipponens., & Carthagin.

Cum Apostolus Paulus Filium Dei Deum dicat: *Thronus tuus Deus in sæculum seculi*, (b) ibique toto cap. Divinitatem Filii probet, utitur speciatim phrasi desumpta ex libro Sapientiæ capite citato: *Splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*. Itemque ipsum traducit Omnipotentem, Creatorem Cœli, & Terræ, Filium ex Deo genitum: Quos omnes characteres exprimit Author Sapientiæ de ipsa Sapientia; nam eam vocat omnipotentem, verbum, sive sermonem, ante sæcula creatam, idest genitam, emanantem ex Deo, Deo assessorem; quod pariter populum liberavit, quod dicit Apostolus Judas v. 5. de Filio Dei. (c) Idem Apostolus Paulus Filium Dei appellat sapientiam, 1. ad Cor. 1. 30., & ad Colofs. 1. 15. Imaginem *Dei invisibilis*, quod & dicit 2. Cor. 4. 4. videlicet, *qui est imago Dei*. Probat autem clar. Lami a Scriptore Sapientiæ, ipsam Sapientiam vocari subsistentem, & hypostasim, ut jam diximus, quo innuit personam subsistentem in Deo. (d)

Concludamus igitur. Aut etiam Apostolus Paulus Doctor gentium erat Platonicus, erravitque etiam in Fidei potiore principio, aut Scriptor Sapientiæ homo rectissima Fidei doctrina inspiratus. Vereor ne Clericus primum admittat, cum omnes SS. PP. illusos a Philosophia Platonis asserat, (e) erraffe propterea in doctrina Trinitatis. Clericum castigant, una simul cum Fausto, Lelio, Crellio Episcopio, cæterisque Socinianis Georgius Bullus, Muratorius, Lami, cæterique Catholici de Divinitate Filii tractantes.

Ad-

(a) Apud Euseb. l. 7. c. 5. (b) Hebr. 1. (c) S. Jud. v. 5. (d) De rect. Christ. lib. 4. c. 4. (e) Platonism. revelatus.

Addiscant Clericus, Hobbius, cæterique Etherodoxi, quod *Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit : non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*. (a) Illa etenim testimonia Apostolorum tametsi data ad erudiendos populos, quos decet instituere familiaribus, & apertis sermonibus, quandoque tamen continent *plura difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas*. (b) Lumen autem quo possimus ea, quæ sunt difficilia intellectu, intelligere mutuare debemus a PP., ut fuse probat S. Irenæus, aliique apud cit. Bencinum.

Hi autem, quos consulere debemus, non sunt ex Magistratibus sæcularibus, ut blasphemat Hobbius, sed spirituales, nimirum Propheta, Evangelista, *Pastor*, *Doctor*, *qui apud nos sunt spiritualis Magistratus*, ut prævertebat Hobbianum delirium S. Jo: Chrysostomus hom. de utilit. Sacr. Liter., a quibus DD., & Magistris si separemur, rapi omni vento doctrinæ, & doctrinis variis, huc illucque agitari, ac tandem subverti, & damnari proprio judicio necesse est, ut monet Apostolus.

Quid, tot ineptias in explicandis Venerabilibus Dei verbis, orbi protulit, nisi recessus a PP., & Philantia, & propriarum imaginationum amor, & existimatio? Quis Paulum fatue loquentem traducit, nisi istud genium? Propria præjudicata regula sunt interpretandi his, qui ab unitate doctrinæ in varios errores ruunt. Quis Spiritus Sancti personam Divinam non agnoscit dum audit: *quod in ea natum est de Spiritu Sancto est?* (c) Quid judicandum de libris, quos Judæi *Sanctos* dicebant; quosque cautissime custodiebant? Audiamus quo ad primum Sandium purum, putumque Arianum, ne dum Socinianum; quo ad secundum Hobbium. Sandius obstinate negans Trinitatem, textum intelligit de *Spiritu non impuro*. Quasi B V. sicut cæteræ bonæ frugis mulieres, non acta fuerit *impuro spiritu*. Hobbius pro *sancto* intelligit Publicum. Libri igitur *sancti* erant publici, & quod horrent aures, B. V. concepisset Spiritu publico? Oh iterum intollerabilis insania, & procacitas!

Utinam saltem Hobbius negasset Angelos carentes corpore, ductus in hanc opinionem, antiquitus non satis eliquatam, exem-

(a) 2. Petr. c. 1. 20. (b) Ibid. c. 3. 16. (c) Mat. 1. 20.

exemplo alicujus veteris Doctoris, puta Therasii in Concil. Nicæn. 2. Sed hanc reverentiam sperare non possumus in homine, qui PP. venerandum Magisterium aspernatur. Quare nil mirum si in tot absurda sit prolapsus, & contortis Divinis Scripturæ verbis nullam agnovit substantiam, quæ foret purus spiritus.

§. VII.

Referuntur opiniones asserentium Corpus Deo.

Decet summam bonitatem Dei, suavissimamque Providentiam, ut sui ipsius notitiam hominibus ingerat, ut ipsis quid sit faciendum, dignoscant, ut ei debita officia reddant, digneque colant. Ipsum autem colere debent in spiritu, & veritate, quia spiritus est: *Spiritus est Deus, & qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.* (a) Ea propter Isaias, cum dixisset: *Quis audivit spiritum Domini*, subjungit, *cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* (b) Si autem corporeus est, cum corpus, figura, & extensione necessario sit præditum, aliquam figuram, & imaginem habere posset.

Cur autem, si Deus sui notitiam omnibus ingerat, ut inde habeat, omnes judicare, tot inveniuntur Athei, aut tot qui tandem in affectatum Atheismum prolabuntur, & traduntur, deserente Deo, passionibus ignominiæ, & stulti facti tanquam muta animalia corrumpuntur, (c) & constuprantur usque ad verticem, dicuntque *in corde suo non est Deus?* (d) Deus neminem deserit, nisi deseratur. Rebellant homines lumini, & veritatem in injustitia detinent, ut sequantur sensibilia, & passionibus, corrupti hominis per peccatum, obsequuntur: hinc cauteriata conscientia, insensibiles fiunt divinis inspirationibus, Deum non esse desiderant, ne puniantur, aut illum sibi fingere conantur, qui nostrarum operationum non sit, aut esse non possit solicitus considerator; quare tandem Athei fiunt, saltem a *posteriori*, ut loquitur Magalotus.

Hujus genus hominum fuit Carpocrates, Gnosticorum caput sectator dogmatum Simonis Magi: hic asseruit Deo corpus figuræ Asini, contra nonnullos ex propriis Discipulis, qui Deo tri-

(a) Joan. 4. 24. (b) If. 40. 13. 18. (c) Rom. 1. 26. 28. (d) Ps. 13. 1.

tribuebant figuram porcinam. Forte Prophetissæ Montani, vel etiam Montanus ipse, Figuram corpoream in Deo prædicabant, quod animam rationalem, creatam ad imaginem Dei, figura corporea præditam asserebant, ut refert Tertullianus cap. 9. de anima.

Origenistæ corpus Deo tribuebant, quod Divina Scriptura de pedibus, manibus, oculis, & digito loquatur: non intelligentes metaphoram in his locutionibus, ad significandam potentiam, intelligentiam, aliaque Dei attributa. Certissime *oblivio non cadit in Deum, quia nullo modo mutatur; neque recordatio, quia nihil obliviscitur*, ut ait S. Prosp. in sent., licet Divina Scriptura metaphorice Deo tribuat pœnitentiam, oblivionem peccatorum, iram, aliaque similia.

Manichæi similiter Deum esse immensum corpus putabant, ut ipsemet Augustinus de se ipso confitetur.

Audæus ab Ecclesia tandem projectus, Sectæ Antropomorphitarum Auctor, Deum figuræ humanæ fecit, quam hæresim protrivere Epiphanius, Cyrillus Alexandrinus, aliique PP. unico illo textu: *Spiritus est Deus*. Ad hanc Sectam accenseri debent Euthychiani, qui Deum passibilem affirmabant: si etenim passibilis, utique & corpus.

Gentiles Philosophi solicite inquirentes naturam Deorum, cum revelatione carerent, sedentes in tenebris, & umbra mortis, in varios, crassioresque errores prolapsi sunt, ut fuse ostendunt PP. Apologistæ. Nihilominus ex commercio cum Hebræis, non nihil de Divina spirituali natura subodorati sunt, & præcipue Chaldæi, qui tres ordines rerum excellentium constituerunt, nimirum *Intelligibilium tantum*; *Intellectualium tantum*; *& Intelligibilium*, *& Intellectualium simul*, de quibus Stanslejus, & Bellus tractant: Canebat autem Porphyrius

Chaldæis solis sapientia cessit, Ebræisque
Æternum casto veneratis numen honore.

Ægyptiis pariter, ut pronum est judicare, lumen Divinitatis veræ affulsit. Qui etenim fieri potest, ut Joseph, cæterique docti, & Religiosi Hebræorum, per quadringentos, & triginta annos in Ægyptum commorantes, nihil de Dei natura communicarint amicis, edoctis inter Egyptios, & potissimum Philosophis, quos curiosissimos fuisse Historiæ tradunt? Nihil ne Moyses, ut de aliis gentilibus loquamur, zelans honorem Dei Jethro Socero suo; nihilque Jethro Sacerdos Madian percunctatus est a Moyse,

a Moyse, cui propriam in uxorem tradebat filiam, cujus religionis esset, & cujus Cultor numinis? Putare ne possumus nullum Hebræorum communicasse sacros libros amicis, cum quibus versabantur sive in Ægypto, sive in Chaldæa? Si Sancti erant zelo religionis, ut Abraam; sive impii, atque avitarum legum desertores, & maxime tempore captivitatis, cum Ecclesia Christi passa sit, etiam Episcopos *Traditores* sacrorum librorum scrutabantur Gentiles libros sanctos, ut legimus in 1. Machab. 3. 47. Summa sciendi cupidine flagrabant Philosophi, ita ut longinquas peregrinationes susciperent addiscendi causa, quid præstantius inquirere poterant, quam numinum naturam, & indolem? Aristoteles fatetur se plura didicisse ab Hebræo quodam, qui ad eum quotannis divertebat ab Jerusalem. Plato peragravit studii causa Italiam, Cyrenas, & Ægyptum, ubi per tresdecim annos, familiaris Sacerdotibus commoravit, ut scribit Strabo, M. Valerius, & Tullius.

Audiamus Platonem ipsum in Phædone. *Lata est Græcia, Cebes, in qua boni, & periti adsunt viri: multæ Barbarorum nationes, quæ omnes sunt perlustrandæ . . . nec pecuniæ, nec laboribus parcendum*, ut nimirum discamus, Clemens Alexandrinus auctor est, Platonem cum Hebræis congressum fuisse. Et Olympiodorus asserit: *Plato in Phænicem divertit . . . didicit*. Phæniciam autem incolebant Judæi, ita ut lingua Judaica, lingua Chanaan dicatur; immo censeant Scaliger, Vossius, & Sam. Bochartus, libros a Moyse characteribus Phæniciis fuisse conscriptos. Nihil igitur probabilius, quam quod Plato plurima ab Hebræis acceperit; sicut a Chaldæis umbram Trinitatis assecutus est, ut censent Grotius, & Cleric.

Lacedemones, sive Spartiatæ (quos putant Eruditi ex Cetura Uxore Abraham prodire) libros custodiebant antiquos, ut legimus 1. Machab. c. 12. *Inventum est in Scriptura de Spartiatis, & Judæis, quoniam sunt fratres, & quod sunt de genere Abraham*. Lacedæmones autem gentium more vivebant. Ex qua narratione cognoscimus Judæorum religionem ignotam non fuisse gentilibus; ut notat Hesychius illustris de Platone: *quod veluti plagio subripuerit e Mosaycis libris, quæ de Deo, & Mundo prodidit*. Quare *Moyses Athicus appellatus est*. Numenius Apamiensis fassus est legisse se sacros libros, ut tradit Porphyrius *de Nympharum antro*, & de eodem Numenio loquens Origenes contra Celsum, ait: *Enumerat gentes existimantes Deum incorporeum,*

poreum, inter eas, & Judæos recenset, nec piguit eum suis commentariis verba Prophetarum inserere; eorumque interpretari figuras.

Quidquid autem sit, num nonnulli libri Divinæ Scripturæ in Græcam linguam translati fuerint ante versionem Lxx, ut nonnulli censent, factum fuisse ab Aristobolo, apud Euseb. lib. 7., 8., & 13., & expresse affirmat Clem. Alex. lib. 1., asserimus cum D. Augustino Platonem plura de Religione Judæorum scivisse lib. 2. de doctrin. Christ. Quod pariter Cyril. Alexandrinus; sed præcipue Genesim, nam rerum causas, & Mundi originem inquirere, Philosophicæ curiositatis erat. Demus tandem veram esse Pseudo Aristeæ, historiam ex ea non improbabilis desumitur ratio asserendi Hebræos non existimasse piaculum religionis, res, & scripturas suæ gentis, Ethnicis communicare: siquidem Aristæas de genere Hebræorum erat, & multa Ptolomæo Philadelphio narravit, quibus permotus ab Eleazaro petiit viros interpretes, ut omnem Hebræorum literaturam, & codices obtineret.

Sed & aliud non spernendum occurrit motivum: quod nimirum incredibile videatur, non profluxisse ab Adamo posteris Dei ideam, quam viguisse in Noe, Sem, & Japhet, anno scilicet ab Orbe condito 1558. discimus ex Divinis eloquiis; ut taceamus de Abraham, Melchisedech Sacerdote *Dei Altissimi* Gen. 14. 18., aliisque, qui Deo fideles permanserunt. Nec aliunde crediderim, quam ex notitia unius Summi Dei, apud doctiores viva, & vivaci, quod insanam Deorum turbam intus, & in corde sint aspernati, ut fecere Plato, Aristoteles, Cicero, aliique doctiorum Gentilium, qua de re videndus Vossius lib. 1. de Origine Idololatr., Bochart. in Phaleg., Lactant. lib. 2. institut., & alibi sæpissime.

Adeo alte insedebat Ægyptiis idea unius Summi Dei, ut licet diversorum Numinum superstitione tenerentur, Magi ipsi coram Pharaone, videntes Moysi prodigia exclamarint *Digitus Dei est hic*. Exod. 8. 19. Digitus autem in phrasi Scripturæ *virtutem, & potentiam* significat. Et cum experirentur Ægyptii duram super eos manum veri Dei, dixerunt: *fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos*, ibid. 14. 25. Non itidem, Osiridem, aut aliud fabulosum numen, ut suppetias ferret, invocabant; sed illud, cui antonomastice competit nomen *Domini*, quodque Principem, potentiusque existimabant. Hanc autem Ægyptii notionem Dei, vel ipsa dictante

tante natura adepti sunt ; vel ab Joseph , cæterisque ejus fratribus , ac tandem a Moyse .

Hunc Deum dicebant ignotum , invisibilem , ejusque effigiem se ignorare profitebantur , ut asserit Plutarchus . (a) Quare antiquitus apud Ægyptios templa quidem Numini dicabantur , nulla vero in ipsis imago reperiebatur , ut tradit Lucianus de *Dea Syria* , & Clem. Alexandr. *adhortat. ad Gentes* . Hæc de Deo ignoto religio usque ad tempora D. Pauli Athenis vigebat . Act. 17. 23. *Inveni , & aram , in qua scriptum erat ignoto Deo . Quod ergo ignorantes colitis , hoc ego annuntio vobis* . Constat ergo , quod illud ignotum numen , aliud non erat , nisi illud , quod Hebræi colebant , & Paulus prædicabat ; substantiam autem esse spiritualem illum Deum , quem venerabantur Judæi , nullus unquam dubitavit . Hisce autem temporibus

Tres hominum Sectæ , quantum nostra hic interest , circumferuntur , nimirum *Dualistarum* , qui universum entium genus bipartiuntur in *Spiritum* scilicet , & *Corpus* . *Monistarum* , qui unum tantummodo entium genus agnoscunt : sed alii solum corpus agnoscunt , & *Materialistæ* dicuntur ; alii solum *spiritum* , & *Idealistæ* appellantur . Volunt istiusmodi Phantastici nullum existere corpus , sed animis inesse ideas repræsentantes corpora . Sciolus quidam Abbas Gallus censetur hujus somnii Auctor , qui proinde in Deum animorum Creatorem , refundere debet errores , quibus obrueretur animus , dum de corporibus cogitat . Certe , ut lepide ipsum irridet alter Gallus , hic Abbas solis non erat contentus ideis , quibus oblectari posset domi solus existens , sed foras quærebat Parasitus , & illaris , cibos , vina , cæteraque oblectamenta .

Inter Materialistas hujus infelicis temporis , eminent Spinosa , Tollandus , & Hobbius , quos Anglorum innumeri sequuntur . Hos homines Atheos appellat Lokius , licet ipse satis dubitarit , an materies cogitare tandem possit , ut alibi nobis est sermo .

Spinosa non unum ens particulare Deum nominat , sed omnia corpora , quæ hunc Mundum spectabilem conflant , Deum esse affirmat ; ita ut Montes , Aquæ , Sidera &c. sint ipsius partes .

(a) Plut. de Isid. , & Osirid.

tes, E contra Hobbius assentire videtur, Deum esse quoddam ens corporeum, sed subtile, defæcatum, & insensile distinctum propterea ab hominibus, montibus &c., ejus errores referamus.

§. VIII.

Quæ Hobbius in Dei substantiam blasphemat, referuntur.

1. Asserit: Nemo concipere aliquid potest, nisi ut in loco, (a) & finita aliqua magnitudine limitatum, & divisibile in partes: neque aliquid esse totum in uno loco, & totum in altero.

2. Nomen Dei non usurpatur, ut illum concipiamus, sed ut honoremus. (b)

3. Deum esse Corpus, affirmat Tertullianus. (c)

4. Cum Scriptura dicat in Christo habitare divinitatem *corporaliter*, id est *Dealiter*, ut explicat Athansius, fit manifestum Deum esse Corpus. (d)

5. Athenis disputans Paulus cum Epicureis, & Stoicis, illis objicit textum Poetarum: in ipso vivimus, movemur, & sumus. Jam vero nos sumus quanti; quantum in non quanto esse nequit. (e)

6. Magnus est Deus, magnitudo non est sine corpore. (f)

7. Concilium Nicænum damnavit omnem hæresim, quæ post Christum natum emerserat; inter quas erat Antropomorphitarum. Hi vero damnati sunt, non quod Deum assererent corpus; sed quia ei attribuebant figuram, & membra humana. Ibid. p. 361.

8. Qui Deo puritatem attribuunt, recte faciunt; est enim Deo honorificum. Sed tenuitatem tribuere, quæ gradus est quidam ad nihilitatem periculosum est. Quare Damascenus, licet Pater, & Doctor Ecclesiæ, Aristotelicus cum fuerit, verba Athea protulit, dum dixit. *Deus in numero entium non est*. Ibid.

9. Nulla substantia est, quæ sit incorporea præter Idola, sive Phantasmata, qualia videmus in speculis, in somniis, & in tenebris, quæ Paulus dixit esse *nihil*. 1. Cor. 8. 4.

10. Timor Potentiarum *invisibilium*, sive Potentiæ illæ fictæ

(a) Leviat. c. 3. p. 13. (b) Ibid. p. 12. (c) Append. c. 3. p. 360. (d) Ibid. (e) Ibid. (f) Ibid.

sint a timente, sive conceptæ a fabulis publice permissis, Religio est. A non publice permissis superstitio est. Quando vero Potentiæ illæ veræ sunt, vera religio est. Ibid. 361.

11. Nullus est textus Divinæ Scripturæ, qui exprimat hæc verba *incorporeum*, *immateriale*. Ibid. 360.

12. Res spiritualis, & incorporea intelligi non potest: Spiritus enim loco, figura, & terminis, & magnitudine aliqua determinatur, & proinde corpus est. Leviat. c. 12. p. 56.

13. Qui meditatione propria, in cognitionem venerunt unius infiniti, omnipotentis, & æterni Dei eum dixerunt Spiritum incorporeum, non dogmatice; sed ex intentione pia Deum honorandi, quod corporum visibilium crassitudinem a Deo removerent.

Hæc est summa Hobbianæ hæresis, melius dicerem Atheismi.

§. IX.

Refellitur hæc impia Doctrina.

Præmittamus S. Augustini sensa lib. 7. suarum confessionum, cap. 1, Putabat Augustinus Deum esse corpus per spatia locorum, sive infusum Mundo, sive etiam extra Mundum per infinita diffusum. Incrassatus corde, putabat nihil esse quidquid per spatia aliqua non tenderetur, vel diffunderetur, vel conglobaretur, vel tumeret. Cogitabat Deum grandem per infinita spatia, penetrare totam Mundi molem, & extra eam quaquaversum per immensa sine termino. Putabat corpus illud penetrare omnia corpora; & quod corpus majus, v. g. terra, majorem Dei partem reciperet, minus minorem; amplius caperet Elephas, quam Passer; atque ita frustatim, magnis partibus Mundi magnas, brevibus breves partes Dei, ipse præsentes faceret. Non cogitabat autem semper, constare humanis membris. Has ideas corporeitatis appellat *immunditias*. His ideis imbutus erat S. P., cum Manichæorum teneretur erroribus: ex quibus satis liquido constat Hobbium Manethis surculum, dici opportere.

Agamus nunc. Discere poterat Hobbius ab Augustino, cæterisque PP., quod magnitudo etiam de rebus ad spiritum, mentem, sanctitatem, & similia dicitur, non quidem mole, sed virtute: *In his, quæ non mole* magna sunt, sed virtute, horum majus est esse, quo melius est esse, non igitur magnitudo de corpore solummodo dicitur. Magnus Alexander dictus non corpore, sed bellica virtute. Quia Hobbius, PP. rejectis, soli Di-

Divinæ Scripturæ inniti gloriatur, (a) discat ex ipsis Scriptutis hanc veritatem. *Redemisti magnitudine tua*. *Secundum magnitudinem misericordiæ tuæ*. *Magnitudo revelationum*. *Moyses vir magnus*. *Magnus coram Domino*. *Peccatum maximum*. *Magnus vocabitur in Regno Cœlorum*. *Nullus major Joanne Baptista*. *Mandatum maximum*. *Hic erit magnus*, *& Filius Altissimi vocabitur*. Hæ magnitudines intelligi ne possunt, vel a Baldo, de corporea extensione?

Qui PP. flocci facit Hobbius Tertullianum advocat in Patronum; sed D. Augustinum legere piguit, qui disertissime affirmat a Tertulliano Deum dictum fuisse corpus, quod non sit nihil, sed vera res subsistens. *Potuit putare Corpus Deum esse*, *quia non est nihil*. Aug. lib. de hæres. ad *quod vult D.* Ipse Tertul. id innuit: Deus est Spiritus, num quid inane, vacua res?

Ad præfocanda ea omnia deliria, quibus Hobbii scripta scatent; præcipue ubi de Dei substantia sermonem habet, juvat proponere eam, quam habent de Deo notionem veri Philosophi, ut hanc vero, clariore via, pandamus, discrimen intuendum, quod Deum inter, & creaturas intercedit. Illud autem totum situm est partim per excessum in Deo, qui est plenitudo entis, & per defectum in creatura, quæ est ens limitatum. Creatura igitur deficit a summo esse, & per hoc ipsum a Deo differt, non quia est ens, sed quia non est omne illud *esse*, quod est Deus. Lapis etenim non est Leo, non est homo, non est Angelus, non est Deus, sive caret ratione, & excellentia entis, qua præditus est Leo, Homo, Angelus, Deus. In Deo autem omnis omnino entis ratio, & summa reperitur. Quo igitur creatura magis de ente summo participat, eo magis ad Deum accedit; & quo minus, magis ad nihilum accedit. Id agnovere Philosophi, etiam Ethnici; ac ut exprimerent immensam Dei excellentiam, & essentiæ plenitudinem, Circulo compararunt, ut Ægyptii, eo, quod Circulus nec principium, nec finem habeat. Pindarus in Phithiis ait: *Deus est*, *qui principium*, *medium*, *& finem rerum omnium continet*. Et Plato. *Deus est*, *qui universitatem rerum omnium complectitur*.

Hebræi Deum vocant *Ehieh aser ehieh*, scilicet *ipsum necesse esse*. Sicut & *Kelilah*, a voce *Kalal*, quæ significat *omnem perfectionem possidere*. Hoc ipsum plenissime exprimit nomen, quo

(a) Append. c. 1. p. 346.

quo vocari ipse Deus Moysi manifestavit, nimirum, *ego sum, qui sum*, sive, ut vertunt Septuaginta, *ego sum ipsum ens*. De hoc nomine, *qui sum*, aut *qui est* loquens D. Hieronymus ad Marcellam affirmat, inter decem Dei nomina, illud esse, quod aptius Dei naturam exprimat. Deus etenim *solus vere est*, *cujus essentiæ comparatum nostrum esse non est*. Quare Isaias c. 40. 17. ita fatur: *Omnes gentes quasi non sint sic sunt; & quasi nihil, & inane reputatæ sunt ei*. Quare cum D. Augustino concludendum: *In Deo nihil est nisi, est*, nimirum ipsum esse. Quod ratione etiam commonstratur; non solum ex eo, quod nulla causa dare possit, quod in re saltem eminenter non contineat; atque adeo cum a Deo, tanquam omnium rerum principio procedere debeat quidquid produci potest, omnia in Deo contineri opus est, sed potissimum quia Deus illud est, & ab omnibus asseritur, quo melius excogitari nequit: quod esse nequiret nisi, contineret omnem entis plenitudinem. Siquidem perfectio, & quidem pura, &, ut ajunt, *simpliciter simplex*, ea est, *quæ melior est ipsa quam non ipsa*: Jam vero si aliquid entis Deo deficeret, jam non erit entis perfectio, quæ melior sit; nam id, quod complecteretur omnem entis plenitudinem, melius foret. Præterea quælibet ratio entis perfectio est, cum melior sit illa, tametsi diminuta entis portio, quam nihil; igitur si aliquid entis Deo deficeret, aliqua perfectio desideraretur; foret igitur Deus finitus, deficiens, & imperfectione infectus. Manet itaque demonstratum, quod Deus continere debeat totam essentiæ, sive entis plenitudinem.

Ex his recte concludunt Cardinalis Cienfuegos, & Illust. Palanco, nullam veri nominis negationem in Deo reperiri; quare monent, in ratiocinando de Deo, deberi præveniri negationes: Quia ut ex PP. docemur distinctio personarum non ex divisione nascitur, sed ex oppositione. Divisio itaque negationem sequitur, aut eam includit: secus autem distinctio, quæ non ex divisione oritur; sed ex oppositione.

Concludendum pariter erit, quod ea, quæ perfectiora sunt, eo magis ad plenitudinem entis accedunt; quæ vero imperfectiora eo magis ad nihilum tendunt. Cum vero quæ magis ad corruptionem, aut corruptibilitatem approximantur, eo sunt imperfectiora, & ad nihilitatem appropinquant, fit, quod Spiritus Angelici magis ad Deum accedant; quare, emphatice dicebat Boetius, Angelus, *est Spiritus recipiens, si fas est dicere,*
totam

totam Divinitatis plenitudinem. Econtra materia quod corruptibilitati subjacet, est prope nihil, ut ajebat S. August. Duo creasti Domine, unum prope te, ut spiritus Angeli, aliud prope nihil, ut materia.

Non est igitur Deum attenuare, & subtilizare, ac ad nihilitatem deducere, si Spiritum asseramus; sed summe a nihilo elungare, & super omnem creaturam erigere. Crassam vero Hobbianam intelligentiam si sequamur; quod nimirum magis accedat ad nihilum res, quæ est spiritus, a nihilo magis recedet, quod crassius erit, & corporalius: nobilior igitur Deo erit Asinus, Elephas, & Mons.

In sui suffragium advocat Hobbius Scripturas, sed quam iis abutatur, mox ostendimus. Plenitudo Divinitatis, quæ inhabitat in Christo Domino corporaliter; non est immensa illa materiæ moles, qua Deus Hobbianus componitur; sed plenitudo summæ potentiæ, majestatis, sapientiæ, sicut D. Paulus eodem capite ad Colos. 2., 3., dicit. *In quo sunt omnes Thesauri Sapientiæ, & Scientiæ absconditi*. Si verbum *corporaliter* ita crasse intelligit Hobbius; cur nomen Thesauri non capit pro his, quibus Cresus abundabat? Quid Sanctis conferret Deus, cum implentur *in omnem plenitudinem Dei* juxta phrasim Apost. Ephes. 3. 19. An forte Deus, qui ubique est, solos justos suo immani corpore pervadit?

Nomen *Corporis*, a quo corporaliter derivatur in Divinis Scripturis multifariam accipitur, aliquando pro hæreditate, & participatione donorum. Ad Ephes. 3. 6. *Gentes esse Cohæredes, & concorporales promissionis in Christo*. Aliquando mistice pro populo fide adunato; sic Ecclesia dicitur *Corpus*, cujus Christus est *Caput*. Colos. 1. 18. Capitur etiam pro serie operationum, *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*. Math. 6. 22. Sed frequentius sumitur pro re ipsa. Sic peccatum dicitur *corpus peccati*, Rom. 6. 6., quo modo loquendi utuntur Hebræi, qui diem, mortem, munditiem, dicunt, *corpus diei*, *corpus mortis*, *corpus munditiei*. Igitur inhabitare in Christo totam Divinitatis plenitudinem aliud nihil significat, nisi per *essentiam*, per *substantiam* divinitatem ipsam inesse Christo, eo quod Deus sit, atque in eo effundit Deus omnes Divinitatis Thesauros longe abundantius, quam in sanctis hominibus.

Nisi sequentes Lect. Ethyopicam, apud Walton ibid. dicamus *omnis divinitatis perfectio inhabitat in corpore hominis*; quam signi-

significationem recipit D. Augustinus: *Corporaliter dictum est, quia in Christi Corpore, quod assumpsit ex Virgine, tanquam in Templo habitat Deus*. Ep. 187. n. 39.

Garrit Hobbius in Damascenum, quem irrisorie Patrem, & D. Ecclesiæ appellat, ut hoc modo latus Ecclesiæ feriat. Aut ignorat, aut contra agnitam veritatem calumniatur. Damascenus Peripateticus erat, *ensque* dividebat in decem Cathegorias, ita ut ens illud, quod ad unum genus pertinebat, non efflueret, aut ingrederetur territorium alterius: Cum autem Deus sit *omne esse* nullo limite circumscriptum, aliquo ex illis generibus concludi non potest. Sola igitur entia creata, aut creabilia in eis Cathegoriis sedem habent. Jam vero Deus est *super substantiam, non substantia*, videlicet hujus generis: supra ens omne, & non ens illorum. In hoc Damascenus post omnes PP. Aristotelicos rectissime ajebat Deum esse *super substantiam*, *& super ens*.

Non minus dolose abutitur textu ex actis 17. 28. *In ipso vivimus &c.* Quis desipere ita potest, ut judicet homines, ranas, animalia omnia, & quidquid in Mundo est, esse in Deo tanquam in loco? Quid? Hobbius blasphemans, dormiens, cum suis miseriis in Deo erit? Mi latens Spinosista expergiscere. Cur cum ibidem dicat Apostolus: *Ipsius enim & genus sumus*, non asseruit nos genitos generatione communi; & præcipue cum Deus Corpus sit, & in Divina Scriptura inveniantur nomina *filiorum, Dei*, *Sponsæ*, aliaque, quæ more Hobbiano referre, aut interpretari summæ impudentiæ, & inscitiæ foret? In ipso vivimus, movemur, & sumus, quatenus, qui intimus nobis est *per illapsum præsentia*, *potentia*, *& essentia*, nobis tribuit operando in nobis, virtutem essendi, vivendi, & operandi; sine cujus operatione conservante in nihilum abiremus, sicut sua operante virtute sumus, cum nihil fuissemus. Ita textum intelligunt PP. ita & Poetæ Gentiles, ex quibus Apostolus verba desumpsit, exarato videlicet. *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare ..... cogitationis hominum Divinum esse simile*. Quid ergo cum Hobbius intelligere nequeat esse substantiam spiritualem, ipsum sua cogitatione materialem efformat?

Fatemur nullum esse textum in Divina Scriptura, qui expresse loquatur de substantia *spirituali*, *& incorporea*: quidquid igitur Scriptura expresse denuntiat amplectendum, & ea, quæ tacet explodenda? Sed sacer textus expresse ne pronuntiat Laico cephaliam; Fœminamque esse posse Caput Ecclesiæ, ad ip-

sam-

ſamque pertinere depoſitum veritatis, religionis, & fidei? Credat igitur Hobbius in Deo pœnitentiam, mutabilitatem, digitos, brachia, pedes, os ad evomendum, aures ad audiendum, linguam ad loquendum: Aquam dicat Deum, ventum, ignem, ſenſum, ſponſum, ipſique ſponſam, quin & equites, ac currus, quæ omnia Scriptura commemorat: interim provideat Fabros, cæteroſque neceſſarios famulos, ad illa regenda. Concedat & ipſi filios, quos comminiſcebatur Simon Magus Deo aſſerens filium doloſum, & Mundi deceptorem, ad cujus opus deſtruendum miſerit alium filium nempe, Jeſum Chriſtum; concedat & uxores cum Bardeſane, Valentino, aliiſque, qui & ſæcula, tamquam filios adſcripſerunt, nimirum triginta, ex quibus quindecim fœminas, & totidem mares; & ex iis natos ferme infinitos. Quæ omnia ſceleſtiſſima dogmata hauſta a Simone Mago, obvia fuerunt priſcis impoſtoribus, quia Deum corporeum effecerunt, obvia & eſſe poſſunt Hobbio, ſi nihil admittat, niſi quod corporum ideæ ſibi præſentant.

Concilium Nicænum, pergit Hobbius, damnavit Anthropomorphitas, eo quod Deo tribuerent membra, & figuram hominis, non autem, quod crederent Deum eſſe corporeum.

Inſigni Anacroniſmo fallitur Hobbius; nam, Anthropomorphitarum Caput fuit Audæus, (quod negare videtur Epiphanius) aut ſaltem Audæi diſcipuli. Audæus autem natus eſt Conſtantii ævo; quare Nicænum Concilium non potuit hanc hæreſim proſcribere. Sed demus damnatos, quid magis ridendum, quam quod damnati ſint, quia figuram humanam Deo tribuebant? Si corpus ſine figura aliqua non ſubſiſtit, ut Hobbius fatetur, quam figuram humana nobiliorem Deo corporeo dabimus? eam, quam habebat *Caos*, ſive materia illa incompoſita, verſatilis, tractabilis &c.? Certe ſi qua figura Deus foret præditus, conformius ad Divinam Scripturam, ei tribueretur humana. *Factus eſt homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei*; non in aliqua ſubſtantia ſpirituali; quam Hobbius homini denegat; igitur in corpore. Præterea: *Cum apparuerit, ſimiles ei erimus*; igitur corpora noſtra (ſi anima corporea eſt ſicuti Deus) erunt ſimilia corpori Dei. Membra autem noſtra eadem habebimus, ut particeps ſit gloriæ, quod particeps fuit tribulationum: igitur melius Scripturis inhærerent Audiani, ſive Vadiani, ut vult D. Aug. ipſo Hobbio. Ac tandem Corporis Chriſti reſurrectio

exem-

exemplum est nostræ, cum ex ea probet Apostolus futuram omnium resurrectionem. Corpus autem Christi, post resurrectionem, est quidem alterius gloriæ, sed ejusdem naturæ, compactumque ex omnibus humanis membris, sicut ante resurrectionem. *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet*.

Carpit Anthropomorphitas, quod ex illo textu *fecit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam*, arbitrati sint humanis similia membra Deo inesse; & ob id hæresis damnat. Justius Hobbium hæreseos insimulant Catholici ex eo textu. Math. 10. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam*. Ibi etenim manifeste duæ substantiæ asseruntur, nimirum corpus, & anima. Si porro anima non est substantia a corpore sejuncta, sed est ipsum corpus in motu, seu agens, & vivens, qui occidit corpus, occidit & vitam, & animam. Manifeste igitur Hobbius contra Evangelium sentit, & est hæreticus.

Alium S. Jacobi textum 2. 26. quomodo explicabit Hobbius: nimirum *sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est*. Cum anima nihil sit quam corpus, aut corporis actio, & motus, sive vita, expendet: *sicut corpus sine corpore, vel sicut corpus sine vita mortuum est*, quam explicationem nemo non irridet.

Cum Jacob lugeret Josephum filium, quem mortuum arbitrabatur, suum dolorem spe videndi filium leniebat. *Descendam ad filium meum lugens in infernum*, Gen. 37. 33., sed quæ consolatio, quod levamen ex spe moriendi, si Josephi nulla anima existeret, & ipsius Jacobi nulla vivens post corporis interitum foret extitura?

Sed quid de cupidine moriendi, qua flagrabant Sancti, ut Deo fruerentur? Desiderabat anima Davidis ad Deum, *sicut Cervus ad fontes aquarum*. Optabat Paulus *dissolvi, & esse cum Christo*. Cupiebat liberari de corpore mortis hujus, ut Christum lucrifaceret, illoque frueretur. Quænam vero est anima David, illis desideriis concitata? Non certe caro, & sanguis. Nec dissolvi corpus Pauli, & liberari a carcere corporis poterat, si corpus anima foret. Sed Hobbio videri posset insanire illos Sanctos: Siquidem insignis insania foret desiderare cito mori, bonis hujus vitæ privari, ab amore Dei, &

pro-

proximorum cessare, ex quibus virtutis actibus tot meritis ornatur anima, tot præmia sibi procurat, & lucratur, quæ reddet Deus justus Judex in illa die Judicii, ut, non statim, sed post sæculorum seriem, quam et Sancti ignorabant, tandem Deo conjungerentur; dum interim resoluti in pulverem mortis, in sepulcris jacentes, nihil ipsorum viveret, quo post mortem tandiu concupitam Deo fruerentur.

Ex hoc autem desiderio futurorum rectissime colligit Angelicus animam hominis esse substantiam spiritualem; siquidem sensus, si quid appetunt, non nisi præsentia appetunt, a quibus veluti tanguntur, & excitantur; qui propterea nec universalia, neque, quæ supra materiam attolluntur, cogitare, aut concupiscere valent. Inter desideria autem quibus homo angitur, illud est omnibus insitum, nimirum semper vivendi, & beate vivendi; Desiderium autem omnibus insitum, vanum, & frustaneum esse nequit.

Hac persuasione ducti, vel ipsi gentiles Heroes in suis Apoteosibus inter Deos connumerabant; quod minime fecissent, ut quid enim Deum rogabant, atque ab eo auxilia peterent, quem non audientem, non cognoscentem, sed undequaque mortuum putarent? PP. adversus Hobbium non transcribimus textus, quod eis credere, irreligiosum putet. Utinam saltem Philosophis assentiretur: adeat Platonem in Phædone, adeat Metempsichosistas Pythagoricos; adeat Tullium, qui apud Augustinum lib. 14. de Trin. asserit se a maximis, longeque clarissimis æternos animos, ac Divinos nos habere accepisse, & in somno Scipionis ipsummet Tullium affirmantem: *cum pateat æternum id esse, quod a se ipso moveatur, qui hanc naturam animæ tributam esse neget?* Qua ratione utebatur etiam Plato, nimirum immortale, & sejunctum a corpore esse debere id, quod movet, & imperat corpori.

Sciscitaberis, num ob negatam animæ spiritualitatem Hobbius dicendus sit hæreticus, cum multi inveniantur PP. qui id ipsum negaverint; ut est manifestum ex Concil. Nicæno II. ubi liber recitatur cujusdam Sancti id asserentis, & opinionem eamdem inhæsisse SS. Basilio, Athanasio, & Methodio.

Respondetur Hæreticum esse, & ut talem ab Ecclesia semper habitum, qui negarit, ut Hobbius, animæ immortalitatem, Tatianus quondam discipulus Justini, ac tandem ab Ecclesia

clesia separatus docebat animam hominis interire cum corpore, resurgere autem cum corpore *in consumatione Mundi*. Orat. contra Græcos. Quæ est sententia Hobbii. Hic error Arabos invasit; hunc autem Origenes ad Concilium vocatus profligavit, ut refert Euseb. lib. 6. Histor. c. 37.

Crassius quidem, quam par erat locuti sunt nonnulli PP. dum de anima, & Angelis sermonem fecere; Nusquam tamen inter eos connumerandi sunt Basilius, & Athanasius; quare benignius interpretandi. Cum quæstiones non excitantur, ac medulitus liquantur, facillimum est phrasibus uti, quæ quidem ad exagitatam quæstionem deserviunt, sed alteri non excitatæ nocent. Abs re non sit. Magna contentio semper fuit de Dei natura; PP. omnes, adeoque, & Ecclesia Deum incorporeum docuerunt contra omnes illos, quos imitatur Hobbius, qui cum non possent cogitare nisi quod corporeum est, corpus esse putabant: de quibus loquitur Phil. lib. de somn. *Nonnullos sic hebetes, & obtusos esse natura, ut Deum sine corpore intelligere nullomodo queant*. Id quod ferme dixerat Tull. Acad. quæst., quia, inquit August. de utilit. cred. c. 1. *nimis in hæc corporalia progressi, atque lapsi, nihil aliud putant esse, quam quod istis quinque nuntiis corporis sentiunt*. Et Ep. 112. c. 17. *irruit de consuetudine corporalis vitæ, in ipsos quoque interiores oculos turba phantasmatum . . . sed hæc*, ait lib. 12. de Trin. c. 7. *turpiter vana cogitatio est, quæ opinatur Deum membrorum lineamentis definiri, atque circumscribi*. Quam cogitandi conditionem ipse idem Augustinus appellat quandam idololatriam cordibus nostris constitutam, cui tamen mederi oportet fideli ratione, & pietate.

Itaque cum PP. toti essent, ut Deum incorporeum assererent, plus debito dejecerunt Angelos, & animas, corporeas substantias appellantes. Sed si phrasium vim attendamus, eorumque mentem, & intentionem, veri nominis corporeitatem Angelis, & animabus non tribuerunt. Etenim, ut de Methodio superius allato loquamur, corporei nomine intellexit quod est creatum; hujus sunt verba apud Photium cod. 234. *increatum, & nullius indigens, & laboris expers, cujusmodi Dei solius est natura, qui incorporeus est*. Corporeum pariter esse dixerunt quod limitatum, & circumscriptum est; quod intelligi, aut comprehendi potest; quod pati, & passionibus subesse valet, & mutari. In hoc sensu loquuntur Gennadius, Theophilus,

philus, Hilarius, Cassianus, aliique. Videatur Petavius, Tomasinus, cæterique Theologi *de Angelis*. Sed præcipue Augustinus Ep. 8., & 20. ad Hieronymum.

Causa, autem tandem, *finita est* in Concilio Lateran. sub Innoc. III., in quo definitum fuit Deum esse conditorem utriusque creaturæ nimirum corporeæ, & spiritualis; A qua fide si quis recedat, Hæresis damnandus venit.

Ast, obloquitur Hobbius, nihil definiri potest tanquam fide credendum nisi quod manifeste apparet in Divina Scriptura: Porro vero nullibi habemus in sacris libris angelos, animam, & Deum substantias esse spirituales, & incorporeas: hæc etenim nomina *immateriale*, *incorporeum* nullibi est reperire. Quis scit an Dalæus, & Georgius Calistus hanc de spiritualitate Angelorum sententiam voluerint intrudere inter articulos fidei, inconstantis (ut blasphemant) Catholicæ Ecclesiæ, aut asserere quod Pontifex Romanus possit definire hunc articulum absque eo quod expressus sit in Evangelio, aut Evangelio contrarius, ut audax Calistus nobis imponit?

Respondeant Protestantes Bossueto, qui ad evidentiam commonstrat inconstantem, & quotidianam variationem fidei ipsorum. Convincunt Catholici mendacii tum Dalæum, tum Calistum; ac tanquam Impostores traducunt, & manifestant. Quis nostrum unquam asseruit posse a quopiam condi fidei novum articulum, qui nullo modo contineatur in Scriptura neque explicite, neque implicite? Sed nemo sanæ rationis, & religionis negarit, posse ab Ecclesia noviter determinari, quod aut traditione Ecclesiarum, & PP. in verbis Christi Domini, aut Apostolorum contineri accepimus; absque eo quod sonantia verba in Scripturis inveniantur. Mundum factum ex nihilo expresse non inveniet Hobbius, aut aliquis Protestantium, si proprio judicio confisi, textus aliis textibus contorqueant; nam cum sæpius in Divina Scriptura, verbum *nihil*, non presse pro *nihilo* accipiatur, sed pro *destructo*, *mortuo*, *humiliato*, despecto: illud Sap. 2. 2. *ex nihilo nati sumus*, & Isaiæ 41. 24. *ecce vos estis ex nihilo*, innumeris testimoniis reiicient, & infringent, quemadmodum Hobbius nomen *Spiritus* in Scripturis corrumpit. Anne propterea si Ecclesia damnat materiam æternam, aut

aut orbis dispositioni præexistentem, novitatis, & excitatæ jurisdictionis accusabitur.

Christum Dominum *consubstantialem* esse Patri, reperit ne Hobbius in Scriptura? Verbum hoc non reperit certissime. Quin nec ex *nomine Filii Dei* deducere illud poterit, si eo modo, quo nomen *Spiritus* exagitet, præcipue in eo textu: *Spiritus est Deus* Joan. 4. 24. *Spiritus Dei habitat in vobis* 1. cor. 3. 16. Cum filius Dei dicatur etiam de populo Judaico; Justi dicantur *Filii Dei*; Scelesti pariter, qui sint ex familia alicujus religiosi viri: *videntes Filii Dei filias hominum* Gen. 6. 2. Quin nedum nomen filii Dei hominibus tribuitur, sed & nomen *Deus*; Moyses vocatur *Deus*. Exod. 7. 1. & justi Dii vocantur: *ego dixi Dii estis*.

§. X.

De alio motivo negandi substantiam spiritualem differitur.

Postquam dixerat Hobbius hæc nomina *incorporeum*, & *immateriale* non inveniri in Scripturis, aliud affert motivum negandi substantiam spiritualem, nimirum quod intelligi non possit illa spiritualis substantia, quia spiritus loco, figura terminis, & magnitudine sua aliqua determinatur, ac proinde corpus est. Quare qui ex intentione pia Deum honorandi, ipsum dixerunt *spiritum incorporeum*, non sunt locuti *Dogmatice*.

Nonnulli inter PP. animam, & Angelum *corpus* appellerunt hac sola ratione, quod limitatæ substantiæ forent, ut vidimus, verum cum Deus sit *simplicissimus*, *omnipotens*, *æternus*, ut fatetur Hobbius, terminos non habet saltem in potentia agendi, & in duratione; quin nec in aliqua alia perfectione, non poterit, ob eamdem causam Deus *corporeus* affirmari; nisi sibi Hobbius crearit Deum non immensum, finitum, privatumve omni infinitudine.

Hobbius æternitatem non comprehendit, nec suis *impuris materiei cogitationibus*, *palmo* non potest concludere Divinam majestatem, ut loquitur D. August. nec capiet usquam quid sit simplicissimum ens, & tamen simplicissimum Deum appellat; postea quam asseruit corpus esse, & corpus extensum esse, & ex partibus constitutum.

Im-

Immensitatem, omnipotentiam suis cogitationibus exhaurire non valet: sola igitur pia intentione honorandi Deum, non *dogmatice* dicemus Deum esse *simplicissimum*, *immensum*, *omnipotentem &c.* Fortassis Deum negabit esse Deum, cum nomen *Dei* nominet, non ut illum concipiat, sed ut *honoret*; non ut *dogmatice* asserat esse, sed sola pia intentione honorandi.

Cum *animalis homo non percipiat ea, quæ sunt Spiritus Dei ... quia spiritualiter examinatur*. 1. Cor. 2. 14. Systhema Hobbii *Animalis irritabilis*, examinemus carnaliter ex eodem principio, sive motivo. Neganda igitur Deo spiritualitas, quia cum spiritus sit limitatus, & circumscriptus, Deus illimitatus corpus esse debet. Ast corpus est limitatum, & circumscriptum; igitur Deus non erit Corpus. Verum Hobbius comprehendit corporis, sive materiel funditus, naturam? Negat Lokius, negant & omnes Philosophi. Quid manifestius, communiusque, quam quod corpus, & materia extensione gaudeat? Extensio non est sine partibus; quod enim extensum est, latera habet, quæ diversas respiciunt plagas. Ast si quælibet materiei pars etsi minima partibus gaudet, minutissima illius pars partes habebit infinitas: siquidem ex se una pars existere potest ab alia sejuncta, adeoque, & quælibet erit ulterius, & in infinitum secabilis: quælibet igitur pars, si naturam propriam non deperdat, constabit partibus infinitis actu; nam partes, in quas secabilis est jam actu ei parti divisibili insunt: nec enim, quis secando, partem, & materiam creat. Hobbius ne comprehendit infinitum; qui quia non comprehendit spiritum, immaterialitatem Deo denegat? Mysterium hoc omnes ingenui ignorare fatentur.

Melevezius, quoddam animalculum, armato oculo prospiciens, tentato calculo reperit, illius cor minus 2700000000. Acaro, quod Aristoteles lib. de hist. animal. c. 32. putavit minimum esse animalium: atque adeo ad minus minima pars illius cordis, minor erit Acaro 1944000000000000. Non præteream Problema speciosum Orontii Phinæi, quo convincitur aream subtensæ ad curvam minui posse in infinitum, atque adeo infinitam esse; quæ, sicut & mille alia stuporem in omnibus procreant, non propterea neganda quod mens nostra infirma ea introspicere nequeat.

Non nihil religionis erga Deum habuisse nobis suboleret, si plexus Hobbianæ doctrinæ non cohiberemus. *De Deo*, inquit, *melius*

melius est credere , quam loqui . Ita plane agendum , nec curiosius investigandum , quam res postulat , *Scrutator enim Majestatis opprimetur a gloria* . Prov. 25. 27. Quare monebat Apost. *non plus sapere , quam oportet sapere , sed sapere ad sobrietatem* . Rom. 12. 3. Verum cum rationabile sit obsequium fidei , & parati esse debeamus reddere *rationem , & satisfactionem omni poscenti* . 1. Petr. 3. 15. id fieri nequaquam potest sine studio , & investigatione . Quare D. Paul. loc. cit. subdit corporis structuram , qua non singulis membris permittitur quilibet actus , sed unicuique proprius ; ita in corpore Ecclesiæ non quilibet debet sibi assumere , v. g. actum investigandi, et docendi, quæ supra debitum credendi omnibus commune . Vinum cum sobrietate potatum bonum est ; et favus melis sanitati consonus; ast excessus vini *iram , irritationem , & ruinas multas facit* . Eccl. 31. *Sicut , qui mel multum comedit , non est ei bonum* .

Non est autem religiosi , & humilis animi , spreta venerabili antiquitate , & traditione , Deum corporeum asserere ; quod ideam nitidam , & luminosam de spiritu non habeamus ; Cum etiam a ratione alienum sit quodvis affirmare , eo quod contradictorium, aut contrarium extremum non comprehendamus: plura etiam in rebus naturalibus ignoramus , quæ tamen abnegare temerarium est .

Quid suspicandum de Hobbio in hac sua agendi methodo? Plane quod sub specie religionis , Christianam non tantummodo , sed omnem prorsus deplantet , & destruat . Evidens cuique debet esse , quod Christus Dominus tradiderit Apostolis , quæ credenda , et agenda fuerant ab his , qui sua ipsius religione initiandi erant ; cum autem præcipui articuli respiciant naturam Dei creantis , et Salvatoris , hos potissimum Discipulos docuit . Non minorem autem solicitudinem Deus habet , ut usque ad Mundi finem ipsius religio floreat , nec portæ inferi prævaleant adversus eam ; necessarium fuerat , nobis relinquere regulam credendi , aut organa , per quæ ipsius doctrina ad nos usque manaret .

Hanc viam destruit Hobbius , Sanctosque PP. cum Platone, et Aristotele sociat , quasi per tot sæcula fides credentium corrupta fuerit , nec alium viguisse , etiam in Christianis , nisi spiritum erroris , nimirum Gentilium Magistrorum . Sublata porro via , et traditione PP. Episcoporum , aliorumque Pastorum, et Doctorum unicam constabilit , videlicet Scripturam Sacram,

sed

sed proprio, uniuscujusque arbitrio, et spiritu interpretandam, tametsi Concilium, quin et Ecclesia contrarium stabiliat. Rem ex Hobbio habemus patentem.

Ex 39. Articulis, quos edidit Ecclesia Anglicana anno 1562. primus est, *Deum esse sine corpore*, *& sine partibus*, quid ad hæc Hobbius? *Non negabitur*, inquit, Append. cap. 1. p. 345. Non negabitur; at negat; dum expresse affirmat Deum esse corporeum. Ad Scripturam appellat a Fide Anglicana: Sed quid ad Scripturæ textus, & Anglicanæ Ecclesiæ auctoritatem reponit? proprio judicio, & sententia respondet Deum corporeum esse, quia nondum scit quomodo aliquid *possit esse magnum*, *nisi sit corpus*.

Itaque spretis DD. tanquam *Philosophis errantibus*, *aut Scholasticis fallentibus*, & pessundatis Scripturis, rem omnem ad tribunal sensuum advocat, per quos spiritualis substantiæ idea transire nequit, atque adeo sententiandum nihil esse, nisi corpus. Verum cum Hobbius percipere nequeat quid sit infinitum, immensum: quomodo, qua via, quibus regulis Deus Orbis machinam ita ordinate regat, & regulari varietate ordinet, & disponat, Epicureus, aliusque Atheus Hobbium coget ad *Cæcum Casum*, aut *Stoicum Fatum* admittendum, verumque Numen abnegandum. In hoc extremum est necesse incidat, inciduntque Athei omnes, qui proinde Deum negant hoc titulo, quia comprehendere nequeunt *ens unum* æternum, omni perfectione donatum; indivisum, sine partibus, omnia pervadens, regens, sciens, potens omnia, cæteraque attributa, quibus necesse est compleri ens perfectissimum.

Quid in Atheismum dejecit Vanninum Tolosæ flammis traditum, an. 1619., nisi propterea quod percipere nequiret Deum *sui ipsius principium*, *& finis*, *utriusque carens*; *neutrius egens*, *utriusque parens*, *& author*. *Semper est sine tempore*, *cui præteritum non abit*, *nec subit futurum*. *Regnans ubique sine loco*, *immobilis absque statu*, *pernix sine motu*, *extra omnia omnis*; *intra omnia*, *sed non includitur in ipsis*; *extra omnia*, *sed non excluditur ab ipsis*. *Intimus hæc regit*, *extimus creavit*, *bonus sine qualitate*, *sine quantitate magnus*, *totus sine partibus*, *immutabilis*, *cum cætera mutat*, *cujus velle potentia*, *cujus opus voluntas*, *simplex est*, *in quo nihil in potentia*, *sed in actu omnia*. *Immo ipse purus*, *primus*, *medius*, *& ultimus actus*. *Denique est omnia super omnia*; *extra omnia*, *intra omnia*, *præter omnia*,

omnia , ante omnia , & post omnia omnis . Ita Deum aspernando , & negando pingebat Impius in Anphiteat. Provid. D. exerc. 2.

Subdole hanc professionem , cæteroquin veræ Religionis , proponebat Vanninus , ut nimirum ostenderet , Deum hunc esse impossibilem , & incogitabilem , atque adeo abnegandum . Non negat Hobbius Deum si ab habente potestatem regendi Dei confessio præcipiatur ; sed cum neget esse spiritum etiam Potestate Ecclesiæ Anglicanæ imperante , poterit & Dei existentiam abnegare : non enim tantæ est meticulosæ conscientiæ , ut piaculum putet ab jussis recedere , piumque facere quod injustum , & impium , quod est religiosum . Potentiæ spiritualis , invisibilis existentia tametsi fabulosæ sint , si coli , aut timeri jubeantur , aut publice proponantur , religio est , inquit ipse , a non publice permissis , superstitio . Fateri ergo Deum Christianorum , dum ab Imperatoribus non permittebatur , superstitio erat Sanctis Martyribus ?

§. XI.

Quid Hobbius de Trinitate sentiat .

Qui negat Deum esse Spiritum , eo , quod concipere nequeat, quid sit substantia spiritualis, abs dubio Trinitatem Christianam negabit, cum multo impossibilius sit de eo ineffabili mysterio ideam habere , illudque concipere . PP. ad Platonismum amandabit , quemadmodum blasphemant Ariani , & Sociniani, adversus quos scripsere eximii Doctores Georgius Bullus , Baldus , Muratorius , Lamius , multique alii .

Quid sit Verbum , & quomodo factum sit caro , non vult Hobbius curiosius inquirere . *Quomodo Verbum caro factum sit meum non est inquirere* . Append. ad Leviat. c. 1. p. 332. *sufficit mihi , quod Redemptor meus factus est* .

Dei persona gesta est . Mundum creavit Deus in persona propria . In redimendo genere humano ejusdem Dei gessit Jesus Christus . In Electis sanctificandis ejusdem Dei personam gessit Spiritus Sanctus . Recedit Hobbius ne dum a Fide Catholica , sed & a Cathechismo Anglicano , in quo exprimitur Filium esse Deum, atque adeo in persona propria redemit Mundum . Id autem non affirmat Hobbius ; nam ex ipsius doctrina manifeste colligitur, Christum , & Spiritum Sanctum gessisse personam alterius, nempe

pè Dei ; & propterea mens Hobbii est, Filium, & Spiritum S. Deum non esse. Leviat. C. 16. p. 80. 81., sed representantes Deum, sive personæ representativæ ipsius Dei ; quod etiam eruitur ex ipsius indice V. *Persona*.

Sed quid vult Hobbius, dum coactus ad majorem explicationem suæ fidei, ait : *Deus in persona propria creavit Mundum ; in persona Filii redemit, in persona Spiritus Sancti Ecclesiam sanctificavit*. Vult ne Deum tres agere personas, sicut Cicero de seipso ajebat : *Unus sustineo tres personas, mei, Judicis, & Adversarii*. ? Quo Ciceronis exemplo utitur tum c. 16. p. 80. tum Append. c. 1. p. 342. ? Gereret ne Deus propriam personam creando, & alienas redimendo ; & sanctificando ? Verum si alterius personam agit, & repræsentat, quis erit iste Filius ? quis Spiritus Sanctus ? Creatura, an Deus ? Forte voluit eundem Deum, sive eandem individuam substantiam tria munera, & officia agere. Sed tametsi munera Judicis, & adversarii non inducant distinctionem rei, ratio tamen Patris, & generantis necessario inducit distinctionem veram ; & reapse a Filio, & genito. Hanc distinctionem certissime agnoverunt Evangelistæ, & Apostoli, qui prædicabant Filium Dei Deum esse a Patre missum, non quidem ut alius Deus ab alio Deo, sed ut idem Deus Filius ab eodem Deo Patre.

Visis miraculis, & præter ordinem insignibus, in quo peccaverunt Hebræi dum Christo D. non credebant ? Prophetam magnum judicabant, in quo Deus visitaret plebem suam ; plurimi ut Messiam habebant, & Filium Dei : Si Filius Dei, Hobbio est quædam excellens Creatura, non peccassent Hebræi, qui ut talem Creaturam venerabantur. Si Filius Dei aliud non est a Deo Patre, nisi nomen officii, jam Hebræi habebant Deum, qui condidit orbem, qui eos ex Egypto eduxit ; qui manna pavit, atque in brachio extento, signis, & portentis, rexit, protexit, victoresque effecit. Criminosi, & quidem magni, & insignis piaculi, quo meruerunt derelinqui, maledici, reprobari, & qui erat Populus Dei, non amplius vocari, & agnosci Populus, nisi Filius reprobationis, & maledictionis ; quo tandem scelere, majore idololatria, ut propterea majore plaga pænaque plecterentur, ut rectissime Hebræos convincit Justinus ?

Quia, cogitur Hobbius dicere, quia in ipso vero Deo,

in quo agnoverant officium Patris, Hebræi noluerunt agnoscere officium Filii. Non hoc fuit nominis crimen, sed quia noluerunt ipsum credere Deum, & propterea crucifixerunt, *quia Deum se faciebat*. Deus igitur revera erat Christus Dominus, & non tantum Dei personam larva, aut verbis gerebat, sed erat *verus Deus* de *Deo vero*, ut canit Ecclesia Christiana. Sed verba, aut verborum amphratus Hobbianos dimittentes.

En plana, nitida, & aperta Hobbii mens: *Si pro persona utamur voce Hypostasi, cum PP. Græcis (cum Hypostasis, & substantia idem significent) facimus pro tribus personis tres substantias Divinas, idest tres Deos*. Append. c. 1. p. 342. Quibus in verbis plurima consideranda forent, sed tria tantummodo animadvertimus.

I. Quam reverentiam exhibeat Patribus, sive Ecclesiæ Græcæ, quam facit Triteistam, & extorrem a fide Nicæna, idest a fide Christi; quasi apud illam nationem vera fides exulaverit; cum vero latina Ecclesia in Mysterio Trinitatis, semper unita fuerit, sive una inter ambas nationes, defecisse, asserat Hobbius necesse est, Ecclesiam Christi in Trinitatis Mysterio fundatam. Nam si Trinitas non subsistit, videlicet, unica substantia Dei in tribus personis, sive hypostasibus inter se se distinctis, Filius, & Spiritus Sanctus, Deus idem non foret: corruit ergo vera fides, & primum fundamentum Christi Religionis.

Sed idem Hobbius id manifestissime asserit. Eod. c. 1. p. 342. quod nimirum Apostolus Hebræ. 1. 4. appellet Christum substantiæ Dei characterem sive faciem repræsentativam, Imaginem, & Larvam Dei, facies autem repræsentativa non est repræsentatum, sed repræsentati imago.

Non distinxit Hobbius cum PP., & precipue Nicænis, inter Imaginem vacuam, & plenam, quam distinctionem agnoscere cogimur, ut alibi diximus, ex scripturis, traditione, et præcipue ex Concil. Nicæno II., in quo reprobatur qui asserebat Eucharistiam esse Imaginem Christi, timentes, ne in Verbo *Imaginis* fraus subreperet, & realis existentia Christi ab Eucharistia negaretur, cum tamen PP. veram divinitatem in eo agnoscerent, tametsi appelletur *imago*, & *figura substantiæ Dei*, sicut creditur verus homo, quamquam dicatur accepisse *formam* Hominis, & factum *in similitudinem Hominum*.

II.

II. Quod est animadversione dignum, videlicet: Hobbium a fide Anglicana deficere, si Filium Dei neget esse Deum, cum ab eadem Ecclesia præcipiatur Deum esse credendum sicut & in Art. 39. præcipit credendum, & profitendum; *Deum esse sine corpore, & sine partibus*; cum tamen oppositum credat, judicet, & doceat. Parceret ne Hobbio Calvinus, qui Michaeli Serveto flammis tradito non pepercit, eo quod Trinitatem videlicet unam in Divinis Personis reapte distinctis, abnegaret naturam?

Hanc perpetuam de Trinitate fidem in Christiana Ecclesia agnovit etiam Julianus Apostata; qui Christianis imponit quod tres colerent Deos, eo quod tres personas in eodem Deo distinguerent: atque ex eo capite, in illo suo opere, sola eloquentia probabili, putat Christi Religionem evertere, videatur Cyril. Apolog. quare, ut a Christi Religione Hobbium Apostatam, cum Juliano agnoscendum jure merito arbitramur, Tertia Animadversio §. sequenti ostenditur.

§. XII.

Dilemma Hobbio formatur.

Non inficiatur Hobbius in Conciliis decisum fuisse quid de fide tenendum, quidve hæreseos damnandum, nimirum a Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi, quæ Concilia Oecumenica appellat. Appen. c. 2. p. 349. In his autem, ut ipse fatetur, damnati fuere Arius, qui Divinitatem Filio negabat; & Macedonius, qui negabat Spiritus Sancti Divinitatem. His Conciliis auctoritatem abnegare non potest, cum, auctoritate Imperatorum celebrata asserat. Jam vero Dilemma hoc efformamus. Vel Hobbius nomine Trinitatis admittit præcise *unum ens*, unam rem individuam, & indistinctam, quæ purè ratione munium, officiorumque tria, aut tres personæ dicantur; sive Pater, Filius, & Spiritus Sanctus illa, eademque res sit, & vocetur, vel ultra rem Patris, sive Dei creantis admittit in Christo sive Filio, & in Spiritu Sancto aliquid, vel aliquam rem a re Patris distinctam. Si primum: negat Trinitatem, qualem admittunt veri Christiani etiam priorum sæculorum, ut admittit Hobbius

in PP. Oecumenicorum Conciliorum, & fatetur Julianus Cæsar in quo Articulo præcipue Christianam fidem impugnare contendit; & tandem Antitrinitariis conjungitur.

Si vero secundum afferet: Sciscitamur ab Hobbio, num Filius ille Dei, & Spiritus Sanctus sint Deus, an Creatura. Si Deus, tres Deos faciet, ut ipsemet Catholicis imponit; eritque Tritheista. Si creatura; Arianus, Socinianus, & Macedonianus; Hæreticus proinde damnandus nedum a Catholicis, sed etiam ab Anglicanis.

Cum afferat Deum esse Corpus, vel Deus erit *incorporeus*, itaut unum Corpus, aut una Divini Corporis pars sit Pater, altera Filius, & alia Spiritus Sanctus; vel sine ulla reali distinctione illud idem ipsissimum Corpus sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sola ratione munium, & officiorum distincti. Si primum afferat: Erunt tres Dii, ut unusquisque finitus limitatus, cum unicuique defficiant perfectiones alterius: Non ejusdem mentis, voluntatis, & potentiæ; non immensus: siquidem immensus non est, quod ubique non est; Jam vero Corpus Patris non erit ubi Corpus Filii, quia duo Corpora in eodem loco esse non possunt, ut Hobbius asseverat.

Et præterea cum materia æterna esse non possit, utpote quæ facta est a Deo; quod autem factum est, ait Hobbius adversus Aristotelem, non potest coexistere causæ facienti, sequitur Filium, & Spiritum Sanctum Eternos non esse, utpote qui facti sunt (sit quo modo velit Hobbius) a Patre, cui proinde coexistere nequibunt.

Dixi sit quomodo velit Hobbius, quia Impius iste devius a Dogmatibus, & venerabili antiquitate, Spiritum Sanctum dicit a Filio genitum; & rursus eumdem Filium, in accipiendo humanam carnem, genitum esse a Spiritu Sancto. Append. c. 1. p. 345.

Si tandem secundum afferat, quod nimirum, *tres*, *Pater*, *& Filius*, *& Spiritus Sanctus sint unus Deus*, *sumpta persona*, *in sua significatione vera*, *& propria*, *pro eo qui partes suas vel alterius agit* ibid. p. 346. Manifestum fit, totam personarum divinarum distinctionem eo tandem collocari in distinctione munium, & officiorum. Quemadmodum jam supra ab Hobbio declaratum retulimus. At quomodo dicetur Filius a Patre missus?

Cicero ne agens tres personas, *sui*, *Judicis*, *& Adversarii*,

rii, poterit mittere semetipsum, Judicem, aut Adversarium? mittat Cicero, remanens Romæ, Tullium in Greciam, & Marcum in Asiam, si unus, idemque est sola nominum distinctione? si Pater in persona propria Mundum creavit, Persona Filii orbem non condidit, neque Spiritus Sanctus, non igitur una trium personarum est actio agens extra Deum, eritque ipsorum divisa potentia, & imperium.

Hobbius, qui Symbolum Nicænum veneratur ut regulam credendorum, utpote quod videt illius Doctrinam a Sacra Scriptura derivatam esse. Append. c. 1. p. 346. nusquam explicabit ea verba ejusdem Symboli *Deum de Deo*, *Lumen de Lumine*, *Deum verum*, *de Deo vero*, quæ Verba coegerunt Patres omnes ad credendam personarum distinctionem in uno Deo. Et certe fidem hanc tradidit S. Joannes cap. 1., ut etiam Julianus Augustus agnovit, qui asserit Christianos in eam descendisse Religionem illusos ab Joanne Evangelista, ut blasphemabat. Nunquid a *Marco Tulius* est genitus, aut ab illo procedit? nunquid *Adversarius* ab *Judice*, aut *ipse Cicero* ab *Adversario*?

Ad munia si advertamus, non Trinitatem tantummodo, sed centenitatem credere agemur, aut unicam personam Patris scilicet. Ut a postremo incipiamus. Quandoquidem solius Personæ Patris, & munus est Filios procreare, ad proprium finem ordinare, & media illis providere ut illum consequantur: quod certe fieri nequit nisi leges eis præscribendo, auxilia subministrando, ut eas observent, & sancti evadant; ac tandem præmium consequantur promissum. Distinguunt ne leges in Patre personam nutritii, vestientis, educantis, instruentis, providentis, dirigentis, castigantis, præmiantis? unius personæ Patris est, hæc omnia peragere. Quis creavit Homines? Pater, inquit Hobbius; Quis Adam instruit, e Paradiso ejecit, custodivit, ad pænitentiam vocavit? Quis diluvio totum ferme Genus Humanum submersit? quis Abraam, ejusque posteros in peculiarem sibi sortem adscivit. Quis Moysem Legislatorem constituit? Quis Legem Christi condidit? (Christus enim, si Hobbio credimus, nullam condidit Legem, sed tantummodo promulgavit, non secus ac Moyses) Quis est ille, a quo omne donum descendit; illuminatio scilicet, fides, spes, amor, cæteraque

necessaria

necessaria ad cordis munditiem, & animæ sanctitatem, nisi Pater luminis, nisi ille, quem clamamus Abba Pater? qui nobis potestatem dedit, ut Filii nominemur, & simus; qui nobis dimittit peccata nostra; qui nos pascit; qui dat nobis petentibus spiritum bonum; cujus tandem est regnum paratum nobis a constitutione Mundi? Ut quid igitur munia, personasque multiplicare?

Creatorem Deum omnes agnoscunt: Regem clamant Scripturæ: Regem agnoscit Hobbius, cui Dominium debetur propter potentiam irresistibilem; Regem fatebantur Hæbrei peculiarem suæ gentis; Ducem exercituum, Bellatorem, & pugnantem contra Gentes, Judicem, vindicem, & exterminatorem experti sunt Egyptii, & Palestini; quin universus orbis, Noachi familia excepta, in Diluvio; & tandem in extremo dierum experiemur omnes.

Quot munia exercuit Deus, totidem personas egit. Siquidem *Persona in sua significatione vera, & propria* capitur *pro eo, qui partes suas, aut alterius agit*. Append. c. 3. p. 346. Quare cum Deus ea egerit, quæ modo diximus, tot consequenter functus est personis.

Non absimiliter dicendum de Filio: egit etenim personam infantis in Præsepio; Magistri in Templo; Medici sanando infirmos; Judicis, dum Fæminam adulteram defendendo Judeos confudit; aut cum reddenda judicavit Cæsari, quæ Cæsaris erant: Consiliarii, Concionatoris, Legislatoris, Advocati Magdalenæ; Rei, peccatoris portantis peccata nostra; Agni in Sacrificium Oblati; ac tandem, ut innumera omittamus, Regis Regum, & Domini Dominantium, cujus Regnum saltem in Cælo, est ut consentit Hobbius. Itaque nedum Trinitatem admittere cogimur, sed centenitatem, si Hobbio adhæreamus.

CAP. VIII.

C A P. V I I I.

Expenditur & enucleatius evertitur Hobbianum motivum affirmandi Deum Corporeum.

§. I.

Motivum affirmandi Deum Corporeum iterum reicitur.

SPecie religionis, & venerabundi animi Hobbius carpit Theologos, quod attributa Deo parum consona, imponant; cum melius foret, vafferrimus dicit, ipsum asserere inintelligibilem, incomprehensibilem, utpote qui habitat lucem inaccessibilem, quam prærogativis sapientiæ, potentiæ, & hujusmodi eum finire, & limitare. Hæc etenim nomina sunt, quæ finitudinem exprimunt.

Idcirco asserit Deum esse corpus, quia nullam habere possumus substantiæ spiritualis ideam, & quia Deum asserere spiritum, est ei tribuere tenuitatem, quæ prope ad *nihilum* accedat. Vocem *infiniti*, & similes respuit, tanquam voces *insignificantes*, *& admissæ propter auctoritatem quorumdam Philosophorum errantium*, *vel Scholasticorum fallentium*, Leviat. c. 3: p. 13. sed & reprobare poterit voces *æterni*: sicut & alias phrases, quæ exprimunt *infinitum*, sive carentiam finis, ut Psalm. 144. *magnitudinis ejus non est finis*; *& cujus regni non erit finis* Luc. 1. *Deum*, inquit, *nominamus ut honoremus*, *non ut concipiamus*. Si ut honoremus, non Philosophos errantes, aut Scholasticos fallentes Hobbius sequitur, quando Deum honorando nominat. Cur similiter *sapientem*, *infinitum*, *Omnipotentem*, & spiritum nominare non possumus? An forte ideam habuit Hobbius Dei, sive entis Summi, cui nulla perfectio deest, & quo melius excogitari nequit, ut propterea nominare possimus? Si error Philosophorum est, aut fraus Scholasticorum Deum *infinitum* vocare, Deum vocare, cogitare, aut ejus existentiam asserere error erit, & fraus. Blasphemat autem Hobbius, & suo more inconstans, sibi contrarius est. Trinitatem non comprehendit; sive illius

idea

idea non pollet ; neque immensitatis , omnipotentiæ , aliorumque atributorum , quæ ut decet , infinita esse , est asserendum , cum tamen , in Scriptura inveniantur , ille , qui non nisi , quæ scripta sunt recipit , admittere debet . Igitur tametsi Dei infiniti , & spiritualis , idea omnino careremus , non propterea cum ipso blasphemare debemus , Deum infinitum negando , aut spititualem .

Expendamus nonnulla , quæ ipse admittit , num de illis ideam dignam Philosopho , habuerit . Affirmat Deum *simplicissimum esse* . Quis amabo , corpus immane , quale Deum sibi præsentat , partibus compactum , compositumque *simplicissimum* concipere potest ?

Nescit Hobbius , qua vita vivat Deus , num motu organorum , (Etenim organismum humanum , tanquam hæresim detestatur) aut alio intelligibili modo : ergo ne Deus noster erit purum , putumque simulacrum mortuum inanime , & insensatum ? Quia videt , & experitur Hobbius quod quidquid concipimus corpus est aliqua magnitudine præditum , & loco aliquo circumscriptum , affirmat Deum esse corpus . Cum autem videat , & experiatur omnia viventia organismo vivere , itaut in resurrectione aliud nihil facturus sit Deus , quam motum vitæ iterum incoare , & excitare in corporibus mortuis , affirmet necesse est Deo organorum constructionem , & compaginationem .

Negat materiæ æternitatem ; omnia igitur ex nihilo facta sentit : Ast de creatione rerum ex nihilo habuit ne ideam ? Hac caruere Philosophi, canente post Epicurum Lucretio : *Ex nihilo nihil* &c. ; si itaque nihil affirmandum , nisi id , de quo ideam habemus , ne incongrua , dissona , & Deo indigna , tanquam *Philosophi errantes , aut Scholastici fallentes* , tribuamus ; aut Palinodiam coram Aristotele canet , admittens æternitatem materiei , aut ex nihilo neget , orbem factum esse , sed ex præjacente materia , quod summam dementiam appellat Chrisost. aut tandem , quod Deus a semetipso immensam materiei molem detrhaxerit , ut Mundum efformaret .

§. II.
Immensitas Dei Hobbiani impossibilis ostenditur .

Corpus omne figura est præditum ; figura qualibet suis limitibus

limitibus clauditur, & coarctatur, hæ duæ propositiones Hobbio sunt familiares, cum ex eis probet Angelum esse corpus. Jam vero quod limitatur, & coarctatur ad unum locum, non excedit locum, a quo continetur: non ergo Deus corporeus immensus erit.

Præterea: Quod immensum est omnia loca pervadere debet, ita ut nulla, vel minima loci pars esse possit, in qua non sit id, quod immensum est. Porro vero Deus corporeus compenetrari non potest cum alio corpore, atque proinde non potest esse ubi est aliud corpus; *quia duæ res aut plures eodem tempore, nequeunt esse in eodem loco*. Leviat. c. 3. p. 13. cum etenim quælibet pars materiæ gaudeat suis superficiebus, densitatibus, & resistentiis, impossibile est eodem omnino loco duo corpora contineri. Quare concludendum, Deum corporeum immensum non fore.

Nec remoratur quod docent Theologi Catholici nimirum corpus, & sanguinem Christi Domini compenetrari, & simul reperiri in eodem loco, siquidem fides non docet, in eodem insensibili loco, sive ut ajebat Cardin. Ptolomeus, in sensu methaphysico, repereri minutissimam sanguinis particulam, ubi est minutissima pars corporis; sed absolute credendum proponit, quod ubi est corpus sit sanguis; quod longe melius facit Deus sua onnipotentia, quam nos facimus dum colores cum aqua miscemus qua mixtione facta verum est, in sensu phisico, quod ubi est aqua, ibi est color; nec ulla designabilis est aquæ pars, quæ colorata non sit.

Et certe nec in corpore Christi, sive in Cælo, sive in Terra dum inter homines viveret, ubi erat corpus, erat in sensu methaphysico, sanguis. Aliter occurrunt Peripatetici huic difficultati, nimirum corpus Christi esse in Eucharistia, sine extensionibus suis; quod Cartesiani non admittunt: Ecclesia vero quæstiones philosophorum iis in rebus non definit, asseritque Christum in Eucharistia existere modo *ineffabili*, ut ex Tridentino constat.

Deus Christianorum Spiritus est, qui proinde corporum legibus non subjacet, & sicut cuncta conservat, nec agere potest ubi non est, cuncta pervadit, omnia penetrat, intimiorque est quam nostra anima nobis, ut loquitur Augustinus. Et fortassis id insinuare volunt Virgiliana Carmina, dum Divinam mentem, quæ certe spiritus est nobis pingit cuncta moventem.

Spiritus intus alit , totosque diffusa per artus
Mens agitat molem , & magno se corpore miscet .

Addimus demum , quod omnes partes immanis illius corporis esse nequeunt in omnibus locis ; partes etenim quæ sunt in Sole non pervadent Abyssum magnam , atque totus Deus ubique non erit . *Cum idem nequeat esse totum in uno eodem tempore , & totum in altero loco* . Leviat ibi . Hinc .

§. III.

Corpus Divinum Hobbianum , non erit omnipotens .

Omnipotens non est , quod ubique operari nequit ; verum ubique operari nequit , quod ubique non est , sicut eo tempore quo non est , nequit agere . Deus autem Hobbianus ubique non est , ut mox vidimus igitur &c. nequibit itaque iste Deus cuncta movere , agere , regere , & conservare . Ajes fortassis , Homo calce operatur , aut brachio , nec tamen totus homo est ubi operatur : Ita pariter operatur Deus in Sole per partes , quæ inibi sunt , licet totus Deus in Sole non sit . Deus Spiritus ubique totus est , ubique ejus potentia , ubique ipsius imperium , & vocat ubique ea quæ non sunt , tanquam ea , quæ sunt . Si autem corpus est Deus , cum corpus non operetur imperio , sed medio contactu , necesse erit , ut pars in qua primo residet agendi potestas , moveat potentias , & partes intermedias , ut tandem excitet partes infimas , ut operentur in eo infimo loco ubi sunt , ut ibi operentur : Cum autem motus in istanti non fiat , infinitum propemodum tempus necessarium erit , ut superior pars , quæ erit in summo Cælorum moveat partes , quæ sunt in infima parte Abyssi aut econtra . Hoc vero totum fieri nequit sine organismo , actione , & reactione , quæ ad corruptionem , & dissociationem disponunt . Aut dicendum , quod quælibet pars se ipsa omnipotens est .

Tot igitur omnipotentiæ , quot partes illius immensi Dei , totque omnipotentes , totque Dii . Admittat Hobbius manus , bracchia , pedes in Deo , de quibus Scriptura per methaphoram loquitur , oh monstrum , immane Dei Hobbiani , quod ubi-

que

que est manus, brachium, pes, oculus, auris; cum ubique operetur, videat, audiat &c. Quæ si detrectet admittere, partes, quæ non sunt brachium, oculus, pes, auris, imperfectæ erunt, carentes virtute agendi, videndi, audiendi, solaque illa pars perfecta erit, quæ agit, videt, & audit: ex infinitis itaque partibus, quæ Deum constant, paucissimæ erunt perfectæ; componetur ergo ille Deus infinitis partibus emortuis, imperfectis, defectuosis, inertibusque. Oh iterum monstrum Hobbianum! Quo autem fato contingit, ut ex iisdem partibus, quibus constat Hobbianus Deus, aliquæ sint perfectæ, cæteræ imperfectissimæ dicet Hobbius?

Quod de omnipotentia dictum est, idem dicendum de visione, scientia, sive sapientia Dei. Corpus etenim nihil scire potest, nisi corporali modo: Id autem minime fit, nisi medio organismo; cum nimirum objecta agunt in superficie oculorum mediis radiis, movendo fibrillas &c. Igitur objectum, quod est in summo Cælorum ibi reperit oculum in quem agit, & inibi sensationem, & visionem causabit, aut occasionabit. Quod similiter dicendum venit de objectis, quæ in terra sunt in hoc, & altero hemisphærio; atque adeo Deus hic ubique oculus erit, indigebitque in omnibus sui partibus oculorum organo: aut in una sua parte oculus erit, ad quem, ut perveniat motus ab objectis in altera mundi plaga causatus ad usque verticem, infinitum tempus exigetur, ut Deus, videat, cognoscatque. Quæ omnia in Deo admittere vel insani detrectarent.

§. IV.

De materia differitur, qua Deus Hobbianus constituitur.

Quidquid habet Deus, a se habet, & necessario; ita postulante sui ipsius natura, aliter Deus non futurus, si ab alio reciperet. In Deo nihil est, nisi materia extensa, divisibilis, adeoque, & figurata, alias foret substantia spiritualis, quare omnes Philosophi has deductiones ut necessarias admittunt. *Hoc est figuratum: ergo corpus divisibile extensum: non est figuratum extensum, divisibile: ergo non est corpus.* Cum autem Deus sit necessario cogitans, conclu-

dendum erit igitur : *Materia ſaltem aliqua eſt neceſſario cogitans ; intelligens , ſapiens &c.*

Jam vero materia in neceſſariis , ſive in ſua natura , & eſſentia eſt ejuſdem naturæ in omnibus : igitur omnis materia neceſſario erit cogitans . Primam propoſitionem omnes concedere debent cum Ariſtotele , & D. Auguſtino loquentibus de materia , cogitatione ut ajunt Methaphiſca , conſiderata nimirum materia *prima* , ſive ſecundum ſuam naturam, ſpoliatamque omni ornatu figuræ , & ſtatus ; quo pacto dicitur *materia prima* , indiferens , utique ad hunc , vel illum ſtatum , ut ſit ſub hac, vel illa compoſiti forma . Diſcrimen porro inter unam , vel alteram materiæ maſſam in hac conſideratione , aliud eſſe non poteſt, niſi quod ſit una major , altera minor ; puta major in monte Olympo , minor in grano arenæ ; ſed ejuſdem omnino naturæ utraque eſt . Ejuſdem igitur naturæ ſunt partes Dei Corporei . Audiamus autem ſiquid habent materialiſtæ diſcriminis .

I. Ajunt partes Dei pati , aut diſſociari non poſſunt , id exigente natura Dei , cujus natura eſt ſemper eſſe .

Id quidem ajebat Averroes , ajuntque Philoſophi , quod nimirum partes primigeniæ diſſociari non poſſint , quia nullum agens creatum in eas agere poteſt , eaſque divellere : cæterum unaquæque ab altera ſeparabilis eſt , cum natura ſua ſit indiferens ſicut ad motum , & quietem , ita ad unionem , & ſeparationem . Idem ferendum judicium de partibus Dei Corporei , cum ſit ejuſdem naturæ . Quid namque invenire eſt in ea materia Dei , quod in natura alterius materiæ non reperiatur ?

Cum Deus ſit Omnipotens , non video , cur a ſe diſſociare non poſſit aliquas materiæ partes , & alias ſubrogare ſi velit ; ſubjacere proinde incremento , & decremento , ſicuti cætera corpora . Si Deus ubique eſt , ejuſque immane corpus ubique extenſum , dicant Hobbeſiani per quænam foramina illius corporis tranſibant aquæ diluvii erumpentes e Cælis ; per quæ materia ſubtilis Carteſiana ? poſſunt ne Carteſiana ſubtilis materia , venti , ignes aliquid in eo corpore agere , ut tandem partes diſſociet ? Si corpus eſt Deus , aliquid in ipſum impingere neceſſe eſt , atque adeo agere , & ipſum Corpus pati; quare nulla , vel levis ratio ſuadet illius partes non eſſe diſſociabiles , ſaltem ex natura ſua .

Dei

Dei materia est defæcatior, purior, exilior; cæterorum vero corporum crassior, pinguior, & corpulentior.

Eglon Rex Moab *crassus nimis* Jud. 3. 17. ejusdem erat naturæ in suo corpore cum Amnone macie attenuato quod Thamar *deperiret valde* 2. *reg. c.* 13. 4. Tam ignis est scintilla, quam flamma. Flamma defecatior est cæteris corporibus. Æther, quem Lucretius pro Jove habuit: Prisci pro stellarum materia veluti Divina, interitus nescia; Aristoteles pro quinta essentia cæteris elementis puriore, Cartesius pro materia subtili, ita agili, vivaci, & virtuosa, ut dici possit anima mundi, nec tamen cogitationis capax unquam habita fuit, licet cogitatiandi virtute donentur Bos, Asinus, Elephas, animalia stupida, & crassiore organismo composita. Nihil igitur ad rem cogitationis conducit isthæc materiei subtilitas, & exilitas, si organis sentiendi privetur quod subtile, & defecatum asseritur.

Christus resurgens ex mortuis Corpus spissum, crassumque habebat, illudque idem, quod pendebat in cruce, plagis, vulneribusque onustum. Simile habebimus resurgentes in mensuram illius; & quemadmodum eo quod resurrexerit Christus probat Apostolus, quod & nos resurgemus, ita eo, quod eamdem retinuerit carnem, quam prius, & ante mortem habebat, utique concludi debet, quod & nos resurgemus cum eadem carne spissa, corpulenta, & crassa, ut possimus cum Jobo dicere, *& in carne mea videbo Deum*. Organis igitur iisdem compacti resurgemus.

Jam vero cum apparuerit Deus, scilicet quando eum videbimus; similes ei erimus in eamdem imaginem transformati, ut disertissime loquitur Apostolus; si caret homo substantia spirituali, si caret, & Deus nihil est, in quo Deo similes fiamus, nisi Corpus; Corpus autem nostrum organizatum erit eadem prorsus structura, sicut & Corpus Christi, qui in naturalibus, sive phisicis *voluit fratribus assimilari*: igitur & Deus, si corpus est, organizatione compactus erit. Profecto si Corpus inorganicum est, sed materia subtilissima, defæcatissima tam dici poterit corpus hominis simile Corpori Dei, sicut asinus similis igni, & materiæ subtilis. Quæ comparatio, aut assertio similitudinis ridenda potius quam proponenda.

Aliud pariter offerunt discrimen materialistæ, nimirum quod qualibet pars materiæ sit capax cognitionis, sed cum ad cognitio-

gnitionem neceſſaria ſit aliqua orgınizatio, quæ non cuilibet mareriæ convenit, ideo non quælibet pars cognoſcit.

Organizatio oppoſita videtur ſubtilitati materiæ: ſiquidem exigit complexionem plurium partium, quibus corpus craſſius fit eo, quod organizatione coeret. Experimur in metallis, quibus ſi partes prominentes tollantur, & ad purgatiſſimam, ac levigatam ſuperficiem reducantur, taudem ſpecula fiunt, ſicut legimus factum *labrum æneum ex ſpeculis mulierum* exod. 38. 8. repreſentatio autem objectorum gradus quidem eſt ad cognitionem. Non inficiamur autem organizationem neceſſariam eſſe ad cognitionem eorum, quæ ſunt extra ſedem ubi fit cogitatio; nam utrum anima unita corpori, ſemetipſam ſentiat, ſine ope ſenſuum, adhuc ſub judice eſt. Verumtamem organizatio ſine motu aliquo iners erit, & mortua; ut igitur Deus cognoſcat neceſſarius erit partium aliquarum motus. Non ergo Deus immobilis, & immotus *cuncta movens*: Admiſſo autem motu partium erit admittenda quies, inertia, tarditas, velocitas: adeoque contingere quibit, ut una pars quieſcat, altera velociter mota: quod ſufficit ut partes Dei diſſociari poſſint, & totum compoſitum corrumpi, & deſtrui.

§. V.

Solvitur quoddam objectum.

Evidens omnibus eſſe debet, ſuppoſita corporum impenetrabilitate, quod corpus diſſociari debet, ſi impetu in ipſum feratur aliud corpus; quare ſagitta, aut globus tormenti bellici, aut non movebuntur, aut corpus in quod impingunt, diſſociabitur: cum vero Deus ubique ſit, & corpus immenſum perforabitur, & ejus organizatio deſtruetur a ſagitta, & globo exploſo. Sed inquient: Adæ corpus erat *inexterminabile*; Corpus Chriſti poſt Reſurrectionem impaſſibile; & ſimiliter corpora Beatorum. Adverſus quæ nullum agens vim habet exerendam. Quidni de Corpore Dei idem dicamus.

Reſponſio obvia eſt, ſi leges naturæ ſartas, tectaſque velimus: certiſſime Adam cibo indigebat, eique Deus facultatem fecit comedendi de omni ligno, excepto ligno, quod per anticipationem vocatum eſt *ſcientiæ boni & mali*: nutriri ergo debuerat, atque adeo actione, & reactione opus habebat, ut digereret cibum; quod ſine paſſione non fiebat: in hoc orga-

norum conflictu, ficut & in refpiratione, cæterifque humani corporis functionibus, facta fuiffet evaporatio, aliaque, quæ corporis detrimentum parere, aut indicare debuerant. Quare fanitas paulatim faltem, deperiiffet, ut ligno vitæ indigeret, ad reftaurandas deperditas vires, & humorum æquilibrium revocandum, ut cenfet D. Th. quod juvamen idem fenfiffet etiam poft lapfum, fi de eo cibo vitæ fumpfiffet, vixiffetque æternum, videlicet longo tempore, quod indicat Divina Scriptura: *ne fumat de ligno vitæ, & vivat in æternum*: Gen. 4. 22. Hæc igitur naturalis lex viguiffet etiam in eo ftatu.

Beftiæ quæ tunc aderant noftris non erant diffimiles, Leones, Tigres, Serpentes, volucres rapaces, & carnivoræ; fi namque diverfæ naturæ, & configurationis fuiffent, nulla eft caufa cur infæcundæ poft peccatum remanfiffent, atque adeo multiplicatæ fuiffent, & ufque ad hæc tempora earum propagationem experiremur. Rapaces igitur erant, dentibus, unguibus, ad difcerpendum aptis ornatæ. Quare Deus Adamum Paradifo præpofuit, ut ipfum cuftodiret, *impediretque, ne ab animantibus brutis vaftaretur*. Calm. ibi. Nihil novi accidiffe in corpore Serpentis, poft Adæ lapfum, cenfet Calmet Gen. 3. 14., quod a fortiori concedendum eft cæteris brutis, quæ non fuerunt inftrumenta, aut ocafiones culpæ.

Quod de animantibus ferocibus dictum eft, idem dicendum de plantis, herbis, oleribus noxiis, & venenatis; non ita reputandum quafi terra fpinas germinaverit nonnifi poft lapfum Adæ, quæ enim hodie nafcuntur, non genus funt novum plantarum, quafi Deus voluerit primas anihilare, aut infæcundas reddere, & novas poft creationem primarum iterato creare: ceffavit etenim ab omni opere creando, anima rationali excepta.

His conftabilitis, palam fit, Adamum non fuiffe impaffibilem, & *inexterminabilem* ab intrinfeco. Cum enim carne conftaret non refiftente fortiori agenti, ut leges naturæ præfixæ a Deo ferunt, unguibus, dentibus, & fpinis locum vulneri dediffet, caro namque ejus Ænea non erat, ac proinde fi fuper caput ipfius cæcidiffet fragmen molæ, non fecus ac Abimelechi cerebrum ipfius confregiffet *Jud.* 9. 53. nihil namque Deus de rerum naturis immutavit, ut cenfent communius *PP. Bafil. Ambr. Auguft. Theodoretus*.

Erat igitur impoffibilis ab extrinfeco, quatenus noxia ab inno-

innocuis, ſcientia perfuſus dignoſcebat fugiebatque, latebræ nullæ ipſi occurrebant; pericula prævidebat, aliiſque adjumentis ita Deus ipſum fulciebat, ut nulla res ei nocere poſſet; aut ſi in humanis, propriiſque actionibus, ut digeſtione, evaporatione, aliiſque neceſſariis aliquid paſſus fuiſſet, preſto illi fuiſſet remedium in ligno vitæ, aliiſque fructibus, & herbis, quibus humorum æquilibrium reſtitueret.

Nos minime latet plurima a pluribus dici de eo innocentiæ ſtatu, etiam in iis, quæ ſtatum naturalem, & rerum diſpoſitiones concernunt, quæ non niſi miraculoſe efficerentur, quaſi admiſſa ab Adamo culpa, orbis ſiſtema turbatum, ſubverſumque ſit. Sed, ut poſt PP., monet Calmetus gen. 2. 2. *Prodigia ſine neceſſitate ne augeantur curandum eſt maxime*: iis etenim ſine neceſſitate admiſſis facilime deriſioni infidelium religionem ſubiicimus, ut ſcite, piequa animadvertebant SS. Auguſtinus, & Thomas & præcipue cum ea prodigia naturæ, legum ſubverſionem inducunt. Erat quippe, ut nonnihil de iis rebus dicamus, fertilis, & fæcunda terra, aer tranquillus, ſerenus, concurſus nubium nullus; venti aut nulli, aut placidi, aliaque ſimilia, quibus ſtipari debuerat Paradiſus voluptatis: ſed hæc omnia repugnare non debuerant legibus naturæ, a Deo preſtitutis, quibus rerum viciſſitudo tunc, & nunc regenda erat. Paradiſus quidem ille in terra Eden ſitus inter Tygrim, & Euphratem, amænus erat, & fertilis; ſed non in eodem loco locandi erant homines naſcituri, quos certe Paradiſus ille capere non poterat: cæteræ autem orbis partes non ea fertilitate, & amænitate gaudebant, ſed pluvia, hominum cultura, cæteriſque aliis indigebant ad hoc ut germinarent ſemina, quibus Deus terram repleverat; quod legimus Gen. 2. 5. *non enim pluerat Deus ſuper terram: & homo non erat, qui operaretur terram*.

Superflua igitur prodigia reiicienda ſunt, quæ certe præjudicatis accomodantur pro libito. Reiiciendum pariter Burnelianum ſiſtema de Axis inclinatione, de equinoxio perpetuo ante illam inclinationem de montium origine diluvii tempore, aliiſque conſectariis illius imaginationis, utpote contrariis Sacris Litteris.

De Corpore Chriſti Divino, & Beatorum alia eſt ratio, ſicuti alia eſt Providentia. Palpabilia certe ſunt, & quantum attinet ad intrinſecam conſtitutionem mortalia forent niſi Di-

vina

vina providentia ab omni contrario liberarentur; quare contra aliquod ipsorum corpus explosus globus, aut sagitta non illud ivaderet, & perfoderet, non quod partes ipsius vi majoris resistentiæ vincerent explosi globi, aut emissæ sagittæ vim, pondus, & impetum; sed quia Deus, aut alio diverteret emissum globum, & sagittam, aut eorum vim retunderet, caderentque illico, nec e tormento ille exiret, nec ista ab arcu jacularetur. Similia fecisse Deum legimus in igne, cujus vim compescuit, ne pueri in camino ignis urerentur; quod accidit pariter pluribus Sanctis, qui *extinxerunt impetum ignis, & obturaverunt ora Leonis* Heb. 11. 34. Quia Deus non semel dispensavit in legibus illis naturæ, quoad aliqua particularia, quæ minus patebant, sed etiam in universalioribus, quæ mundi sistema videbantur confundere, ut quando jussu Josue retardatus fuit motus Solis, sive terræ. (ne litigemus) Quando *non fuit antea, nec postea tam longa dies*. Jos. 10. 14., & quando in morte Christi, plenilunio vigente Sol obscuratus est. Sed hæc omnia brevi tempore facta sunt ab eo, qui legibus, quas constituit, non subiicitur.

Verum in hoc Dei phantastico corpore ea prodigia, ad quæ, nisi cogente necessitate recursus puerilis est, & non semel Religioni injuriosus, non cernimus; siquidem globus tormentarius tantum spatii percurrit, quantum aer trusus in pulvere elasticitatis continet: igitur cum corpus illud immensum foret, ictum declinare nequiret, & aliquem locum vacuum relinquere; atque adeo locum daret vulneri, & partium discissioni; consequenter inexterminabilis, impassibilis, & indestruibilis non foret Deus.

Displicuit cuidam audienti quod Deus aliquando, & ad *breve tempus* dispenset in legibus physicis naturæ, obstititque dicens, quod corpora Beatorum sursum perenniter mansura sint, licet legibus gravitatis id sit contrarium: sed cogitare poterat quod forte corpora ex se ipsis gravia non sunt, sed omnino indiferentia manendi in quacumque plaga; & non nisi descendere, quod ab alio corpore trudantur. Vel tametsi gravia sint, sustineri possunt attractionibus, sicut suis gaudent Planetæ. His autem subijacere quæcumque corpora judicare rationi consonum est, ob idem motivum eas admittendi in majoribus corporibus. Quare Neutonius sperabat aliquando futurum

rum fore, ut adhibito studio, & experimentis, respective corporum attractiones dignoscantur; quod & Maignanus repudiatis vorticum hypothesibus Cartesianis, insinuaverat, docueratque.

Quid porro factum dicamus de corpore Dei Hobbesiani, si percensemus, quæ in mundo fiunt, factaque fuerunt? Quid in eo factum sit ab exordio Mundi usque nunc in pluviis, grandinibus, conflagrationibus, in Diluvio, ac tandem in diebus postremis, quando *Cæli magno impetu transient elementa, calore solventur, terra, & quæ in ipso sunt opera, exurentur*? 2. Petr. 3. 10. Hæc etenim contingere nequeunt salvo, & incolumi remanente immenso corpore, sine læsione, dissolutione & passione aliqua, quæ Deum dedeceat.

Melius itaque Spinosæ erat intima cordis sui traducere, Deum abnegare, quam Deum Corpus hujus orbis esse, cujus partes sint montes, aquæ, fæces, scarabei, & quidquid in orbe conspicimus. Melius erat Gentibus nullum asserere numen, quam Deum rapacem, sanguinarium, adulterum, maleficum venerari. Melius & erat Hobbio Atheismum aperta fronte profiteri, quam nobis exhibere Deum Corporeum, temporum injuriis subjectum, frangibilem, perforabilem, divisibilem, dissociabilem, atque obnoxium vitiis, defectibusque, quibus subjacere necesse est, corpus omne extensum, & plurimis compositum partibus; & eo magis, quo magis extensum, & majore partium numero conflatum.

§. VI.

Concluditur adversus Hobbium isthæc concertatio.

Motivum, quod adduxit Hobbium ad negandum Deum esse spiritum, illud est, quod supra retulimus, nimirum quia de spirituali substantia nullam habeamus ideam. Debuit igitur Hobbius omnia scire, de his etenim, de quibus ideam non habet, pronunciare debuerat esse impossibilia. Sed progressio hæc non est boni Philosophi, cui compertum esse debet, si *noscat se ipsum*, innumera nesciri. Blasphemare quæ ignorantur, irrationabilium pecorum est, ut loquitur *S. Petrus* 2. 2. 12. non hominum, & præcipue Christianorum; cui adeo præcipitur humilitas, & intellectus captivitas in obsequium fidei.

Ideam

Ideam ne habuit Hobbius Corporis indivisibilis; aut corporis divisibilis, quod non sit destruibile, & in suis partibus indissociabile? Contrariam his habent omnes homines: igitur *solus insanit*. Plurima proferuntur *ad ignorantiam* argumenta innumeris quæstionibus; & hoc modo processit Hobbius hac in re: sed quæ a Dei veris cultoribus, quin a veris Philosophis proponuntur argumenta sunt ad *judicium*, nimirum desumpta ex ipsis rerum naturis. Quæ autem certis, & evidentibus demonstrationibus probantur, minime dimittenda sunt, quod non omnes dificultates in oppositum dissolvere valeamus: examen præcisionis ferme in omnibus est impossibile. Solvat Hobbius hoc argumentum ex suis principiis desumptum: cogitatio sortitur conditionem materiæ; siquidem non est spiritualis: erit igitur extensa, divisibilis in partes; cumque cogitatio feratur in Cœlum, in Sinas, extensa erit usque ad ea, quæ cogitat: & similiter erit figurata angularis, rotuenda, quadrata &c. Hobbius, qui omnia coarctat in sinu mentis suæ, habuit ne ideam eorum, quæ ex suo systhemate enascuntur?

Obvium erat Hobbio, si alterius genus ab aliis hominibus non fuerit, quod cogitatio materiæ partibus convenire non potest, utpotequæ non nisi motu, quiete, extensione, soliditate, figura donantur; quibus si cogitandi virtutem acquirere possent, efficacior foret, atque nobilior, & perspicacior ea, quæ foret velocior, aut extensa magis, aut solidior; quod falsum esse, quicumque dignoscit.

Rem tandem deducamus ad materiam corporis Dei Hobbiani: quidquid Deo convenit, ejusque atributis necessario, a se, & per se convenit, & non contingenter, ab alio, aut fortuito: igitur si materiæ pars aliqua Dei cognoscit, id utique necessario ei convenit: igitur si quæ pars materiæ non cognoscit, aliquid ei in sua essentia deficit, quod necessario, & essentialiter alteri materiæ parti competit: pars igitur cognoscens erit essentialiter diversa, & alterius speciei a materia non cognoscente: aut si sit ejusdem speciei, quælibet pars corporis Dei cognoscet. Tunc autem tot erunt Dii, quot partes cognoscentes; aut erunt cognoscentes finitæ, imperfectæ, & limitatæ virtutis.

Expendimus tantummodo quædam crassiora argumenta, quibus cuilibet obviis, ad oculos commostraremus, qualis sit vir

vir iste, quem bene multi, tanti faciunt, qualeque ipsius systhema de Deo, quod neque pedestribus rationibus potest obsistere. Quantum ad me attinet, opinor nec Hobbio placuisse fabulam suam; bonus Philosophus, qui erat, probe cognoverat Deum Corporeum numen non esse; sed quia nullum reverebatur, sub speciosio prætextu, quod de Deo melius est credere, quam investigare, orbi obtrudere voluit inanem numinis umbram, ut odiosum Athei nomen a se depelleret.

Si quis autem sublimiora argumenta desideret, quibus proteruntur monstruosæ, & insanæ opinationes Hobii, Spinosæ, nonnullorum Rabbinorum, atque universim omnium Materialistarum, adeat Theologos, & Methaphysicos, qui animam hominis, & Dei substantiam spiritualem esse demonstrant. Inter hos autem non infimas obtinent Protestantes, qui toti sunt, ut illorum systhemata evertant, ad repellendam infamiam propriis sectis; quod nimirum *mali corvi mala ova* prodeant; scilicet hujusmodi monstra, ab opinandi libertate, dum neglectis, & projectis regulis ab Evangelio præstitutis, homines proprio impelluntur, & reguntur judicio. Quæ est basis sectarum accatholicarum.

PARS

PARS IV.

HObbianum systhema passibus æquis ejus latebras persequi aliorum fuit, & erit opus. Rudiore minerva id peregimus, quantum sat fuit, ut hominem personatum ostenderemus, ejusque cogitata quantum a veritate, & religione abscederent, ut omnes pudere debeat vel ipsius phrasibus uti. Jam accedamus ad probandam legum naturalium, & Divinarum necessitatem, existentiamve, ut hoc modo fatiscentem omnino ipsius doctrinam unusquisque percipiat.

CAP. I.

Qui legibus naturalibus, & Divinis existentiam denegant, recensentur.

DIfficile crediderim aliquem fuisse inter homines, qui omnem omnino legem naturæ negaverit, ut mox sumus explicaturi. Interim.

§. I.

Insinuantur, qui presse negant leges a Deo constitutas esse.

Qui nullum Numen admittunt, hi nullam legem agnoscunt, cum negent Legislatorem: Hi autem Athei dicuntur.

Ad hanc classem facile reduci possunt Spinosistæ, & quotquot negant æternam felicitatem, animæque immortalitatem, ut Sadducæi; cum etenim leges constituantur, ut homines ad æternam felicitatem dirigantur, eamque adipisci possint mediis bonis operibus, cessante eo fine, inutilia sunt media, sive leges.

Leges pariter a Deo latas pernegant Deistæ, qui nimirum unius

unius numinis supremi existentiam admittunt, sed ipsum improvidum habent, *& incuriosum humanorum actuum*. Salvian.

Fatalistæ eodem reguntur errore, casu etenim, aut fato intelligentia experte, omnia contingere arbitrantur. Hujus sectæ auctorem nonnulli traducunt Democritum, alii Epicurum, alii tandem Decæarchum apud *Lact. Instit. lib.* 13. *c.* 17. Quid de Carneade dicendum, jam vidimus sup. pag. 188. Hos omnes indigitat *Job.* 22. 13. *Quid novit Deus? Quasi per caliginem judicat, nubes latibulum ejus, nostra nec considerat*.

Inter Fatalistas universales recensetur Hobbius, quasi voluerit omnium rerum necessitatem exsuscitare. Quod nobis est certum, illud est, quod omnia licita asserit, sequens illud Epicuri, aut saltem ejus scholæ, *quod lubet, licet*. Hobbiani Systhematis imaginem legimus Sap. 2. *opprimamus pauperem sit fortitudo nostra lex justitiæ*: quæ verba sic amplificat Calmet. ibid. *voluntatis, & potestatis nostræ leges sequamur: Leges ab hominibus inventæ sunt ad id excogitatæ, ut pusillis terrorem injicerent eosque in officio continerent. Hæc omnia contemnamus; quidquid facere possumus, licet; nihil ex se vetitum, & injustum*. Vides candide Lector justitiam fundari in potentia; quod continuo repetit Hobbius. Sed qui ita loquuntur *impii, & non recte cogitantes* ab Auctore sapientiæ vocantur. *c.* 1. *v.* 16., *& c.* 2. 1. ut ita dignoscas nedum a pietate, *& justitia*, quæ *perpetua est, & immortalis*, ipsos deficere, sed & a recta mentis cogitatione, quæ duo impium faciunt non solum, sed et similem jumentis insipientibus.

Horum omnium abnegantium leges non una est ratio: alii deprimunt hominem ad conditionem brutorum, post quorum interitum nihil superest; quibus proinde nulla est necessaria, aut utilis lex. Alii vero ita hominis dignitatem extollunt, ut indignum putent aliqua dirigi, aut restringi lege ipsius libertatem. Qui recte sapiunt, et humanæ conditionis experti, et conscii sunt, extrema non petunt vitiosa semper, sed in medio tuti omnia simul pusillitatem, et nobilitatem complectuntur, legumque necessitatem tutissime adstruunt. Quam rem jam insinuavimus alibi: Illos reprobat Divina Scriptura tum Sap. c. 2. cum 20. ex persona impiorum. Hos similiter Sacræ paginæ detestantur, dum ubique inculcant humilitatem, subjectionem, et dependentiam a Deo factore omnium

nium, a quo omne bonum descendit, simulque ad legum Divinarum studium, et observantiam hominem solicitant, et impellunt.

§. II.

Leges quasdam arbitrariè stabiliunt nonnulli Ætherodoxi.

Nullus unquam fuit, ut reor, qui omnem prorsus naturæ legem abnegarit: verum, rejectis regulis, quibus humana pusillitas, et flexile, ac infirmum judicium regi debet, mirum est, in quot absurda impegerint, tum antiqui Philosophi, cum moderni Ætherodoxi, latores novarum legum. Omnes isti conveniunt in prima istarum legum, nimirum *suipsius conservatio*. Sed ita eam extendunt, ut non tantummodo naturale sit homini seipsum conservare, sed insuper commode, jucunde, et fæliciter, sine ulla prorsus molestia. Quid etenim, ajunt, prodest vivere, si infælices, et moleste vivamus? Eapropter Sckmasius, aliique bonum judicant hominis, si morte sibi intentata, a molestiis liberetur: tunc etenim, cum judicet melius sibi esse, si moriatur, eligit mortem tanquam minus malum, atque adeo bonum.

Hic auctor, ut vidimus pag. 205. rejectis rationis dictaminibus, quæ ut fallacissima damnat, solos naturales instinctus, vult esse tamquam totidem leges naturales, sequendos, itaut Tyranni dici debeant, qui alicui frui suis passionibus non permittant; quandoquidem ad moleste vivendum eum adigerent, qui ea fruitione privarent. Adverterit ne Sckmasius eos, quos instinctus naturales appellat, esse veri nominis tentationes ad malum perpetrandum? audiat Jacobum 1. 14. *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus . . . concupiscentia cum conceperit parit peccatum; peccatum . . . generat mortem.*

Usque adeo hanc regulam conservandi fæliciter semetipsum, extendunt, ut homines qui solitudinem colunt, ut Deo facilius uniantur; qui jejuniis, cæterisque pænalitatibus carnem spiritui subiiciunt, ne insolescat, et concupiscat adversus animam, reprobant tanquam noxios, et inutiles humanæ societati; quin etiam *Suicidii* accusant, non secus ac ii, qui quoti-

die

die venenum in modica quantitate fumerent, quo tandem necarentur.

Nihil adversus Hobbium proficerent hujusmodi Auctores cum ille non pro societate sed pro solitudine, et unice pro seipso hominem natum asserat. Sed meliorum Philosophorum judicia sequamur; Ciceronis qui vult homini insitum amorem in alium, in quo amare debemus naturam eamdem, qua constamus; Platonis, qui, apud Cic. Q. Fratrem, asserebat: *non solum nobis nati sumus: ortusque nostri partem patria vindicat, partem amici*; ac tandem, et aptius audiamus Spiritum Sanctum Eccl. 13. 19. *Omne animal diligit simile sibi: sic & omnis homo proximum sibi . . . omnis homo simili sui sociabitur.* Quid carpunt in his, quos derisorie appellant *animas cœlestes*. *Divinos Anachoretas*? Duo scilicet: quod legi naturæ societati pronæ adversentur: et quod proprio individuo noceant.

Quod natura desiderat non omnibus imperat, licet omnibus permittat: nunquid omnes connubii tenentur legibus? Nunquid omnes homines, doctos, Principes, excelsosque creavit? An quia nonnulli infirmi sint, et ad bonum publicum inhabiles, enecandi sunt juxta Socratis, Platonisque Remp.? Anachoretas, aliosque, quos infirmos, et inhabiles in Rep. putant, insipientes aspernantur: *Quod enim infirmum est, inutile invenitur Sap.* 2. 11. Sed tandem quid iidem impii de his hominibus, qui absconditi sine plausu vivunt, et tanquam insani habentur, dicunt. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam . . . ecce computati sunt inter filios Dei, . . . erravimus a via veritatis . . . viam Domini ignoravimus . . . . in malignitate nostra consumpti sumus . Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt*. Sap. 5.

Utilior ne fuit Reip. Magdalena in Civitate peccatrix, quam fuerit sedens secus pedes Magistri audiens verbum illius? Majorem certe partem elegit, laudabiliorque fuit Marta solicitiore. Legimus apud SS. Patres, et præcipue Ambrosium stetisse non semel Urbes orationibus solitariorum. Nullum medium oratione patentius ad Deum placandum quando iratus minatur.

Deppellerent *Suicidii* crimen a Sanctis, si vel legere dignarentur impii isti critici Divinas Scripturas, in quibus et pænalitates justissime jussæ sunt, et innumeros illarum observantiarum cultores. Moysem, Recabitas, Eliam, Joannem Baptistam,

fiftam, quin et Christum Dominum nobis exemplum jejunandi dantem. Legant Paulum suum castigantem corpus, ne reprobus efficiatur; legant PP., et vitas Eremitarum, qui relictis Patre, Matre, omnibusque Mundanis illecebris Eremos incoluere, ut Deo fruerentur. Eorum ætatem longævam si in Scriptoribus Ecclesiasticis non recipiunt, consulant Doctorem medicinæ celeberrimum Sanctorium, et addiscant, quæ cibi parvitas sufficiat ad hominem conservandum. Consulant et Samuelem Clark, qui inter Claustrales parce viventes, multo plures ad senium pertingere, quam in aliis statibus confitetur.

Hobbium satis jam exagitavimus, qui sensus humanitatis exutus alterius sui similis vitam prodigendam censet, ut commode quis vivat. Ipsum omnesque verarum legum naturæ osores inferius aggrediemur.

§. III.

De his, qui consecutione doctrinæ veras Dei leges, & naturæ negare convincuntur.

Semel ac concedatur homini a natura jus agendi quæcumque libuerit, evidens fit nihil ipsi vetitum esse, nihil jussum; atque adeo nullam existere legem. Hoc jure Hobbius ornat hominem, ut jam vidimus. Cum vero velit, nolit, dignoscat hoc jus esse in humani generis perniciem, ac etiam sui ipsius; cum unius cujusque juri pateat ut occidatur, fit manifestum illud jus, quod a natura concessum asserit, esse contra primam naturæ legem, de semetipso conservando. Quare aliam cudit legem naturæ primæ adversam, nimirum legibus frænandum esse illud jus. Cum vero impossibile sit vivere sine ulla prorsus molestia sub alieno imperio, cum *durius sit imperata facere, quam imperare facienda* Q. Curt., & aliunde vi coercere sit necesse illam dominandi cupidinem, quam ipsemet Hobbius inter consectaria opportuna recenseat, ad sui ipsius conservationem, rectissime Hobbium dicemus, qualem appellabat Tertul. Aristotilem *artificem struendi, & destruendi sibi semper inconstantem versipellem*.

Caramuel oscitans omnia licita esse homini ex ipsa libertatis,

tis, et excellentis naturæ conditione concedit, ut initio Part. III. proposuimus. Videamus nunc, an ex hoc principio legitime inferri possit legum naturalium impossibilitatem.

Bayl Auctor impii Dictionarii, nusquam legendi sine antidoto Crosartis, ut religionem Christianam funditus everteret, quod vel ipse Barbeirak confitetur, et Pirrhonismum induceret, venerabundi specie affirmat captivandam esse mentem in obsequium Evangelii, nihilque naturali rationi deferendum, quod lex Christi contra rationem plurima jubeat. Validissime autem Bayl a Christianis impugnatur hoc ineluctabili argumento.

Cum Deus sit auctor tam naturæ, quam revelationis, si revelans contraria lumini naturali affirmet, jubeatque, foret sibimetipsi contrarius. Id porro tam impossibile est, quam Deum non esse; Deus etenim aut nullus, aut unus. Jam vero simile ratiocinium expendamus adversus Caramuelem, eosque, qui ejus principiis inhærent.

Nihil homo boni habet a se, *quid habes quod non accepisti*. 1. Cor. 4. 7. *omne datum optimum a Deo descendit*. Jacob. 1. 17. Donum autem libertatis, quæ *non bene pro toto venditur auro*, illudque jus, quod Hobbius homini concedit omnia agendi, conceduntque melioristæ *propter excellentiam suæ conditionis* est quoddam bonum a Deo naturæ conditore descendens. Jus igitur necandi innocentem, Deum blasphemandi, cęteraque impia agendi a Deo descendit, non quidem a Deo bono, qui hęc omnia reprobat, vetat, et execratur in Evangelio: igitur ne Deus sibi sit contrarius? asserendum profluere illud jus a Deo malo Persarum, Zoroastris, et Manetis.

Jus, quod homini conceditur propter excellentiam suę conditionis exequi potest: omnia namque, quę jure fiunt justè fiunt. Si itaque homini conceditur jus quodlibet agendi, se ipsum occidere poterit: Hocque piaculum Stoicum heroismum erit, et excelsi animi, non vero vilis, et passioni cedentis, ut rectius censebat Aristoteles. Jam vero cum jus enecandi semetipsum sit in perniciem hominis, noverca erit, immitis natura, quæ jus dederit homini se, aliosque occidendi. Principes ellectivi jus quod habent a Rep. obtinent; quę autem Resp. tam delira, tam fatua, quę jus electo tribuat, ut cives, et Remp. destruat? Quis Princeps, nisi bardus Vassal-
lo

lo concedat ut in ipsum rebbellet, regno privet, et interimat? Aut igitur illud jus phantasticum est, aut a Deo, naturaque proficisci non potest.

Nulla causa dat quod non habet: Deus jus non habet mentiendi, semetipsum odio habendi etc. igitur hec jura homini concedere nequit. Quod naturaliter habet Divina Majestas amittere non potest, ut cum Chrysostomo loquuntur Theologi; odium in mendacium, ceterasque actiones malas habet Deus naturaliter; quippe quod proficiscitur ex amore; quo Deus amat suam veracitatem, et sanctitatem: si autem homini concederet jus mentiendi, aliaque mala opera exerendi, odium in illa amitteret, et a se depelleret.

Princeps, qui quodpiam jus agendi Vassallo concedit approbat, et sibi complacet, si illud exequatur. Deus amari vult, agnosci ut amabilis justus, misericors: si igitur jus concedit homini in omnia, sibi placebit dum homo blasphemet. *Deus non est bonus, justus, verax, misericors &c.* Placere tamen sibi nequit Deus, nisi ea quę dicuntur, aut aguntur, vera sint, et bona.

Dominium morale, quod habet Deus in homines, in eo situm est, ut eos legibus sibi subdat vetando, vel pręcipiendo. Si homini concesserit exemptionem a legibus, et jus agendi quęcumque libuerit, hoc dominium a se abdicaret, nec amplius esset prima honestatis regula. Princeps, qui etiam statutis legibus facultatem faceret subditis eas pro arbitrio violandi, non Principem saperet, nec caput imperans, sed stupidum, et voluntati subditorum obsequentem. Videant Melioristę dum leges Divinas subdunt judicio opinantis.

DEMONSTRATIO.

Ea doctrina rejicienda est, quę Deum facit sibi contrarium, et approbatorem operum, quę vetat, et necessario detestatur: hujusmodi est ea opinio, quę homini tribuit jus in omnia, ut docent Hobbius, et Caramuel: igitur etc.

§. IV.

Quid Hobbius proficere possit ex Melioristarum doctrina.

Hoc interest summum discrimen Theologos Catholicos, quos veneramur, inter, et Hobbianos sectatores, quod illi leges tum naturales, tum Divinas recipiunt, et defendunt; Hi vero omnem aspernantur, sed & hoc aliud emergit discrimen, quod Hobbiani ex eo principio *homini jus inest in omnia*, plana, & recta consecutione pessimum consequens inducunt, nullam videlicet dari legem Divinam: Theologi autem nostri principium quidem absque malo animo admittunt, sed consecutionem non prævident. Malim ego malum esse dialecticum, quam optimum Dialecticum, sed impium. Consecutiones expendamus.

Nonnisi Deus injuste ageret, si bonum, quod hominis naturæ debetur, ab eo tolleret. *Gbetius Philos. Moral. P. 2. Dial. 6. n. 2.* Jus super omnes actiones est bonum, quod homini debetur propter excellentiam suæ conditionis, ait Caram. datus; pag. 168. 169. Igitur Deus injuste ageret, si illud jus homini tolleret: tolleret autem per leges, quibus illud jus restringeret, minueret, auferret; nam leges, ut ibidem docet Caramuel, sunt juri odiosæ, contrariæ, & destructivæ. Quod autem est contrarium juri legitimo, injustum est. Si quas igitur leges ferat Deus, homini inimicæ erunt, atque fundatæ, non quidem in justitia, sed in *potentia irresistibili*, cui non poterit homo obsistere propter impotentiam, non jam autem propter defectum juris.

Actor, qui adoritur Proprietarium possidentem est civiliter injustus, quia præpedit eum, ne jure suo utatur. Hujus conditionis erit Deus, qui non sineret hominem uti jure suo. Bruta sequuntur conditionem propriæ naturæ, & vitam suo modo beatam ducunt, edunt, bibunt, nec aliis voluptatibus, ad quas capaces natura fecit, carent. Pejoris conditionis foret homo, si suas nequeat exerere, quas maluerit, actiones, cum sit conditus ut vitam jucundam, & tranquillam vivat. Sentio quidem longius progredi hoc ratiocinium, sed ducitur, quo tendit quidam Meliorista, qui non veretur asserere conditionem esse hominis, ut ambiat Dominium, hoc fine scilicet, ut

ut facilius se custodiat, & bona sua, ut tranquille vivat. Hoc stabilito cum Hobbianis principio, quid aliud dicere possumus, quam quod, leges, huic juri excellenti hominis, sunt inimicæ, odiosæ, injustæ; & eo magis pænales, & molestæ, quo voluntas, quæ libertatis amissionem pateretur, nobilior est in homine potentia: Quemadmodum molestior foret Vassallo amissio feudorum, atque aliorum bonorum, quæ Parentibus, ob illustrem prosapiam a Principe fuerant donata, ita poscente avita nobilitate, & sanguinis genere.

Intorquere itaque possunt Hobbiani in Christianos illud argumentum, quod in Baylum intorquebamus §. III. quod nimirum Deus sibi foret contrarius, si constituto in homine jure in omnia, legibus illud jus auferret.

Quod vetat Deus odit, & execratur: vetat Deus mendacium; illud igitur odit, & execratur: Inintelligibile porro videtur, quod Deus dederit, (quod autem Deus donat, approbat) jus mentiendi, tanquam bonum excellens homini, & mendacium oderit. Quis Princeps Vassallo dederit jus gladii, utendi curru, arma ferendi, velit tamen ipsum punire pæna mortis, si gladio, curru, & armis utatur? Oderit Deus, necesse est, dona sua collata homini propter excellentiam conditionis humanæ; aut inconstans, tollens, quod dederat; aut invidus humanorum juribus.

Homo liber esse debet; nascitur sine propria culpa; Quidquid natura ipsi concedit bonum est, & excellentiæ humanæ convenit: igitur & lex esse debet, & sibi lex: Ita Hobbius, & quicumque alius homini concedens jus in omnia: omnis lex odiosa est, & pænalis, eo ipso quod excellentiæ suæ naturæ obsistit, & bonis sibi collatis privet. Quis igitur Deus pænam imponat naturæ, & libertati innocenti? Repellendi itaque quotquot adversantur libertati, & juri humano. Leges, quas inculcant hostes sunt humanæ felicitatis, immensas procurant angustias conscientiis, comites semper infelicitatis, a qua, ita Deo naturæ donante, & volente hominis natura, summo conatu refugit.

Hi sunt mali frutices doctrinæ concedentis *homini jus in omnia*. Hujus opinionis fautores Hobbius, Tommasius, aliique hujus generis, considerant hominem in eo statu, quo nascitur: cum autem nascatur liber, libertatem etenim natura habemus, qua homines, non Bruta sumus, potestatem faciunt

omnia

omnia quæcumque libuerit, agendi: Jam vero cum vehementissima propensione homo feratur in vitam fælicem, & diuturnam, atque a molestiis omnino liberam, arbitrati sunt nos metiri debere jus naturæ ab ipsa hominis conditione; ea propter justum, vel injustum dici debere, quod indoli hominis consonat, vel adversatur; sive justum quod utile, injustum, quod noxium. His autem opinationibus totis lacertis resistere debent omnes veri Christiani.

DEMONSTRATIO.

Illud principium rejiciendum est, ex quo sequitur, aut vires acquirit Hobbii impia doctrina: Hujusmodi est illud: *Homo nascitur cum pleno jure, & dominio super omnes suas actiones*: igitur &c.

CAP. II.

INquirimus hoc capite num homo illex nascatur: pro qua re enucleanda animadvertendum est: quod libertas est facultas agendi quidquid libet: si physica sit ab omni cogente abhorret; si moralis omnem refugit legem: finitur etenim facultas agendi quod *vetitum non est*: sive facultas a lege exempta.

Exemptio autem a lege trifariam contingit; nimirum quia lex non adest: vel quia Legem ferens jurisdictione caret: vel quia ob privilegium subditus non obligatur: Privilegium namque dicitur, *jus privatum indultum a Principe contra jus commune*.

Cum exemptione minime confundenda est excusatio, quam quis meretur, si legem non observet. Dives non eximitur a lege eleemosinæ, sed excusatur si non tribuat gravi necessitate presso, dum necessitatem ignorat.

§. I.

Homo illex non nascitur, sed subditus.

Dum viget in superiore dominium, & in inferiore subjectio

jectio (Privilegio excepto) nulla est libertas a lege . Deus Dominus est universorum , & omnia ei subjecta sunt : subditur homo Deo *physice* , nimirum legibus naturæ moderantis orbem ultra quas agere non potest ; nec etenim leges staticæ , aut alterius generis potest perturbare . Subditur moraliter , quatenus tenetur Divinæ voluntati parere , & obsequi : voluntas autem Dei ipsa lex est .

Lex naturæ nobis innascitur , sive ea imprimatur , sive sit ipsa ratio hominis , participatio legis æternæ , ut tricas evitemus : Homines sibi metipsis sunt lex , quia legem interius continent : *Gentes , quæ legem non habent* (scriptam videlicet) *naturaliter ea , quæ legis sunt faciunt ; ipsi sibi sunt lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis* . Ad Rom. 2. 14. Sicut igitur ratione non caremus dum nascimur , licet ipsius usu præpediamur ; ita neque lege .

Voluntas , qua *Deus vult omnes salvos fieri , & omnes ad agnitionem veritatis venire* 1. *Tim.* 2. 4. pro omnibus præparat media, quibus possit unusquisque illum finem consequi : Inter hæc media potissimum est lex , quæ proponit Deum tanquam summum bonum colendum , amandumque . Lex autem isthæc generalis est , & pro omnibus ; sicut voluntas illa omnes salvandi .

Feræ nascuntur liberæ , non quidem physica libertate, necessitate etenim coguntur individuis judiciis , sed morali ; nec etenim Deus in ipsas morale dominium exercet , leges imponit morum ; cum non ad aliquem finem ordinaverit , ad quem obtinendum morum probitas sit necessaria . Homo autem quia libertate physica donatur , deficere a suo fine valet , & a tramite justitiæ , regulis , & legibus , ne labatur , regi a Deo debet . Liberum igitur facere hominem a legibus est ipsum comparare jumentis , jugum excutere , & a Deo rebellare , quod est intollerabilis superbia : *Vir vanus in superbiam erigitur , & tanquam Pullum Onagri liberum se natum putat* . *Job.* 11. 12. est igitur arrogantiæ Hobbesianæ hominem liberum facere a legibus , dum putat hominis excellentiæ favere . *Optimum animalium* , ajebat Aristoteles , *homo lege fruens* : *pessimum animalium a lege separatum* . Quod propter vilem conditionem Bruta obtinent hanc a legibus libertatem , nos dabimus homini propter excellentiam suæ conditionis ? Si felices, & beati sunt possidentes , fælices Belluæ , & eo fæliciores, quo legi-

legibus subdi incapaces, nullis odiosis exceptionibus ab hac possessione libertatis deturbari possunt.

§. II.

Per baptismum homo nascitur subditus legi Evangelicæ.

Quemadmodum per Adam primum nascimur *filii iræ*, ad Ephes. 2. 3. subditi legi pænali mortis; ita per Adam secundum renascimur filii adoptionis, filii lucis, filii Sponsæ Christi, filii legis libertatis, & charitatis. Liberamur quidem a potestate, & captivitate Dæmonis; sed quia liberior est anima, & prætiosior libertas est, quo Deo est subjectior, subditi legibus Christi vocamur in sortem filiorum, itaut filii Dei nominemur, & simus. Dum sumus usus rationis incapaces a legibus excusamur, at non sumus extra legem, seu exleges, & extra Christi societatem, in quam vocati sumus, & consignati per lavacrum regenerationis.

Si porro leges odiosæ sunt, & juribus, ac hominis excellentiæ præjudicant, oberit nobis baptisma. Verumtamen cum eo nobilior sit homo, quo carior Deo, cujus judicium, de rebus judicandis, falli nequit, & eo carior, quo Deo magis unitur, legibusque ipsius subjectior, propter ipsam eamdem hominis excellentiam, necesse est, ipsum Divinis legibus subdi.

§. III.

Quorum actuum homo dominium habeat.

Infideles, qui Fato hominem subiiciunt, nullum veri nominis jus super actiones proprias asserunt, sed omnia concludunt sub Fati necessitate præstituta; tametsi aliquid discriminis intercedere arbitretur, si non fallitur, Leibnitius explicans Fata Stoicum, & Turcicum. Christiani, qui gloriantur subesse Divinæ Providentiæ omnia fortiter, suaviterque sine læsione libertatis, moderantis, hominem liberum agnoscunt; nimirum facultate præditum, qua quidquid sibi possibile est facere valeat, prout libuerit. Ast si libertatem moralem cum physica confundere voluerimus, rem tenebris arbitrarie involutam, nusquam enucleandam tractabimus,

Ad

Ad libertatem pertinet potestas agendi; sed hæc ad veram libertatem non sufficit. Bruta, quæ faciunt, facere possunt; & quandoque ita sagaciter, ut hominem imitari aut superare videantur, ut acute notat Lactantius; furantur, occidunt, discunt capere prædam, homines devorare, viduas facere, & civitates in desertum adducere Ezech. 19. Nolint Hobbiani a Brutis jura metiri; nullo etenim potiuntur; sed sub jure, & pedibus hominum sunt subjecta Gen. 1. 28. non igitur jus est homini furari, aut aliud contra legem Dei peragere, eo quod possit adversus Dei dominium rebellare, & ipsius voluntati resistere.

Jus mala faciendi homo non habet a Deo, cui nullum jus istiusmodi est. Si igitur verum jus est, & bonum excellentis naturæ a se habebit homo, tanquam a primo principio bonorum. Non potestas igitur & excellentia hominis dicenda est hæc facultas malum faciendi, sed miseranda conditio hominis infirmi, defectibilis, sicut in suo esse, ita in operando; stimulus est concupiscentiæ, quæ ex Patre *non est* 1. Jo. 2. 16. Libertas autem a Deo est, a quo omne donum descendit.

Beati nihil detrimenti in suis excellentiis patiuntur, dum regnum Cœlorum adipiscuntur, sed eo summo bono, quo perfruuntur omnia perfectissima evadunt; nec tamen peccare queunt. Deus ipse tametsi omnium jurium, & Dominiorum Supremus Dominus ac perfectissimæ libertatis, qua omnia quæcumque vult facit in Cœlo, & in terra, peccare nequit. *Posse falli, posse mentiri non est potentia posse, sed impotentia*, ajebat D. Anselm., quæ Deo proinde non inest. Quod claudus claudicet non est virtutis animæ sed vitium organi.

Si Hobbius Evangelium non audit effrenem illud jus homini concedendo, audiat saltem ethnicos. Tullius affirmans nihil esse magis homini proprium, quam aliis benefacere, id deducit ex ipsa hominis natura: *Detrahere alteri sui commodi causa, magis est contra naturam, quam mors. Hoc natura præscribit, ut homo homini ob ipsam causam, quod ipse homo est, consultum velit. Hoc multo magis exigit ipsa naturæ ratio, quæ est lex Divina, & humana; cui, qui parere velit (omnes autem parebunt, qui secundum naturam volunt vivere) nunquam committat, ut alienum appetat .... si nihil æstimat contra naturam fieri in hominibus violandis, quid cum eo disseras,*

feras, qui omnino hominem ex homine tollit? Cic. de Offic. l. 3. c. 3. alibi idem Tullius dixit: *Eadem natura vi rationis hominem homini conciliat ad vitæ societatem; Leges ab ipsa naturali stabilitate originem trahunt, atque ne cuipiam injuria fiat appetitum conpescunt.*

Hobbius, qui homini hominem Lupum facit, hæc secum met unquam disputavit, investigavit, didicit? Si rationem sequimur, amamus in nobis, quod nobilius est, nimirum naturam rationalem; cur non amemus in cæteris, quod optimum in nobisimetipsis experimur? Sed cur hæc miramur in Hobbio? Hæc Ciceronis, aptius dicam, Evangelii principia meditantur illi rei moralis tractatores, qui ob vanidam honoris umbram, ne dum irasci, & occidere permittunt, etiam post quam Roma locuta est? Hanc sanguinariam, & mansuetudini Christianæ doctrinam adversam pudere nusquam debet.

Ex his prætactis, ampliorem etenim declarationem isthæc res expostulat, satis concludere possumus, jus in malum agendi nullum inesse homini.

§. IV.

Ad quas actiones jus habeat potissimum homo.

Cum Deus sit primum principium bonorum omnium, ab eo petendum est exordium nostrorum jurium. Num vero concedantur nobis consonè ad nostram naturam, ex ipsa concludendum. Jam vero.

Quidquid Deus homini concedit, ordinatur in ipsius Dei gloriam, ita ut omnibus uti debeamus tanquam mediis ad hunc finem. Jus autem faciendi mala, puta Deum odio habere, abnegare, exerari, non foret in gloriam Dei. Princeps qui populorum bonum prospicit, & decorem Principatus, facultatem faciens arma ferendi, non dat subditis jus ea vertendi in sui ipsius perniciem, & ad rebellandum. Non igitur jus malum agendi a Deo provenit: quare homo in actiones malas nullo jure potitur.

Inoculavit Deus naturæ hominis vehementissimam inclinationem in ipsum Deum; cum etenim unusquisque natura felicem esse ardentissime concupiscat; & humanum cor solo summo bono repleri, & satiari possit, fit inde in ipsum totis viri-

viribus ferri. Hinc sub Magistro Augustino Theologi sentiunt omne peccatum esse contra naturam rationalem: *Homo quid contra naturam facit, nisi quando peccat?* Quia nimirum avertitur ab eo bono, ad quod natura impellente, sponte convertitur. Porro vero isthæc inclinatio cassa, inutilis, & evanida foret, & iners; nisi jus haberet homo in media, quibus satiari posset: media autem hæc sunt actiones virtutis, quibus summum bonum suumque finem optatum adipiscitur homo. Excellentia igitur rationalis naturæ expostulat, ut sibi concedantur ea jura, quæ ipsi consona sunt, & utilia, non autem, quæ contraria sunt, & noxia. Qualia profecto forent agendi contra propriam indolem, & naturam.

Hoc adeo verum est, ut supposita elevatione hominis ad statum super naturam, ei debeantur auxilia, quibus acquirere possit æternam felicitatem, nimirum ipsummet Deum tanquam præmium & mercedem homini bene illis auxiliis utenti debitam ab ipso Deo justo Judice 2. Timot. 4. 8. non haberet autem homo jus in finem nisi jure in media donaretur; nec posset Deus hominem reprehendere, & damnare nisi mediis instruxerit, quibus bene agere posset; & præstitutum sibi a Deo finem obtinere.

Rectitudo naturæ, in qua Deus creavit hominem propria ipsius facta est, & hæreditas; quam propterea conservandi jus habuit, haberetque, nisi in Deum peccando, rebellasset. Rem finiamus: Deus jus habet homini imperandi, ut eum diligat, obsequatur, & ei inserviat. Jus nullum haberet, si homo impotens foret ea exequendi: impotens foret si mediis careret, quibus sibi possibile fit: habet igitur homo jus in ea media; atque adeo jus ad eas exerendas operationes, quibus officiis suis satisfacere oportet. Non sic autem in eas, quæ suæ felicitati obsistunt: Deus namque, qui omnia propter se ipsum creavit, jus facere nequit, ut dona, quę tribuit homini, in injuriam creatoris convertat. Quare consequenter jus tribuere nequit in actiones malas, & a summo bono avertentes.

§. V.

Duplex homo in homine secernitur.

Viam nobis sternit Apost. Hebr. 4. Loquens de verbo Dei

declarat in homine duo secerni , videlicet animam , & spiritum , nimirum passiones , & quidquid ad hominem carnalem, & animalem pertinet ; & spiritualem hominem , videlicet rectam rationem sectantem ea , quæ sunt spiritus Dei . Ille homo vetus, carnalis , & animalis regitur illa triformi lue , ut declarat S. Jo. 2. 16. *Omne, quod in mundo est , concupiscentia carnis est , concupiscentia oculorum , & superbia vitæ* .

Hæ concupiscentiæ luctantes adversus spiritum solicitant ad legem Dei infingendam ad sensibus indulgendum , ad avertendum cor a summobono . Qui infeliciter his regitur, quærit , quæ sua sunt ; seipsum amat , & prætert usque ad contemptum Dei ; dominari cupit, subesse refugit , omne legis jugum excutere conatur , atque a solida , & Christiana abhorret virtute .

Econtra , homo , qui secundum spiritum vivit , charitate flagrat, humilia sectatur, virtutes amat ; uno verbo Christum imitatur , qui venit in mundum , ut exemplum nobis esset ad sectanda, non quæ sunt mundi , sed quæ ad patriam nostram nos dirigunt , & perducunt . Porro in regno morali, si hominem considerare velimus, sub hac duplici facie cogitandus venit ; cum alio modo, & præcisus a legibus Divinis, ad quarum normam honestas, & inhonestas moralis desumitur, ad moralem statum non pertineat , sed ad phisicum . Quo in statu nihil habet nisi Corpus , animam , & phisicam potestatem agendi ; nusquam vero dominium , & jus ; & consequenter ejus actiones nec bonæ moraliter , nec malæ sunt . Sed inquiunt Hobbiani , cæterique contra quos agimus: nos præscindimus a revelatis , & Dei , aut naturæ legibus ; & hominem pensamus in suo esse , & potestate agendi .

§. VI.

Præcisio Hobbiana perniciosa est religioni .

Homo præscindens a legibus Divinis nec est, nec esse potest in rerum natura , sed in sola cogitatione : reapse namque leges Divinæ latæ sunt : si igitur actiones hominis illis sunt dissonæ, inhonestæ erunt , ad quas nullum jus habet homo , cum nascatur subditus Creatori, & legislatori suo .

Præadamitas ejeramus ; universum humanum genus ab Adamo

damo derivamus. Hic legibus subditus creatus est; consequenter, & omnes. Fabulosas societates metu Bestiarum adunatas, legibus præcise humanis constitutas, & rectas omnes historiæ post diluvium reiiciunt. Ante diluvium nullum vestigium, tametsi credere vellemus Sanconiatoni. Legibus igitur, & quidem Divinis, onini tempore subjectus fuit homo.

Actiones aut eliciuntur ab homine recto, & secundum rationem dominatricem operante; aut ab homine animali ambulante post concupiscentiam suam, & rectæ rationi obsistente. Si ab homine animali eliciantur, erunt rationi dissonæ; si dissonæ, deformes; si deformes erunt alicui regulæ contrariæ. Non profecto præcisè rationi; nam hæc non est prima moralitatis regula, alias foret Deus in linea morali; igitur alicui legi: homo autem, sive ratio lex esse non potest: lex siquidem est ordinatio Superioris in subditos: homo autem, sive ratio nec sibi superior, nec sibi subditus: igitur jam confectum habemus, quod præscindere nequimus a legibus, seu regula moralitatis.

Si hominem spectemus organice operantem, impossibilis est præcisio a legibus phisicis fluidorum, gravium &c. tunc etenim hic homo loqueretur, ambularet, ageret sine musculorum, ossium, fibrillarum motu, quod sapit chimæram: Igitur nec pensare possumus hominem jure, & honeste agere præscindendo a legibus moralitatis, & honestatis.

Non potest homo considerari possibilis præscindendo a Divina potentia, sive natura, quæ radix est possibilitatis creaturæ. Absonum est hominem considerate, in quo nihil Dei resplendeat, nimirum creantis, regentis, conservantis: quia Deus est prima causa existentiæ hominis: igitur nec splenderet in homine sic operante, ratio summi boni, ultimi finis, & primi principii honestatis. Homo igitur ita inspectus foret homo Philosophicus, ejusque actio rationi dissona, *peccatum philosophicum*, contraria adeptioni finis hominis, & non foret contra Deum. Id autem est præscindere etiam a ratione, quando quidem si ratio non sit prima honestatis regula, homo ita, cum hac præcisione, operans, a quacumque regula præscindere debet, ut ejus operatio inhonesta non sit. Erit igitur ejus operatio pure animalis. Sed cujus animalis? Bovis? Leonis? aut animalis in genere, & idealis? Conficitur ergo hujusmodi præcisiones vanas esse, quin et subdolas. Innuunt etenim aut possi-

possibile esse; nullam existere legem, quasi aut non necessariam, aut Deo arbitrariam, aut revera non esse, quod necessarium est asserere, si actiones hominum pensare debeamus indifferentes; quod est fundamentum Hobbianæ doctrinæ. Sed ne dum illæ præcisiones a ratione præscindunt, & revelatione, sed utrique contrariantur. Siquidem contrarium supponunt rationi humanæ, ut mox vidimus, sed & revelationi ut statim demonstramus.

Sub his præcisionibus asseritur licitum, honestum, & factum jure descendente ab ipsa naturæ humanæ excellentia, quod a revelatione judicatur, & damnatur ut injustum, & inhonestum. Tollitur subordinatio hominis ad Deum tanquam ad primam honestatis regulam; Homo illex fit. Leges naturales abnegantur, ut fiat licitum homini mendacium, odium Dei, blasphemia, & quodcumque aliud piaculum: cum tamen a revelante Deo damnentur, & vetentur, adeo ut homo ipse, etiam sine verbo Dei scripto, si ratione utatur mala esse cognoscat, ut diserte declarat Apost. ad Rom. 2. 14. quod lumen nisi sequatur homo, etiam Gentilis injuste veritatem detineat. Cui igitur homini favent hæ præcisiones; hæc actionum indiferentia; hæc naturalis libertas, nisi Civi Babylonis, homini corrupto, & Deo, rationi, & honestati contrario? abominanda igitur hæc doctrina utpote contraria rationi, & revelationi, vel saltem piarum aurium offensiva, & ab omnibus, qui recte sentiunt, detestanda.

§. VII.

Jus quod explicavimus §. III. & IV. profert veræ libertatis ideam.

Postquam homo a Deo descivit, passiones jugum servitutis excutierunt, rationi rebellantes: homo spiritualis in sua libertate domitus evasit: homo vero carnalis vegetior & liberior. An ne post peccatum hominis excellentia crevit, quod ad malum liberior sit effectus? Cui igitur juri leges opponuntur, nisi juri hominis carnalis, animalis, & corrupti? Excellentiam libertatis homo a Deo accepit: libertatem, sive jus peccandi non a Deo, sed a seipso, & tanquam a radice, a suæ naturæ defectibilitate, & limitatione. Leges favent ve-

veræ, & excellenti libertati, libertati peccandi obsistunt: Isthæc igitur libertas, & jus ad omnia perpetranda vera, & digna homini, libertas non est. An liberior Adam peccator, Adamo innocente?

Quo impotentior est homo ad resistendum alteri, & perficienda ea, quæ sui juris sunt, eo subjectior est, & minus liber: Potestas etenim agendi facillime, & liberrime, ea est vera libertas: *Quid est enim libertas*, inquit Tullius Paradox. 5. *nisi potestas vivendi ut velis? Quis igitur vivit ut vult? nisi qui recta sequitur . . . . qui legibus quidem non propter metum paret . . . qui nihil facit nisi libenter, & libere . . . igitur omnes improbi servi . . . . . an ille mihi liber, cui mulier imperat? cui leges imponit, præscribit, jubet, vetat quod videtur? Qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? Poscit, dandum est, vocat, veniendum, eijcit, abeundum, minatur, extimescendum. Ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum appellandum puto*. Quod sapientissime asserit Cicero pluribus exemplis comprobat, commonstratque veram libertatem inesse tantummodo ei, cui passiones non dominantur, facitque facilime, quod ratio, & leges imperant. Et merito. Quandoquidem quo passiones fortius impellunt, eo majorem dificultatem experitur voluntas, & majore indiget Dei auxilio ut eas compescat, & faciat, quod faciendum est contra legem membrorum: igitur vera libertas hominis non est sita in facultate faciendi malum, sed agendi, quæ recta sunt: quare laconice dicebat Chistus Dominus Joan. 8. 34. *Qui facit peccatum servus est peccati*.

Puriorem fontem adeamus, videlicet Apostolum: Conqueritur quod passiones qnandoque illum impellunt ad faciendum quod voluntas recusat, *quod nolo malum hoc ago*. Rom. 7. 19. condelectabatur quidem legi Dei secundum interiorem hominem, sed vim patiebatur a lege membrorum repugnante legi Dei; & ita vehementer angebatur, ut se infelicem putaret, optaretque liberari de corpore mortis. Libertatem igitur plenam, & solutam omnino non experiebatur propter vim, quam patiebatur a passionibus, ab Angelo Satanæ, contra quem habebat luctam.

Loquens etiam idem Apostolus de Virginitate manifeste prodit non omnibus inesse expeditam voluntatem, & potestatem

tem servandi virginitatem suam, quibus contulit tanquam melius *nubere , quam uri* . 1. *cor*. 7. 9. Passiones igitur veram libertatem non augent , sed minuunt . Homo autem spiritualis , & qui jam passiones , per Dei gratiam edomuit , liberior est , & dilatato corde , ac diffusa charitate in corde currit viam mandatorum , & Deo unitur liberrime . An æque liberum dicemus Augustinum passionibus irretitum , quando conabitur , & ferme nequiOat exire a laqueis , ac quando victrice gratia Dei æstuabat amore , et perfundebatur delectatione cælestium veritatum ? Arbitrium experiebatur idem S. P. eo liberius esse , quo Deo magis subjectum .

Hinc recto inferendum est Hobbium , aliosque abuti nomine libertatis , et suis opinationibus favere nimis homini carnali , corrupto, et veteri , quo expoliari jubemur , ut novum secundum Deum , induamur . Meditentur quæso , qui præcipites , opiniones docent ita liberas , non prescindere modo a revelatione , sed contraire , et opponi . Passiones si dominantur , libertas animi inservit, *desideriis* , *& voluptatibus* . Tit. 3. 3. Non erant certe liberiores sanctis , infelices illi , qui per subtractionem gratię traditi sunt passionibus ignominię, ut facerent ea , de quibus dicere pudet . Si excellentia naturę exposcit jus faciendi , quę passiones suggerunt , eo excellentiore prerogativa donati a Deo forent , quo liberiores omnia prata ignominię pertransissent . Id vero affirmare foret ne pure a revelatione prescindere , an non potius insanam profiteri doctrinam ?

Prescindendo a revelatione contraria dicemus misteriis Trinitatis , Incarnationis , Virginitatis Beatę Virginis, carnis resurrectionis, aliorumque, et Antichristiani erimus : creaturas affirmabimus ęternas , et casu plures prodiisse , quod Epicureismum inducit . Quod si etiam a ratione prescindimus , qua recte docemur , malum esse , quod rectę rationi opponitur, ad conditionem accedimus Brutorum , cum sola ratio , sive Religio , ut ait Lactant. discrimen sit hominem inter , et Bruta .

CAP.

CAP. III.

Quid sit Leges esse odiosas.

ODium est affectus animi voluntate aversantis id, quod præeunte imaginatione videtur, & cogitatur malum. Id autem recta imaginatione malum videtur, quod imaginanti dissentaneum, adversum, noxium, & perniciosum. Huic autem malo resistendum. Erit autem quidpiam optandum, favorabile, & amandum si bonum agnoscatur. Illud etiam erit odiosum, quod violentum, & vim faciat cogitanti, qui proinde resistat: Violentum namque illud a Philosophis dicitur, quod inclinationi opponitur, passo non conferente vim sed resistente, & reluctante. Quidquid igitur inclinationi non resistit, sed vires addit, adjuvat, & ad bonum promovet, non violentum, & odiosum dicendum est, sed favorabile. Odiosus est Actor in Civili foro, quod vim intentat contra bonum possidentis; favorabilis autem ea regula est *melior est conditio ec.*

§. I.

De legum Civilium necessitate.

Leges pro Communitate feruntur, quod nusquam Communitas perfecta supponatur. Ea propter, ut malis, qui in majore sunt numero, remedium leges præscribant, & bonis coadjuvent, traduntur populo. Proclivitas autem ad malum non ab ipsa rationali natura promanat; siquidem illa ad unum tendit, in quod omnia vere bona adunantur, sed ab hominis corruptione, postquam, solicitantibus passionibus, homo in plura dispergitur, dum per consensum ab uno, quod est principium honestatis, avellitur. *Leges factæ sunt*, inquit Isidorus, *ut eorum metu humana coerceatur audacia; tutaque sit inter improbos innocentia, & ipsis impiis, formidato supplicio refrænetur nocendi facultas*. Et hæc quidem vera sunt de legibus pœnalibus.

Universim leges statuuntur ob animorum conjunctionem, tranquillitatem, & pacem. *Hoc spectant leges, hoc volunt inco-*

 lumen

lumen esse Civium conjunctionem, quam, qui dirimunt eos morte, exilio, vinculis, damno coercent. Cic. de Off. l. 3. cap. 2. Ab initio *leges non erant*, scilicet humanæ, nec Reges erant; *sed cum inops multitudo premeretur ab his, qui majores opes habebant, . . . leges sunt inventæ, quæ cum omnibus eadem voce loquuntur*. De off. l. 5.

Formam legum constituendarum, earumque plurimas Gentes ab Hebræis accepere; Moyses namque sicut omnium primus Scriptor fuit rerum memorabilium, & majoris momenti, ita & Legislator, quidquid post Herodotum blaterent Marsamus, & Prado, cæterique defensores Sanchoniatonis, cum tamen ab Hebræis ipsum accepisse vel ipsemet Porphyrius fatetur apud Euseb. l. 1. præp. c. 9.

Male, arbitror, Jaconum, ejusque Simiam intulisse non competere Episcopis jus dicendi, sed puri arbitrii, & consilii; eo quod ab initio dum Ecclesia a Tyrannis vexaretur, nec tuto consistere possent Episcopi, jus non dicerent, aut sententiam ferrent pænalem vel Civilem in his, quæ ad forum Ecclesiæ pertinere dicuntur: siquidem probaret, nec Reges, nec Magistratus jus habere dicendi, quod, ut ajebat Tullius loc. mox cit. non existentibus Regibus, legibusque populi *ad unum aliquem virtute præstantem confugiebant*; ab ejus autem consilio, & arbitrio recedere fas erat, & ideo *leges sunt inventæ*. Cum autem plurima sint, quæ ad Forum Sæculare pertinere non dicantur, exemplum dante Constantino, cæterisque Catholicis Regibus, & aliunde ut pœnis impiorum audacia coerceatur, conveniens erat, adjuvantibus etiam Principibus, ut Forum Episcopi obtinerent; ea tamen conditione ut bonum commune, & Reip. tranquillitatem adjuvent, & foveant.

Si iis, quæ Cicero referebat de causa inventionum legum, addamus hominum proclivitatem ad malum, earum inconstantiam judicii: fallibilitatem, & voluntatis flexibilitatem manifesta fiet legum necessitas, ut contineantur in bono, a malo avertantur; quibus duobus mediis totus conficitur boni communis status, & perennitas.

§. II.

§. II.

Num leges naturæ, & Divinæ odiosæ sint.

Advertimus supra, quod id odiosum sit, quod & simul violentum: non continuo tamen quod violentum est, est odiosum. Belluas ligant homines, eisque violenti sunt, sed non sunt odiosi, quia Belluæ nullo potiuntur jure resistendi, cum sint sub hominum dominio. Cum autem homo sit sub jure, & dominio Dei nulla lex Divina potest esse homini odiosa, quod homo jure privetur Deo resistendi, tametsi potestatem habeat phisicam agendi adversus legem; quemadmodum, & Bestiæ adversus hominem. Furioso violentæ sunt funes; puero fasces; Egroto brachii amputatio, sed tamen actiones illæ violentæ, quibus ita aguntur odiosæ non sunt, sed charitatis, prudentiæ, & misericordiæ sunt opera, a quibus sanæ mentis homo abhorrere nequit: Judicando de rebus, id quod potissimum est, norma esse debet gerendarum: porro in his potissima est cura, & optimus status Furiosi, pueri, & Egri: quidquid ad illum optimum statum eorum conducit, ipsis bonum, & utile censeri debet, non odiosum, odibile, noxium, & fugiendum.

Carnis lucta adversus spiritum, & vicissim, rem nostram mirum in modum declarat. Passiones adoriuntur rationem, ut captivent, subjugent, & servire faciant peccato: resistit ratio Divinam legem considerans; gratiam a Deo resistendi poscit, obtinet, & victor evadit. Quæso quidnam dicendum odiosum homini? Quod ei favet, quod ei utile, quod ipsum santificat? numquid odiosa gratia Dei? Spiritus Sanctus, qui diffunditur in cor? lex Divina, quæ hominem a peccato retrahit, sanctum facit, dominium passionum constituit, inimicos domesticos compescit, domat, prosternit? Fateamur ingenuè. Lex odiosa est homini carnali, & corrupto, sed favorabilis, optabilis desiderabilis *super millia auri, & argenti; dulciorque super mel, & favum ps. 18. 11.* homini scilicet viventi secundum rationem.

Redemptor noster venit mittere gladium adversus passiones; his est odiosus: venit, ut homines *vitam habeant & abundan-*

dantius habeant, his qui ejus beneficio fruuntur non odiosus est sed totus *desiderabilis*. Judæi odiosum habebant, quia legem promulgabat, qua eorum mores dearguebantur, ajebant impii Sap. 2. *sit fortitudo nostra lex justitiæ*, en Hobbianam Doctrinam, nihil justum nisi quod Principis lege præcipitur; Jus autem ad Principatum est fortitudo, & potentia. *Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris*. Sed quomodo contrarius, & odiosus, nisi quia lege redarguit ipsorum opera? *redarguti a lege quasi transgressores*: *Jacob. 2. 9. Gravis est nobis*. Quid autem istud est *gravis est nobis*, nisi quod vulgo dicitur gravis est lex, odiosa, contraria juri nostro, restringit, & obsistit libertati?

Jam vero si gravis, & odiosa est lex, naturalis quidem, quæ hominem dirigit juxta propriam rationis naturam, ne in dissona propriæ excellentiæ ruat gravior, & odiosa magis erit lex Evangelii, quæ ad perfectiora impellit; ad actus obligat sublimiores, difficultatesque majores superare jubet, utpote quæ naturam ad superiora transfert, urget, & magis opponitur cupiditati, sive libertati, quam Hobbiani exaltant. Si autem odiosa lex, odiosa erit & gratia sive excitans, sive adjuvans, quæ legem intimat, & cum ipso homine implet, odiosa proinde fides, quæ captivari mentis libertatem in judicando jubet: odiosa Sacramenta, quæ legem promovent: Odiosus Christus Dominus, qui legem condit, intimat, jubet, objurgat, minatur, ut acceptetur, impleaturque. Odiosus tandem Deus, qui nos legibus gratitudinis ligat, quia nos creavit; charitatis, quia est summum bonum, nos beneficiis cumulat, pro nobis Filio suo non pepercit, ipsius sanguine agni animas nostras redemit, lavavit, & in partem Filiorum tanquam cohæredes Filii sui effecit consortes regni sui. Repellenda itaque totis conatibus lex utpote odiosa, perniciosa juri libertatis, qua, propter excellentiam nostræ conditionis a natura donamur, ac propterea repellendus Legislator Deus, ut actor importunus, & contra fas, & jus aggressor possessionis, quam nobis benefica mater natura dedit. Hæc blasphæmiam ne audiunt? Adhæsimum ne sapiunt, mi Hobbi, mi Skalgir?

Usque adeo invaluit hoc proloquium *Leges sunt odiosæ*, ut existimavit nescio quis apud Caramuelem, Baptismum privilegium

vilegium esse, non autem lege nos teneri, cum privilegia non gravent. Si igitur lex adsit Baptismi gravis, & odiosa foret? Assertio hæc Anabaptismum redolet; sed quid redolet opinio negans legem diligendi Deum intimo cordis affectu? Sint ne decori Christianæ Religioni dicat R. Monseca: ad religionem nos trahere tentant, quæ hominem a Deo diligendo avertit. En quid tandem prosit libertas opinandi. Sed si odiosa lex, quia cohibet hominem ab operando quod dissonum est, odiosa erit unio Hypostatica, quæ cum faciat juris Verbi humanam naturam eam ita regit, ut peccare nequeat.

Lex quidem, inquit August. in ps. 118. c. 5. est *adversarius noster quamdiu ab ea recedimus; tunc etenim obmurmurat, improperat, redarguit, & media conscientia, tanquam animæ Pedagogo reprehendit, & flagellat*. Hæc ignominiam peccatorum nostrorum prodit, & pandit. Ipsa est, quæ in die Judicii accusabit, damnabitque legis fractores. At dum cum ea concordamus, *qui erat adversarius, fit amicus*, qui ab illecebris concupiscentiæ defendit, ab insidiis Diaboli tuetur. Quod autem amicum est, odiosum non erit.

Reluctat quidem legibus concupiscentia, sed si invita est, & jugum legis refugit, irrationabilis est: irrationabiliter invito non fit injuria: nulla reo injuria si damnetur; nulla ægroto si saucietur.

Quod est secundum naturam, naturæ consonum, naturam perficit, optimam facit, jura naturæ fovet, & adjuvat, eamque unit summo suo bono, & felicem efficit, non potest esse odiosum, grave, injustum, & repellendum; sed optandum, amandum, quærendum. Hujusmodi sunt Leges tum naturales, cum Divinæ: igitur &c.

Sed Carnalis Hobbianus Homo corruptus, & in Deum rebellis constituto semel a natura jure agendi quidquid lubet, tanquam licitum, quin approbatum, & jussum si quidpiam necessarium sit ad sui conservationem, & vitam jucundam, recte bonus Philosophus infert nullam dari legem naturæ, & Dei; tametsi vaferrimus non semel naturæ, & Dei Leges admittere videatur, cum eas tandem ad jussa Principum reducat. Siquidem lex desinit esse lex, si injusta sit, ut ex legis definitione tradit Isidorus: Porro injustum est, quod

quod est contra jus. Si igitur nobis inest jus a natura, propter excellentiam conditionis nostræ, faciendi licite quidquid lubet, lex, quæ huic juri resistit, & tollit, injusta erit; & consequenter lex non erit.

Melius nos concludamus. Qui cupit vivere ut homo, & rationi consentaneæ, leges Dei amare, & observare debet, non odisse, & eis adversari. *Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo*. Eccles. 12. 13.. Qui vult Christiane vivere non refugit leges, tanquam odiosas, sed eas diligit, & leves non graves agnoscit, & observat. *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt*. S. Jo. 5. 3. abstinemus ab enormissimis consecutionibus, quæ recta deducuntur ex opinione, quam impugnamus, & quia obviæ sunt, & quia jam eas insinuavimus P. II. C. V. §. III., & P. III. C. I. II.. Pro his omnibus deducendis advertere sufficiat hæc duo: 1. quod homo sua natura est rectus, & secundum rationem amat vivere, si vivere, ut homo velit. Creavit Deus, *Hominem rectum*. 2. Quod passionibus obsistentibus rationi, facillime cedit, atque ejus *sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua* Gen. 8. 21. Ut ex his cogitemus affirmemus, quæ contrariam opinionem favere cupiditati a qua omne malum, & obsistere legi, rationi, & Divinæ voluntati, a qua omne bonum descendit.

§. III.

Num saltem Leges Humanæ odiosæ dici jure possint.

Inter humanas Leges aliæ sunt, quæ præcipiunt, aut prohibent quædam, quæ lege naturæ præcipiuntur aut vetantur: Ut prohibentes Furtum, Homicidium, jubentes Patriam, Principem defendere. Hæ Leges excitant comminatione pænarum, in cordibus subditorum leges naturales. Aliæ sunt, quæ permittunt nonnulla, quæ prohibentur lege naturæ; ut possidenti occupatio rei, quam emit prætio injusto, sed læsione citra dimidium, de quibus jam diximus P. I. C. VI. §. I.. Inter has aliquæ reprobantur ab Jure Canonico, quin & ab Evangelio ut lex, quæ obligabat Fratrem ad desponsandam

uxorem

uxorem defuncti : Lex Polygamiam permittens ; aliæque de quibus loc. cit. Aliæ tandem sunt, quæ plura præcipiunt, aut vetant, de quibus lex naturæ nihil directe disponit, ut exempli gratia noctu non incedere, arma non ferre, merces introducere &c.

Ex his, quæ humanæ dicuntur, quod ferantur ab homine aliæ sunt juris Ecclesiæ, aliæ juris Laicalis; Hæc duo jura valde distincta sunt, nec unum cum altero permisceri debet, ut ex Osio Cordubensi vidimus P. I. C. V. §. I. Oportet tamen ultro citroque adjuvare tanquam socius socium; ut ita *in manu Moysi, & Aaron* Populi tanquam oves ad felicitatem deducantur p. 76. 21. . Hinc fit in pluribus necessariam esse utrique subordinationem : nam Principes illeges non sunt, nec Ecclesiastici omnis subjectionis expertes, ut Apostolus manifeste prodit ad Rom. 13. 1. *Omnis Anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Loquitur autem de Principibus, ut constat ex versu 3. & sequentibus, quibus parendum esse, docet, *non solum propter iram*, propter potestatem virium, & justitiæ, sed etiam *propter conscientiam*; Cum etenim sint Ministri Dei, a Deo constituti, & ordinati, lege conscientiæ parere tenemur; quare reddenda eis sunt vectigalia, & tributa, prout juste jusserint. Ab hac Apostoli Doctrina manifeste recedunt nonnulli melioristæ, qui docent Leges Principum non obligare in conscientia; quæ doctrina viam parat ad jugum obedientiæ excutiendum, atque ad majora mala, *cum ablata subordinatione omnium malorum capax sit homo*, & verissime Rex Noster sagacissimus ajebat.

Optabile foret lineam constituere; qua una ab altera jurisdictione secernitur; Res quidem difficilis, & plena discriminum. Qua in re video multos passionibus abripi; nonnullos totum laicali concedere, alios parum, & ferme nihil aliquibus in circumstantiis. Sed in re morali sistendo, quid dicendum de quibusdam Auctoribus, quibus si aliqua constitutio Ecclesiastica propriæ opinioni faveat, ea utuntur tanquam fulmine, quo opposita sententia feriatur; dum interim floci faciunt eas, quæ propriis præjudicatis difficile accommodantur, vel etiam aperte obsistunt? Quod quomodo obedientiæ debitæ conveniat ipsi viderint. Illi Orientales Episcopi, qui injuste morosi, Gregorium Nazianzenum a

Sede

Sede Constantinop. averterunt, specie reverentiæ in Canones, dum interim Nectarium laicum, Cathecumenum, contra Canones elegerunt, censendi ne sunt recti disciplinæ zelo, an spiritu partium?

Pro constanti habendum legem justam esse debere, est etenim *ordinatio rationis ordinata ad bonum commune*; quare vis, & potestas legem non faciunt, ut male arbitratur Hobbius, sed ratio Principis cum jure conjuncta. Hujusmodi leges malos coercent; appetitum nocendi refrænant; lites præfocant, aut finiunt; injurias avertunt; civibus, totique Reip. pacem, decorem procurant, & firmant. Cum autem non sibi soli, & pro solitudine tanquam brutum Hobbianum nascatur homo, sed propter Societatem; & aliunde nascatur ad vivendum pacifice, & ut bonus sit, odiosæ minime dici possunt illæ leges, quæ tantum bonum homini procurant, & afferunt.

Tanquam odiosæ rejectæ sunt illæ, quæ præcipiebant aliqua contra jus naturæ, erant etenim injustæ, & contra jus homini a natura concessum: quemadmodum injusta foret lex quæ Cultum Dei prohiberet, duellum præciperet, & alia hujusmodi, ad bonum enim virtutis operandum jus a natura possidemus, ad malum autem nullo potimur.

Si vero leges quidpiam permittant, quod juri naturæ secundario non faveat, sed potius resistat, non continuo dicendæ sunt odiosæ. Quandoquidem bonum spectant commune, & minus malum permittunt, ut majus habeatur. Quo in casu Civis patienter ferre debet aliquo bono privari, ut pax, & tranquillitas Reip. obtineatur.

Sed hac in materia caute procedendum quam maxime, ne sub prætextu boni, & utilis publici; alteri injuria fiat: non quod utile est, continue est honestum, ut a Cicerone monemur. Utile erat classem incendere Atheniensium, sed quia fraude efficiendum id erat, adeoque non honestum, Resp. nec propositionem audire voluit. Vere namque utile tantummodo est, quod hominem perficit, perficit autem unice, quod honestum. Ab hac regula si recedamus plurima bona dicemus sub colore boni publici, quæ tamen injusta sunt. Quædam sunt, quæ in bonum Commune Reip. vergerent, si fierent, & tamen injusta sunt. Si Tyrannus Ministrum

strum fidelem, aut alium innocentem damnandum exposceret, Princeps nequit ipsum tradere. Cum etenim Princeps regat, ut subditos incolumes, & felices faciat, & aliunde innocentes sint membra præcipua Communitatis, ut observat S. Thom. ac tandem quia Princeps jus non habet super innocentis vitam, nullo modo juste potest satisfacere truculentiæ Tyranni, & innocentem tradere.

Ajunt Salmanticenses Innocens non erit is, qui ob bonum publicum nolit se tradere, sed reus: esto igitur Resp. tradere non possit ante reatum, potest si criminis reus fiat tradere se detrectans.

Sed pace horum DD. Nulla est lex, quæ innocentem obliget ad se tradendum, adest autem, quæ vetat innocentem occidere: *insontem, & justum non occides*. Vel illa lex, quæ ipsum obligat est naturæ præcise, vel civilis; si præcise naturæ non fit reus in Remp. Si nulla lex civilis prohibeat furtum, blasphemiam, aut aliud quodpiam crimen, fur, blasphemus &c. puniri a Rep. nequit: igitur si nulla lex Principis, aut Reip. præcipiat innocenti se tradere, non se tradens reus non efficitur.

Quod si lex aliqua adsit præcipiens se tradere, poterit Resp. tradere, nec erit necessarium ipsius contumaciam expectare.

Quemadmodum posita lege arma sumendi, ad menia currendi pro defedenda Patria potest Regens cogere: sunt etenim relativa hæc duo *præcipere, & teneri*, neque stat obligatio parendi, sine jure præcipiendi, & cogendi in Principe. Ratio horum altior est, quia leges, quæ subditum obligant ad bonum commune procurandum, resident in capite, & Magistratu, cui præcipue convenit ut bonum commune curetur; atque adeo presto habet jus utendi mediis ad hunc finem obtinendum.

Sed nec peccaret innocens in legem naturæ, quippe quæ præcipiat, aut saltem permittat vitam conservare; quare etiam reo mortis fugam permittit, dummodo sine alterius injuria id exequatur. A fortiori insons fugere poterit, & non se tradere.

Nulla igitur odiosa lex, quæ honestum præcipiat, tametsi aliquando, & per accidens alicui nocumentum contingat. Statim ac quispiam est subditus, Dei ordinationi resistit,

& *sibi damnationem acquirit* si Principi imperanti resistat ; & non pareat . Filio Principis , qui cum scurribus velet vitam agere ; Cauponas cum fæce plebis adire ; quin & Carnifici inservire , non foret suis præceptis odiosus , & injurius Pater si cogeret Aulam incolere, & cum Dinastis , & Principibus versari . Nec odiosus est Rex , qui Filio præcipit ut arma vertat in hostes , qui Regnum adoriuntur , ut eumdem Filium corona , & regno jure successionis debito privent ; sed Pater est amantissimus , ejusque præceptum suave ; & amabile : Sic optabiles sunt leges , quæ sensum, passiones , & appetitum cohibent , dum rationem adoritur ; ut virtute , honestate , atque demum æterna felicitate privet . Dedecet servum dominari , & Principem inservire prov. 19. 10. *malum sub sole vidi* ajebat Salomon vel quisquis Auctor Ecclesiasten 10. *positum stultum in dignitate sublimi . . . . . . vidi servos in equis , & principes ambulantes super terram, hoc malum sub sole* abominantur leges , quæ rationi veluti principi opitulantur . Bonæ igitur leges , amicæ , non odiosæ & injustæ optimum , adeoque , animal homo sub legibus ; animalium pessimum homo sine legibus , Aristot. ajebat .

Fallor quàm maxime si hi , qui leges traducunt odiosas , vel minimum fundamentum reperiant in Scriptura , Conciliis , aut traditione . Deo , Ecclesiæ , & Principibus obtemperandum , & quidem ex corde omnis Scriptura , omnes PP. & bonorum vetusta praxis clamant : Non igitur exosam habent obedientiam odiosasque leges . Usque adeo odiosas habent nonnulli leges , ut odiosam velint legem amandi Deum , etiam uno , ex infinitis ferme momentis Vitæ hominis , ut produnt prop. 1. ab Alex. VII. 5, , & 6. ab Innoc. XI. Quin non desunt Auctores qui omninò præceptum amandi Deum *ex corde* omnino auferunt . Hos vellem audire disputantes cum Calvinista , qui obvium sensum abnegaret ab his verbis *Hoc est Corpus meum* , dum audiret a Catholico negare sensum obvium his centies repetitis , in Scriptura Verbis : *Diliges Dominum Deum tuum , ex tota mente , corde , anima* : An auderet Chatolicus Adversarium hæreticum appellare , cum dicat D. Th. Qui contradicit Scripturæ est hæreticus ; si nimirum adsit advertentia ; & contumacia.

Quæ-

Quænam lex magis odiosa humanæ libertati videtur, lege jejunii. Factum tamen consulamus: Aerius Arianus factus exprobabat Ecclesiæ Chatolicæ, quod suis jejuniorum legibus injuriam faceret humanæ libertati. SS. PP. qui nonnisi libertatem Filiorum Dei in prætio habebant, quæ nimirum sensibus, & passionibus rationem dominantem efficit, Aerium hæresis damnarunt etiam ex hoc capite. August. Hæres. 53.

Placet argumento a contrario revincere adversarios; si leges, quæ libertatem male agendi restringunt sive facere vetant quidquid velis, odiosæ sunt, & præjudicant Excellentiæ naturæ hominis, illæ, quæ permittunt homini facere quidquid lubet, erunt favorabiles, & amicæ excellentię hominis: Lex igitur Darii Medi, qua fiebat facultas non orandi Deum gratiosa, & favorabilis fuisset hominis excellentiæ, Daniel 6. 7. Lex etiam permittens ędificandi *Gymnasia secundum Legem nationum* 1. Mac. 1. 15. prout Antiocus concessit Jasoni. 2. Mac. 4. 9. Lex pariter furandi, viritim pugnandi, & nonnisi periculis, & sanguine vitam transigendi, prout moris fuisse apud incultas nationes legimus. Tacit. de Germ. c. 14., & universim omnes illæ Leges, quæ homini corrupto indulgent, optimæ erunt, & consonæ excellentiæ naturæ rationalis. His autem poterit coadunari Resp., Civitas, Regnum, immo & Religio: sed quæ? Quæ Deus ipse condidit, qua *mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum* in gloriam suam, an non potius concilium malignantium, Sinagoga Satanæ, *stuppa collecta Synagoga peccantium, & consumatio illorum flamma ignis* Eccl. 21. 10. ubi nullus ordo, Hierarchia, subordinatio, sed confusio, horror, & omnium rerum perturbatio.

DEMONSTRATIO.

Doctrina illa reprobanda est, quæ docet contraria revelationi, quę favet Hereticis, homini corrupto, & rationi rectæ opponitur; hujusmodi est Doctrina quam impugnamus, ut evidens fit in hoc pręsenti Cap., igitur &c.

§. IV.

Sequaces libertatis convincuntur non amare Deum super omnia.

Aliud est rem pluris æstimare, aliud amare. Rusticus magis æstimat Regis Palatium quam proprium Tugurium, hoc autem amat magis; & si utrobique exardescat ignis, ad salvandam propriam casam currit. Dum peccator sceleri incumbit, si de Deo cogitet, infinitæ Majestatis judicat, sed tamen minus amat objectum, cui adhæret.

Deum diligere super omnia, est omnia contemnere, etiam semetipsum, ut Deo inserviamus, ejus legem amemus, impleamus, & ejus voluntati obsequamur: Hic est verus *Amor Dei usque ad contemptum sui, qui ædificat Civitatem Jerusalem*. Amore incipit æconomia humanorum actuum, amore vivimus, regimurque. Vis amoris est mensura timoris. Oderimus mori ea vi, qua vitam diligimus.

Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur ajebat Ter. in Andr. Dum dubitamus, num adsit lex, in legem, & in propriam libertatem impellimur: utrumque ut bonum voluntati proponitur: præfert tunc legi libertatem; magis timet privari bono, quod amat voluntas, quam legem Dei reapse violare, & contraire Divinæ voluntati: non semetipsam contemnit, ut Deo adhæreat: igitur magis semetipsum tunc homo amat, quam legem, sive voluntatem Dei.

Quod nobis est inimicum, sive odiosum, minus certe diligimus, quam quod favorabile, et bonum nobis existimamus: nostram libertatem favorabilem, & ejus exercitium nostrum bonum: Legem arbitramur odiosam, seu quæ nos ad odium stimulat: igitur &c. Lex autem est Divina voluntas, amor, & Deus ipse, quem diligere debemus non verbo, sed opere; & facto Jac. 1. 22. Si dubitet quis, an possit habere plures præbendas, & retinet, abs dubio peccat, *quia magis amat beneficium temporale, quam animæ salutem*, docet S. Thom. Qui igitur libertatem sequuntur, & legem tanquam odiosam actricem repellunt, sunt *voluptatum*, & aliorum temporalium bonorum *amatores magis, quam Dei*. 2. Timot.

2. Timot. 3. 4. Quemadmodum, ut fori comparationi insistamus, possidens præfert suam possessionem juribus dubiis actoris, quia magis rem, quam possidet, amat.

Sed in his dubiis *regulæ reflexæ* nihil operantur? Fatiscenti probabilismo directo opitulari Melioristæ putant, sed revera favent libertati adversus Deum actorem, eamque Deo præferunt. Sunt autem præfatæ regulæ puræ putæque petitiones principii, circuli vitiosi, et excusant excusationes in peccatis. Caveamus a laqueis amoris illius, *cui mille nocendi* sunt *artes, & nomina mille*. Urbanitas nonnumquam nuncupatur, & non semel Charitas, cum sit mentis perversitas, animi demissio, improbus timor, amor inordinatus propriæ opinionis, aut alterius rei; homo inimicus ille, qui in campo Moralis superseminat zizaniam; Hoc pręocupati minus diligenter, & animo indispofito ad veritatem, ut loquitur Terillus, res examinamus, et inconsulte Hæreticis favemus.

§. V.

Quid judicandum in dubiis?

Posse hominem in dubio legis judicare secundum opinionem etiam minus probabilem canon est Melioristarum; audacius assurgit Baylius, qui ut Pyrhonismo omnes religiones inficiat, destruatque, hoc conficit argumentum. Constans est PP. Sententia quod numerus periturorum excessive superet numerum salvandorum; quod & colligi videtur Isai 24. 13. atque ex aliis S. Scripturæ locis. Si ita fateamur probabilius est hunc individuum hominem mori in peccato mortali, et tamen Evangelium pręcipit, eum reputare bonum, et salvandum. Ita impius iste discurrit, ut insinuet Evangelium contrarium esse rationi.

Paralogismum agnoscit vel ipse Barbeirak, illudque subtili dialectica dissolvit, probatque propositiones universales quarum veritas indeterminata completur vage in individuis male usurpari posse ad formandum Judicium de particularibus, utpote quod oriri debet ab indiciis, et motivis, quę ipsum circumstant: nimirum in hac re ex ipsius vivendi ratione bonę, aut malę frugis.

Hanc

Hanc difficultatem quoad judicium formandum in incertis movet S. Thom. 2. 2. 9. 8. a 4. *Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alterius, debet unusquisque eum bonum habere in meliorem partem interpretando quod dubium est .... At vero circa seipsum homo debet dubia interpretare in pejorem partem, secundum illud Job. 9. 28. Verebar omnia opera mea. Eo quod cum debeamus nostris malis adhibere remedium, expedit ad hoc ut securius remedium apponatur, ut supponatur id, quod est deterius*.

Ex qua Angelici Doctrina plura docemur. 1. In dubiis nostræ conscientiæ non esse favendum libertati, sed eligere quod securius est. Id ipsum facere debent consiliarii: ex lege etenim charitatis, tenentur aliis facere, quod sibi velle coguntur. Qui consilium animo sincero petunt, et non ut sibi loquantur placentia, hi, a quibus lumen expostulant, ita dispositi sunt, ut petunt sibi fieri, quod consiliarii facerent in re sua. Certissime si quis agnosceret aliter sibi datum consilium iniquo animo ferret. Quid ageret si notum ei foret a Doctore reputari illicitum, quod sibi ut licitum suasit? Quod tamen tuto fieri posse docent nonnulli magni nominis inter melioristas.

II. Episcopi, Parochi, Confessarii, et animarum directores, cum fungentur officio medendi conscientias; earumque malis remedium apponendi, ut securius agunt *dubia interpretari debent in pejorem partem*. Idipsum facere debent Genitores in Filios, illorum etenim tanta esse debet solicitudo, et vigilantia, ut ferme non dormiant: *solicitudo Patris*, inquit Siracides, *aufert somnum ab oculis* Eccl. 42. 9. nimirum super Filiam; quod etiam ad domesticos extendit Apost. 1. Timot. 5. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. Qui igitur curam habent animarum, debent dubia eorum in pejorem partem interpretari, ut eorum malis remedium apponere valeant. Si secus faciant, cæci cæcos ducunt; quod in Genitoribus quotidie experimur, qui dum filiorum suorum progressiones in bonam partem semper accipiunt, pleni indulgentia, vacui charitate, abripi sinunt ipsos in viam latam perditionis.

Sed quid dicendum de Auctoribus, qui res morales magnis

gnis Libris pertractant? Hi curam animarum sibi assumunt, ut nimirum viam veritatis aperiant, veras Doctrinas edoceant; Confessarios, Parrocos, Episcopos doceant, et universim omnes Catholicos instruant, et instituant: si docent omnes interpretari dubia conscientiarum in bonam partem, favere libertati; bellum movere legibus, eas inimicas, & odiosas, atque proprii juris violativas; ac tandem in eas, tanquam injustos, & molestos actores sententiam ferre, hi sedulo ne invigilant, ut securius, & tutius remedia malis animarum apponant? *Nonne greges pascuntur a Pastoribus?* nimirum a Consiliariis, Parrochis, Episcopis, Confessariis, & Doctoribus non pascuntur animæ? Deus est, qui loquitur Ezech. 34. 2. 3. 4. 5. *Gregem meum non pascebitis*, illa nimirum vera S. Th. Doctrina, *Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis; quod confractum est non alligastis .... dispersæ sunt oves meæ .... factæ sunt in devorationem*: Quia nimirum palpant libertatem, & pessimum illum amorem temporalium adversus leges, quæ ab illo avertere corda hominum solicite curant: ut homines ita ad amorem Dei perveniant, ut deveniant usque ad contemptum sui.

Ut autem hic argumento Bayl satis fiat admissa Barbejraclii solutione, addimus minime juberi ab Evangelio formare judicium certum, absolutumque partis deterioris, quasi in dubio legis concludere teneamur *adest lex*; sed juxta sententiam S. Th. nos debere agere ac si lex adesset; sive timendum ne lex existat, & ideo sequendum quod tutius est, utique adversative; ut alibi explicavimus, ne suo Tutiorismi scommate nonnulli nos vellicent. Neque jubemur illud Judicium formare partis melioris absolutè vetamur, dum res occulta est malam judicare. *Ad Judicium verum, & rectum* obligamur; ad malum vetamur formandum. *Tu quis es qui judicas alienum servum: Domino suo stat, aut cadit* Rom. 14. 4. ad judicandum autem judicium verum, & rectum motiva clara debent esse in humanis, & patentia; alias sine his judicium tametsi foret casu verum; foret temerarium. Quid porro scire possum de homine, quem nunquam vidi, ut Judicio recto affirmem esse bonum, & salvandum? monemur non *judicare secundum faciem, sed justum* judicare *Judicium* Joan. 7. 24. Si igitur nihil boni videam in eo homine, sed moribundum, quid Judicem boni, vel mali? Il-

Illud Evangelii præceptum, *nolite judicare, & non judicabimini*, oggerit Bayl fortasse, ut Tolerantissimum persuadeat, quasi non possimus judicare Turcam, Atheum, aliosque extra Ecclesiam damnandos iri, cum tamen Evangelium nos doceat, *qui non crediderit, condemnabitur; sine fide impossibile est placere Deo. Qui non est mecum, contra me est.* Velit ne Bayl nedum Deum revelantem contrarium Deo Auctori naturæ, sed etiam revelantem revelanti, qui eodem Evangelio contraria jubeat?

Itaque, ut concludamus: Si crimen certum est, criminosum hominem patrantem judicare possumus. Si dubium, et nostra non interest, judicium suspendere debemus, certum judicare non possumus, cum ad Dominum pertineat judicare de servo. Si nostra intersit, ita nos gerere oportet ac si crimen certum foret, ut apponamus remedium. Universim malos homines judicare non debemus, sed optare, et sperare bonos esse.

DEMONSTRATIO.

Illud pluris amat voluntas, quod stantibus æqualibus motivis amplectitur alio extremo repulso: In dubio igitur legis, qui repellit legem pluris amat propriam libertatem: Qui libertate posthabita, legem præfert, et ab opere forte vetito, abstinet, pluris legem amat quam libertatem.

§. VI.

Quam facile sit Hobbiana lue infici.

Nulla, ut reor, secta fuit ex his, quæ Christianam Ecclesiam vexarunt, Hobbiana perniciosior: Hæc et mentem, et cor corrumpit; Cum ceteræ aut solam mentem, aut tantum cor, quod si utrumque, non ita tamen ut in profundum malorum recta præcipitent. Nulla etenim fuit, quæ aliquam non admiserit legem ex iis, quibus homo regi debet; Hobbiana vero spectata hominis natura omne scelus licitum facit, legesque omnes spernit, et abnegat, quibus ablatis, tanquam dejecto repagulo, necesse est vitiorum flumine

flumine Mundum inundari. Monstra a Plinio vocantur *peccata naturæ errantis*, sed eadem quod inordinatum admisit, corrigit, dum ea infecunda facit, et ceteris animantibus odiosa. Hobbiana dogmata, Monstris horribiliora fecundissima sunt, homini corrupto minime invisa; ea facile addiscit, et impense diligit. Quid homini carius, quam quod passiones palpat, incendit, amoremque illum proprium, qui omnes angustias, & Evangelicas sollicitudines refugit, sollicitat, & urget?

Quid causæ putamus pestiferam hanc luem non expleto adhuc uno sæculo ita fuisse propagatam, ut Turcicum, & Persianum Imperium invaserit, nisi quia sine studio carnalis homo illam facillime addiscit, impense diligit, & summa voluptate sequitur? Hæretici, si sincere veritatem inquirunt, studio opus habent, ut propriam tueantur Sectam; scripturas, versiones, PP. codices evolvunt: Hobbii sectator præsto habet, unde doctus evadat: & quis est, qui periculose non audiat, & ad assensum non solicitetur horum canonum? nimirum, *Frustra mihi natura dedisset potentias, si eis uti non possem, frustra libertatem: Quod igitur lubet, licitum mihi erit; jus in omnia a natura concreditum nostræ excellentiæ debetur, quod nemo, sine injuria violare potest: Qui jus istud invadit, Tyrannus est, odiosus, & inimicus*. Quid? Similia non audiuntur inter Catholicos, dum qui, zelo animarum flagrantes, malos in viam arctam reducere satagunt? Rigoris, & Jansenismi notis uruntur; conscientiarum exturbatores, pacis animorum exosi appellantur, & siquid veri ex Evangelio promunt, vel respicitur tanquam male explicatum, vel ad supererogatoria, & summæ non obligantis perfectionis amandatur. Et utinam Docti, & Theologi his minime opitularentur, dum odiosas leges traducunt; illisque maximopere licite, & sine ullo scrupulo resisti posse; cum juri a natura concesso, faciendi quæcumque placuerint, contrariæ sint, ut merito, doctrinas istiusmodi vocare possimus frutices, & surculos Hobbianæ doctrinæ; ex qua mali mores in diem produnt, ut in sua concione ad exeq. Joan. Comit. Roffens. asseruerit Robertus Personicus. *Mali mores germina sunt Philosophiæ Hobbianæ*.

Monent autem SS. PP., ab Hæreticis, eorumque doctrinis quam maxime fugiendum. Celebre est illud S. Antonii Abbatis: *Hæreticorum venena vitate, meumque circa eos odium conectamini, quia Christi sunt inimici: scitis ipsi quod nullus mihi,*

nec pacificus quidem , sermo cum eis aliquando fuerit , propter eorum pravam voluntatem , & pertinax , contra Christum , bellum . Athanas. in Vit. Ant. SS. Doctores Augustinus, & Thomas consulunt nec quidem in vocibus usurpandis convenire cum hæreticis debeamus , quia vaferrimi decipulas oscitantibus facillime parant , ut decipiant , quod Prisci PP. advertentes abominati sunt novemdecim fidei formulas , quas Ariani exiguo quatuordecim annorum spatio , consarcinarunt : Petav. Theol. Dogm. l. 1. c. 9.

Tam facile est incautos decipi illorum fraudibus , ut totus Orbis ingemuerit , dolo Ursacii & Valentis , in Concilio Ariminensi . Norunt Dogmatici, quantnm adlaborarint , ut Græcos PP. in germanum , bonumque sensum interpretarentur , quod Petavio , ferunt non leve facessisse negotium , ob primam sui operis editionem . Cum etenim in philosophicis Platonici , ut in plurimum fuerint , ut fatetur etiam D. Thomas minus soliciti , phrasibus suis platonizare visi sunt , quare ut alterius a Catholica fidei traducti fuere , ne dum a priscis Hæreticis , sed & a nuperrimis Sandio , Joanne Clerico , Crelio , aliisque Socinianis; ad quos revincendos magna ingenii vis Auctorum necessaria fuit , Georgii Bulli, Lamyndi , sive Muratorii, Lamii, Baldi , aliorumque.

Error Arianorum in sola speculatione positus fuerat ; sive contra articulum fidei , quem credere debemus . Verumtamen Hobbii errores , praxim spectant , & homini corrupto consona ; si doctrinis nostris faveamus , Cœco sensui in præceps ruenti , calcaria admovemus . Pejus agemus , si principiis Hobbii adhærentes opiniones nostras catholicas dicamus , & ab Ecclesia approbatas . Nonnullus Hobbesianus tanquam alter Picininus sibi blandiretur , impie concludendo , Ecclesiam corruptam in doctrina morali . Vid. Card. Gotti . Monseca jam datus falsam Religionem Christianam asseruit , quod falso crediderit , corruptam esse in primo mandato de dilectione Dei . Concludamus hunc §. verbis Apost. ad Tit. 3. 10. *Hæreticum hominem ... devita, sciens quia subversus est ... proprio judicio condemnatus* . Hæreticorum *sermo ut Cancer serpit* . 2. Tim. 2. 17.

§. VII.

Excusatur hac in re Caramuel .

Multa considerantur, inquit S.Aug. 1. de Civ., & de bon. persev.

ſev. c. 20. ***Diligentius*****, & *****intelliguntur clarius*****, *****poſt exortam quæſtionem***. Jam vero tempore, quo ſcribebat Caramuel, nimirum circa annum 1630., Hobbius nec librum de Cive ediderat, cuius etenim fuit primo an. 1646., nondum autem exorta quæſtione inter Catholicos morales, facile fuit homini laxa quærenti, ſpecioſum ſtabilire principium ex humana libertate, cui meliorismum ſuperſtrueret.

Nec minus excuſandi ſunt cæteri Probabiliſtæ, ſi excuſationem merentur apud Terillum, quos exagitat, ut vidimus P. 1. c. 3. §.3. Cum etenim toti eſſent ad propriam defendendam, & promovendam Sectam, de Proteſtantium erroribus nihil curarunt. Accedit, quod vigente methodo ſcholaſtica in diſputando, & rebus pertractandis, non accerſitis PP., a quibus traditam morum doctrinam recipere debemus, non conſultis Canonibus, non meditatis Scripturis, frigidas ſpeculationes, & hominum inventa ſequi familiare, vel ſanctum erat: ſub hoc autem inſalubri Cœlo, & litteris inimico tempore ferme impoſſibile erat, non infici communi malo: & diſtentus quilibet in nugis, & reculis, quæ quæſtiones infarciunt, ſed non dilucidant, neque decernunt, quo tenderent dicta aliorum, quos ſequitur comprehendere minime poterat. Crimen autem nolim quiſquam mihi moveat, quod iiſdem argumentis impetere ſim adortus ſive Hobbianam, ſive in hac re, Melioriſtarum opinionem; cum methodus ſit uſitatiſſima, & familiaris. Auguſtiniano-Thomiſtæ contra Mediſtas, & Congruiſtas uſurpant Scripturæ teſtimonia, quibus Aug. Th., & alii uſi ſunt adverſus Pelagianos: & viciſſim Mediſtæ adhibent, quæ *PP.* adhibuere contra Manichæos, quæque tractant Controverſiſtæ adverſus Calvinum, cæteroſque humani arbitrii oſores: nec tamen illos *P*elagianis, nec iſtos Calviniſtis accenſent. Cæterum novimus, & profitemur diſcrimen animorum Hobbium inter, & Catholicos; illum deteſtamur, hos veneramur; ſed ſi eadem ſunt principia, eaſdem conſecutiones, & iis meritas criminationes falſitatis patiantur neceſſe eſt, ipſos autem pudere debet, vel minimam in doctrinis neceſſitudinem habere cum hujuſmodi legum everſoribus, rebellibuſque a Chriſto & Eccleſia arma ſuppeditare. Nullum majus, aut perniciofius periculum bonis imminet, quam, cum impia doctrina proponitur, ut affinis ſententiis DD. nullius malæ fidei ſuſpectis, ſed veræ religionis Zelotypis; ægre a malo declinamus, quod bonum nos edocent Magiſtri.

C A P. IV.

De Necessitate Legum.

Hobbius apud Sarok de offic. asserit: *inutile esse sancire quid justum, quid injustum, nisi prius aliqua regula, & mensura certa constituta sit, quam hactenus nemo constituit.* Hobbio blanditur Hobbianæ vitæ Auctor pag. 6. *In Ethicis ante illum nihil scriptum, præter sententias vulgares; at ille bonitatem, malitiamque actionum a legibus Civitatis derivavit.* Morum probitas ad rectam, sanctamque Religionem potissimum confert: Christus igitur, qui sanguine suo Ecclesiam, & Religionem puram, sanctam, & Sponsam immaculatam, ac sine ruga, nullum Doctorem, & Magistrum reliquit; aut si constituit Magistros, & Doctores 1. Cor. 12., inter quos præcipue Paulum, ipsi Infideles Administratores Mysteriorum Dei mores bonos, eorumque regulas non docuere? En quid Hobbius revereatur in PP., Apostolis, & Divinis Scripturis.

§. I.

Moralitatis regula a Deo constituta fuit.

Cum Deus fecerit omnia bona, homo, propter quem omnia sunt facta, bonus creari debuit. Ipsum fecit Deus *rectum* Eccl. 7. ne dum corpore, sed & spiritu. Quod morbi sunt corpori, id sunt spiritui defectus morales, & peccata, scilicet mentis, & voluntatis ægritudines. Factus est autem ad imaginem Dei, non qua homo est corpus, sed secundum interiorem hominem, ubi est ratio, et intellectus. S. August. l. 1. de Gen. c. 17. n. 28. Dicitur autem factus ad imaginem Dei, quod sicut Deus cognoscit, amat, et se ipso fruitur; ita homo mente, et voluntate cognoscit summum bonum, amat, et eo fruitur, aut saltem potest. Quæ hominem faciunt re, et actu similem Deo, hæc Deus præcipit, quare ea præcepta implere, id est summa totius hominis, *Deum time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo.* Eccl. 12. 13. Legem igitur Deus constituit Adamo; ut corpus aliquo imperio ligaret,

ret, vetuit Pomi esum; ut vero animam, honesta præcepit, inhonesta vetavit.

Has leges vanidas esse, et partum invidi Dei, conatus est Dœmon persuadere Mulieri, tanquam odiosas, et injuriosas excellentiæ hominis, qua capax erat sciendi bonum, et malum, non secus ac ipsemet Deus, ut sit manifestum Gen. 3. Qua in persuasione Serpentis præformatum videmus Hobbianum Systema. Mentitus est autem Sathan, nam Deus præcepta Adæ dederat, quæ etiam animam respiciebant, ut disserte tradit Ecclesiasticus c. 17. *Addidit illis disciplinam, & legem... Testamentum æternum constituit cum illis, & dixit illis: attendite ab omni iniquo, & mandavit illis unicuique de proximo suo*. Hobbii libertatem, et iniquam voluntatem lædendi hic textus jugulat. Constat igitur tempore Adam extitisse legem, et mandata: actiones aliquas fuisse iniquas, alias vero honestas. Tum autem nullus Imperator, nulla Civitas, nulla lex civilis: igitur Lex Dei est regula honestatis, a qua si aliquod opus deviet inhonestum dicendum. Hinc dignoscimus quam audaciter, impieque affirmet Schmasius, quod DD. Scholastici systema morale cudere conati sunt ad genium propriarum opinionum Diss. 4. de vero stat. hom. pag. 59.; cum omnes Catholici pro regula moralitatis legem Dei habeant, & semper habuerint. Quod vero prosequitur, nimirum *Hobbius, quem incaute sequutus est Pufendorphius*, humanum *statum naturalem in belluinum transformavit ... ut vix miserabilius animal inveniatur*, homine, ultro concedimus.

Eadem autem mandata, quæ Adæ Deus dederat, perseverant pro omnibus hominibus, etiam constitutis imperiis; & qui homines peccant, imitantur primum hominem *sicut Adam transgrediuntur pactum*, & prævaricantur Oseæ *6. 7.*

Ridendus Pufendorphius dum affirmat de jur. nat., & gent. c. 3. §. 13. de jure naturæ esse, quod ex educatione, institutione, & exemplo a pueritia addiscunt homines: id etiam ad jus naturæ pertinere asserit, quod in more positum est apud nationes, cui adhærere visus est Grotius. Et §. 14. 15. Legem, & jus naturæ docet esse id, quod animalibus cæteris commune est. Pufendorphium, qui sequuntur, usurpant illud Vulpiani: *jus naturæ est, quod natura omnia animalia docuit*.

Ante diluvium Idololatria, innumeraque scelera, *omnis quippe caro corruperat viam suam*, erant communia; pueri de his edo-

edocebantur, Parentes, contribules iis immersos videbant, experiebantur. Quæ igitur Dei verbum inhonesta damnat, licita, & de jure naturæ erant? Quid si consuetudini, exemplo, & Magisterio addamus imperium Principum: tunc imperata erunt ne justa? Justum colere figmenta? Minime gentium pronunciat Spiritus Sanctus. *Interveniente tempore convalescente iniqua consuetudine hic error, tanquam lex custoditus est, & Tyrannorum imperio colebantur figmenta*. Sap. 14. 16.

Error a Spiritu Sancto dicitur, quod custodiebatur tanquam lex. Oh in quæ extrema impingunt, qui a Religione præscindunt, aut vi adversantur! error est, quod consuetudo sequitur; error, quod Potestas Imperialis præcipit, si legibus adversetur. Legis peritus tentans Redemptorem, rogavit quid faciendum ad vitam æternam possidendam: *Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille*, non ad consuetudines, mores, imperium, & hujusmodi confugia Pseudochristianorum, remittit, sed ad legem; *In lege quid scriptum est*, inquit Christus veritas & sapientia infinita, qui omnia noverat, & scelesta præviderat Hobbii, Pufendorphii, Schmasii, Christiani Tommasii, aliorumque systemata, *quomodo legis?* Sed quid respondit legis peritus? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua... & proximum tuum, sicut te ipsum*. *Luc.* 10. 25. His autem reponit Christus *fac hoc, & vives*. Hanc legem si observes, vita æterna vives. Hæc est igitur via vitæ æternæ, quæ convenit naturæ rationali, & ipsius excellentiæ, nimirum mandata Dei servare. Jam constitutum erat imperium dum colebantur figmenta, & dum vigebat Synagoga; tunc etenim, cum jam populus, abjecto Deo ne regnaret *super eos*, 1. Reg. 8. 5., atque ablata a summo Sacerdote auctoritate vicesregnandi nomine Dei, quando electus fuit Saul, ut asserit Hobbius in Leviat. c. 40. pag. 224., potestas summa legum ferendarum translata fuit in Reges, ad quorum præcepta remisisset Christus jurisperitum, tanquam ad normam rerum agendarum; minime vero ad legem Dei, cujus nulla in populum erat auctoritas.

Textu Vulpiani abutuntur, non utuntur. Nam Bruta nullo gaudent jure, sed sola potestate agendi quod agunt, puta vivere, edere, gignere, & cætera hujusmodi: jus igitur dicendum non est, quod in illis naturæ Deus concedit. Sed permisso vocabulo juris, hinc solum concluditur a Vulpiano asser-

sertum jus Brutis, & homini, ut *animal* est, non vero jus, quod homini competit ut *ratione* prædito, cujus consideratio sola pertinet ad regnum morale honestatis, & inhonestatis; secus vero instinctuum Brutorum, & hominum, qui ad hanc lineam moralitatis pertinere non possunt, nisi ad summum, tanquam a ratione imperati, & ad bonum, vel malum finem ordinati. *Jus istud non humani generis proprium, sed omnium animalium*. Idem Ulpian.

Hinc deprehendimus quam insulse, & mendaciter affirmet Schmasius regi hominem debere instinctibus, quos ut leges naturæ, adeoque, & Dei recipit, & promulgat. Si Hobbius, ut ipse affirmat, hominem belluinum facit, Brutalem efficit ipse. Mentitur, & enormiter imponit, dum ait a Scholasticis effictum fuisse systema juris naturæ consulentibus *rationem corruptam*, cum vel cœcis notissimum sit, ab omnibus Catholicis, ut leges naturæ ubique, omnibus, omnique tempore explicarent, scripturas, PP., & rationem rectam consultas fuisse, acuratissime secernentes ea, quæ recta ratio suadet ab iis, quæ a passionibus, & ab homine carnali, & corrupto desiderantur. Hoc vitio laborat Schmasius, dum animales instinctus, pro legibus naturæ habet: huic homini a revelatione præscindenti, melius dicam cum revelatione pugnanti, aptari merito illud Sap. 12. 24. potest: *in erroris via* erravit, *infantium insensatorum more vivens*; *propter hoc tanquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti*; aptius adhuc illud S. Judæ 10. *tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur*, cum nimirum Schmasianos instinctus animales sequuntur.

§. II.

Legum naturæ, & Dei existentia insinuatur.

Quas leges, omnes recte ratione utentes, amplectuntur, Divina Scriptura docet, ut legem de diligendo Deo, & proximo, legem mansuetudinis, humilitatis, patientiæ, gratitudinis, misericordiæ, cæterarumque virtutum, & universim leges vetantes, his virtutibus opposita vitia. Has porro leges ordinatas esse ad bonum commune humani generis, atque adeo consentaneas naturæ hominis, nec Hobbius ipse negare audebit, cum doceat jus illud Belluinum cohibendum esse legibus civi-

civilibus, utpote generi humano perniciosum, & ipsius destructivum: & merito ab hoc jure, si illo potiretur, homo est removendus; siquidem si mihi fas est commodi mei causare, resque tuas violare, tibi quoque liceret; atque adeo mihi mortem pararem: igitur, *Exigit ipsa naturæ ratio*, concludebat Tul. de off. lib. 3. c. 2., *quæ est Lex Divina, & humana, cui parere debet, qui velit, (omnes autem parebunt, qui secundum naturam vivere volunt) nunquam committat, ut alienum appetat .... etenim multo magis est secundum naturam excelsitas animi, comitas, justitia, liberalitas, quam voluptas, divitiæ; quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere comparantem cum utilitate communi, magni animi, & excelsi est .. Detrahere autem alteri sui commodi causa magis est contra naturam, quam mors, quam dolor; itemque magis est juxta naturam pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis, aut juvandis, maximos labores, molestiasque suscipere, quam vivere in solitudine, non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus. Ex quo efficitur, hominem naturæ obedientem homini nocere non posse.*

Pergit autem ... *si etenim hoc natura præscribit, ut homo homini ... ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit, necesse est secundum eamdem naturam, omnium utilitatem esse communem; quod si ita est, una continentur omnes, & eadem lege naturæ prohibemur; verum autem primum, verum igitur postremum*. Eadem naturæ, & ipsius legum convenientia docet non esse differendum, & uti extra hominum communionem habendos eos, qui nihil mali committi ajunt, in hominibus violandis, hi etenim hominis naturam exuunt, *& hominem ex homine* tollunt: Et usque adeo, Cicero mutuum amorem in hominibus expostulat, ut velit *nihilo se plus diligere quisque, quam alterum*. De leg. c. 2. Quod præceptum utinam Hobbius a Tullio recepisset, si in Evangelio non reveretur.

Ex hac Ciceronis nitida, & revelationi consentanea sententia præfocantur omnes istorum reformatorum impiæ opiniones, ut manifestum est. Sensit tandem Hobbius vim illarum argumentationum, nec sentire non poterat, si quando hominem se esse cogitabat: & ideo videns systema suum de *homine*, hominis esse destructivum, affirmavit, pro prima, & fundamentali lege naturæ, *quærendam esse pacem*, etiam armis; atque adeo *homines debere invicem uniri pactionibus, ut evitent illud jus belli in omnes*. De Civ. c. 3. sect. 1., & c. 11. sect. 2. Qua vero

ra-

ratione, & placitorum suorum necessitudine statuerit primam legem naturæ esse de *semetipso conservando*, ex qua derivat cupidinem dominandi, honoris, & belli in omnes, ipse, omnesque videant, & potissimum meditari debuerat jam insinuatus novissimus Scriptor catholicus.

Nomine legis, si malumus humaniter cogitare, aliud nihil intelligi potest, quam ratio quædam in superiore residens, cui si pareamus, bonum sit; si parere detrectemus, malum. Si igitur obligamur pactionibus invicem uniri, ut evitemus illud jus belli humano generi perniciosum, et inimicum, peccabimus id non procurando, peccabunt Principes, si leges minime sanciant ad illud jus belli destruendum. Igitur ante pactiones hominum, & leges Principum, aderat obligatio quærendi pacem, cui non satisfacere nefas foret: ubi *autem nulla est lex, nulla prævaricatio*: Rom. 4. 15. Cum vero homo sibi superior non sit, nec subditus, fit manifestum legem ferri debere ab hominum superiore; cum lex non feratur nisi a superiore in subditum. Regula igitur honestatis, & inhonestatis non erunt leges civiles; cum ante ipsas quædam fuerint, ad quæ tenebamur, quæ si omiserimus, inhoneste ageremus.

Sed de iis pactionibus hominum quid dicendum? Si homo natura sua sit institutus ob justum amorem sui, ut bonum sibi procuret, nimirum vivere, & jucunde vivere, semel quod hæ pactiones noxiæ mihi evadant, possum resilire, & legibus etiam Principis contraire: non enim homines omnia prævident, & odorantur futura. Siquidem, *jura sibi homines sanxerunt pro utilitate, scilicet varia, pro moribus, & apud eosdem, pro temporibus sæpe mutata*, ut ajebat Carneades Hobbii Magister.

Quod animum mutemus quando noxia experimur, quæ prius ut utilia amplexi fueramus, prudentis est animi, non inconstantiæ vitium, quod suadente justo, honestoque amore, quo a natura donamur, in nobis met ipsis exequamur, laudabile est: Jam vero ob justum amorem in nosmetipsos, possumus insidiis, fraudibus, armis, cæde aliorum, nobis bona procurare ad quiete vivendum, potiore jure poterimus a pactionibus resilire: Tunc etenim, quam vim leges a pactionibus accepere, perdent per dissensum. Carebunt igitur vi obligandi, si noxiæ esse incipiant, ut bene contra Hobbium argumentatur Schmasius.

Quod de pactionibus dicimus, idem dicendum de legibus Principum, si removeamus legem Dei, qua præcipimur *Obe-*

dire Potestatibus tanquam a Deo ordinatis . Rom. 9. 13. Nam quoties legum observantia in malum vergat subditi , is minime obligabitur : Siquidem jure naturæ homines æquales sunt ; omnesque iisdem juribus in omnia potiuntur . Jus autem , quod habent Principes , ex consensu populorum nascitur , quod omnes jus , quod natura habent , in Principes transferant , eisque subjiciuntur , quod sperent bonum sibi futurum eorum legibus subjacere . Cum vero viderint sibi noxias esse , inimicas , & odiosas , & contra jus sibi a natura concessum , poterunt ab obedientia se subducere , & tanquam Tyrannum Principem habere, si vi cogat subditos . Quæ omnia tametsi enormia , & necessariæ subordinationi adversa , & boni ordinis subversiva devoret, Hobbius necesse est .

§. III.

De recta ratione differitur , & iterum legum existentia insinuatur .

Docet Hobbius , ut refert Auctor vitæ ipsius , pag. 6. *Mores hominum ab humana proficisci , virtutes , & vitia a lege naturali , bonitatem , & malitiam actionum a legibus Civitatis derivari .* Monet tamen idem Hobbius libertatem , & jus , quo fruitur homo , subdi *rectæ rationi* . De Civ. c.1. §.7.

Quid autem Hobbius nomine *rectæ rationis* intelligat , difficilius est divinare , quam Mundi finem , faciliusque conciliabis Lupum cum Agno , & Pardum cum Hædulo , quam veri nominis *rationem* rectam , cum ejusdem Hobbii canonibus . Inconstantem , & somniatorem cum Rapino dicamus ; & cum Parkero : *Hobbius ab iisdem principiis contraria demonstrat ; nihil novi in philosophia civili attulit, nisi , quod impium sit , & absurdum .*

Mores a natura ; vitia & virtutes a lege naturali . Quos mores ? belluinos , efferos , crudeles, & humani generis destructores : sed eadem natura suis legibus hos mores efficit virtutes , aut vitia . Quid autem est esse virtuosum , nisi bonum , & honestum ? Virtus etenim est , quæ facit bonum , ait Aristot. Quid vero vitium , nisi quod virtuti opponitur , quod proinde vitari debet , tanquam inhonestum , turpe , & infectum ? Ad quid igitur advocare leges civiles , ut actionibus afferant honestatem, vel malitiam ? Omnia subjicit *rectæ rationi* , sed quæ est Hobbio

bio recta ratio? proprium judicium, cujus est judicare de bono, & malo. Quid autem est malum? quod primo naturæ principio opponitur, nimirum propriæ conservationi; pro qua habenda, insidiæ, vires, fraudes, cædes aliorum, sunt *Virtutes Cardinales*; solumque malum erit, si homo seligat medium sibi noxium, ut ex ipso vidimus.

Videamus si ex eodem principio propriæ conservationis, & vitæ, demonstrare possimus Hobbio, Pufendorphio, cæterisque hujus indolis hominibus, quænam sit recta ratio in judicando de rebus hominis.

Illud dicimus rectum judicium, sive recta ratio, quæ verum complectitur, eique adhæret; cum etenim, *hominis sit propria veri inquisitio, & veri investigatio*, ut ajebat Tul. de off. l. 1. n. 4., sequetur homo, quod a propriæ naturæ cupiditate instigatur, si verum sequatur, atque adeo ipsius ratio recta erit, & secundum rectam naturam, qua homo creatur rectus. sed cur dicemus propriam esse homini veri inquisitionem? respondet idem Tul. *quia rerum cognitionem ad beate vivendum necessariam ducimus*. Hæc duo mirabiliter connectuntur: *unusquisque natura scire desiderat*: *unusquisque felicem esse desiderat*: quæ in ore omnium Philosophorum omni ævo fuere.

Ut vero rem hanc, a qua pendet, quidquid dici potest, patulam esse vel ipsis initiatis demonstremus, plurima censemus præmittenda. I. Non statim jus naturæ putandum esse, quod moribus, & consuetudine firmatum videmus: Quot bono communi Reipublicæ Athenis communia erant flagitia, antequam Solon novem constitutis Archontis facultatem obtineret a populo, ut *instituta præsentia, pro arbitrio abrogaret*? Plutarc. in Solone, factus propterea *controversiarum arbiter, & Legislator*? Sed ne sacra monumenta deleramus; *temporibus ignorantiæ, quæ Deus despexerat* Act. 17., 30. Antidiluvianis, quin, & posterioribus scelera, et quidem majora in usu erant, et consuetudine; ut fuse explicat Auctor sap. capitibus 13., 14., 15., et 16., ita ut colere figmenta *convalescente consuetudine hic error tanquam lex custoditus fuerit*. Sap. 14., 16. Et ne taceamus de tempore adventus Servatoris; quot abusus, errores in legem, quot injustitias etiam erga parentes prætextu Religionis. Mat. 15. 5. non invenit, non detexit, non reprobavit?

II. Præmittendum est nos gaudere lumine quodam, et vi discernendi, quæ a natura nobis data sunt, ut verum digno-

scere possimus ; non etenim semper fallimur ; culpa vacaret, qui falleretur, atque proinde nusquam peccaret in voluntate, quæ vim cognoscitivam consequitur ; sed error, & culpa refunderetur in Deum, qui nos ita instituisset, ut semper falleremur. Non natura igitur fallimur, sed ex modo, quo nobis proponuntur objecta. Hinc fit aliqua nobis proponi ut bona, quæ aliis mala ; & eadem nobis ipsis modo bona, modo mala.

Rerum difficultas, & obscuritas prudentem non decipiunt : is enim rebus inspectis si veritas non appareat, judicium continet, aut verisimiliori adhæret, formidat tamen. Duo porrò sunt, quæ efficiunt objecta male proponi nobis ; unum exterius ; alterum interius. Ad exterius pertinent, educatio, sophismata, incomposita oratio. Ad interiores errorum causas, reducuntur sensus, & passiones, quibus si appositis regulis, & cautelis, mederi non satagamus, facile erit in errores induci. Et undenam tanta opinandi varietas in statuendo felicitatis objecto, quas ultra ducentas agnovit S. Augustinus ? Unde modo in Anglia tanta religionis diversitas, ut in una familia sex, vel septem sectas sit invenire, nisi ex diversitate imaginationum, passionum, sed præcipue ex superbia, qua unusquisque sibi sufficere existimat ? cum tamen *non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis*. 2. Cor. 3. ; quare monet Eccl. 11. 26. *ne dicas : sufficiens mihi sum*.

Quæ a natura proficiscuntur, constantia sunt : cujuscumque nationis sit homo in bonis oblectatur, in malis contristatur ; unusquisque dolores aversatur, mortem refugit. Quæ vero ab aliis causis obveniunt mutationi sunt obnoxia ; utilitas populorum, bella, consociatio cum advenis, & similibus priscæ consuetudines vilescunt, nova in pretio veniunt. Apud Lacedemones quondam furtum gloriosum erat ; nunc apud omnes infame. Superstitio olim communis erat religio ; nunc vero abominabilis.

Quod si Pufendorphius, cui adhæsisse Grotius videtur, quæ educatione discimus, venditare velit pro jure naturæ primi, qui ea, quæ docuerunt, operabantur, necesse erit, ut a natura acceperint. Cum vero natura in omnibus eadem sit, omnes nationes in iisdem moribus convenirent. Quod apertissime falsum est.

Prætereundum non est, passiones quandoque ita esse vehementes, ut vires naturales non sufficiant ad eas compescendas.

das. In conflictu carnis adversus spiritum recta ratio proponit bona æterna; sed cum ea absentia sint, & futura, sensibus, & passionibus odiosa, & ingrata, econtra objecta præsentia totam vim voluptatis exerunt in sensibus, tantisque illecebris alliciunt, & sollicitant, ut ratio defatigata, & fessa a suo munere cesset, & dominium passionibus permittat, ut scilicet præsentibus fruatur.

Nil propterea mirandum, si turpia quædam communia fuerint apud quasdam nationes, præcipue cum ad solicitanda corda illorum hominum, consuetudo, exempla parentum, & magistrorum valerent. Cum vero, ut docet D.August. de Civit. Dei c. 19. 12. *Nullum vitium deleat extrema naturæ vestigia*, minime excusandi sunt, si sequuti sint *turbam ad faciendum malum*: Exod. 23. 2., & veritatem in injustitia detinuerint: *cum argumentum pessimi turba sit*, ut ajebat Stoicus: unum Socratem, unum Platonem, unum Tullium, qui insanam vocabat turbam Deorum, pro Magistro habere debuerant in ea multitudine iniquorum hominum; aut saltem, quod erat potissimum, conniti quam maxime illis onus erat, ut animus sua nativa libertate in Deum attolleretur. *Animus* etenim, ut ait Tul. 1. de leg. 8. *est ingeneratus à Deo, a quo vere agnatio est cum Cælestibus*, & vel genus, vel stirps appellari potest: Quod & Poetæ dixerunt, *ipsius enim, & genus sumus*: act. 17. 28. Qui namque fieri potuit, ut humanus animus innoxie, ita prostitueretur, deturpareturve, ut nedum flores, fructus, Ranas pro Diis haberet, quemadmodum Romanos deridet Tertul. sed etiam sordidos, impurissimosque, ut refert Arnobius, cæterique Apologistæ ex PP. Et usque adeo creverat insania, etiam in Rom. Rep., ut homo debere esse Deo propitius ut Deus esset: Florem etenim, & Ranam veneratus homo mane, si sero illi minime placuisset florem destringebat, Ranam necabat, & Deus amplius non erat: *nisi homini Deus placuerit, Deus non erit*. Tertul.

Non igitur excusamur consuetudine aliorum, aut doctrinis, aliave exteriore solicitatione, cum naturæ leges sequi possimus, & debeamus. *Variis*, equidem, *imbuimur erroribus, & vanitati veritas, & confirmatæ opinioni natura ipsa cedit. Nihilominus non simus sapientes, quod, quæ facere videmus, faciamus, sed in hoc sumus sapientes, quod naturam ducem, tanquam Deum sequamur, eique paremus*, ajebat Tul. de of. l. 3. c. 12.

lib.

lib. 2. Tusc., & Cat. M. C. Scip. *Aliqua quidem* turpia non videntur consuetudine, more, aut etiam lege civili; verum *naturæ lege statutum est ea esse turpia*. De off. lib. 3. n. 17.

Unum addamus, quod pertinet ad jam relatos, qui jus naturæ putant erui debere ex his, quæ communia sunt hominibus, & Brutis. Pluries Scriptura Brutorum exemplis nos provocat. Quid inde? *vade ad formicam piger* Prov. *6. 6.* ut incitet ignavum, & inertem, & discat parare necessaria ad victum, nec abscondat *manum suam sub ascella*, & nolit laborare. Prov. 19. 24. Provocat etiam ad villicum, ut discamus merita ad vitam æternam cumulanda Luc. 16. Sed tamen *villicus iniquitatis est*, nec eum imitari debemus in infidelitate, & fraude, quemadmodum nec formicam in damno aliis afferendo. Ad Bruta nos minime provocat Deus, ut homines occidamus, eorumque carnes voremus; ad proximum lædendum; ad omittendam curam fœminæ prægnantis, & filiorum; ad non servandum jus, legem, & honestatem conjugii, quæ omnia operantur bruta. Ad Bovem, & Asinum, qui noverunt *præsepe Domini sui* Isai. 1. 3., ut dignoscamus Deum, Dominum nostrum, eique grati simus. Cæterum nos non comparat Deus jumentis, Equo, & Mulo, *quibus non est intellectus* Ps. 31. 9. ps. 48. 13., ita ut eadem faciamus, quæ Bruta facere consuevere; nec humanas actiones indifferentes declarat, quemadmodum actiones brutorum.

Ut cœptum iter reassumamus. Brutis quoque convenit, quod homini in eo instinctu conservandi semetipsum. *Principio generi animantium*, inquit Tul. l. 1. de of. c. 3. *est a natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur; quæque ad vivendum sunt necessaria, acquirat, & paret, ut pastum, ut latibula. Commune item animantium omnium est conjunctionis appetitus procreandi causa, & cura quædam eorum, quæ procreata sunt. Sed inter hominem, & belluam hoc maxime interest, quod hæc tantum quantum sensu moventur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accomodat, paululum admodum sentiens præteritum, aut futurum. Homo autem, quoniam rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comprobat, & rebus præsentibus adjungit, atque nectit futuras, facile totius vitæ cursum videt, ad eumque degendum præparat res necessarias, eadem natura vi rationis hominem homini conciliat . . . ad vitæ Societatem.*

Nunc

Nunc autem sensa Tullii, quæ jugulant Hobbios, Pufendorphios, Schmasios, aliosve, ad officium vocemus rectæ rationis. Recta ratio compellit hominem ad se diutius, et felicius conservandum; sed ad hoc obtinendum, ut vidimus ex Tullio, necessaria est veri inquisitio, quam nos natura docet necessariam *ad beate vivendum*. Constat homo ex anima, et corpore; inquisitio veritatis pertinet ad animam, quæ aliud nihil magis desiderat, quam veritatem. Inter omnia nihil nobilius, nihil optabilius, nihil potentius veritate, *magna est veritas, & prævalet* 3. Esdr. 4. 41. Veritas autem Deus ipse est. *Ego sum via, veritas, & vita* Jo: 14. 6. Cecidit e Cælis Satan *quia in veritate non stetit, quia non est veritas in eo* Jo 8. 44. Ne igitur injuste hanc veritatem detineamus, quemadmodum illi, *qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt ... sed evanuerunt in cogitationibus, & obscuratum est insipiens cor eorum*, quibus accensendi sunt hi, quos aggredimur. Rom. 1. 18. 21., necessarium est, ut anima ad se, et ad cor suum redeat, se ipsam consideret, et meditetur vitam beatam, quam tantopere desiderat.

Beatitudinem ex Platone definit Picus Mirandolanus, *reditus Creaturæ ad suum principium*: cum nimirum redit unde venit; a Deo prima causa, venit ad Deum ultimum finem, & summum bonum revertitur, eique adhæret, et conjungitur. Hoc solo satiari unice potest. Perturbari, agitari, occupari potest ab aliis rebus cor hominis, *cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest*: *capacem Dei, quidquid est minus Deo, non implebit*: experiebatur S. Bernardus extra Arcam, columba non invenit ubi requiescat, quare *inquietum est cor nostrum donec requiescat* in Deo ajebat. S. August.

Beatitudo illud bonum est, quo adepto nihil amplius desiderat homo; si etenim adhuc quid aliud optat, agitatur, laborat, ut acquirat, status autem beatitudinis est status pacis, optatissimi otii, & imperturbabilis fruitionis. Qua in re, igitur collocanda Beatitudo, nisi in unione mentis cum summa veritate, et cordis cum summo bono, ejusque fruitione?

Hobbius, qui animam in operatione ex organismo corporis constituit; Deumque corporeum facit, quid pro beatitudinis summa statuit? An forte annorum millenarium ad æternitatem producit, ut æternum fruatur homo corporeis delicils, ut corporis voluptatibus beatus sit? Pejor certe Cerinto, qui tantummodo

modo mille annos hominibus, ut corporibus fruantur, post resurrectionem concedit: *homines in carne iterum concupiscentiis ... conversationem habituros*, per annos mille Cajus in Dialog. Et quidem cogitur Hobbius ad producendum regnum millenariorum ad totam ęternitatem si velit suos Epicureos beatos; quandoquidem, sola cogitatio, quod bono, quo quis fruitur, sit aliquando privandus, sufficit ad beatitatem exturbandam, adeoque is beatus non erit.

Itaque si ad beate vivendum toto conatu solicitamur a natura, et prima naturæ lex nobis pręcipit, ut vitam nostram quęramus, procuremus, et retinere satagamus; et alias vita beata, in acquisitione summi boni, ęternum duratura sita est, fit manifestum, prima naturę lege nos obstringi, ut vitam ęternam quęramus; media autem, quę ad hanc conducunt, non sunt scelera, furta, insidię, cędes, cupido dominandi, aliaque, quę hominem indignum vita efficiunt; sed virtutes, nimirum amor Dei, & proximi, liberalitas, prudentia, humilitas, et cętera, quę hominem faciunt honestum, et bonum, cui propterea beatitudo debetur, ut pręmium, et merces *Magna nimis*, quę Deus ipse est. Gen. 15. 1.

Quæsitum.

Num ad perfectum desiderium felicitatis vis naturæ sufficiat.

Certissime unio Creaturę rationalis cum summo bono, in quo sita est felicitas hominis, omne desiderium naturę superat, et vires; et quemadmodum tota corporum collectio non pertingat ad unum gradum nobilitatis, et excellentię substantię spiritualis, ita universę naturę vires ad superioris ordinis res non accedit, ut adversus Pelagianos tenuit semper Ecclesia Christi. Gratia igitur, quę erigat naturę vim, necessaria est.

Creet Deus rationalem creaturam omni gratia destitutam, hęc ferri necesse est in Deum, quem pro summo vero, et summo bono suspirat. Mentis etenim objectum est verum voluntatis bonum; at cum vero, et bono limitato non satietur, sed aliquid ei remaneat optandum, fit, ut Deum ipsum desideret. Jam vero creatura isthęc Deum amet amore utique naturali, illa minime beata erit, nam summum bonum non videbit, nun possidebit. Rationalis creatura causas videre desiderat: visis effecti-

effectibus naturaliter *quis desiderat videre causam* docebat Arist., & felix illa est *qui poterit rerum cognoscere causas*.

Est quidem amor quædam amati possessio, & vicissim dilectus possidet amantem, animaque magis est ubi amat, quam ubi animat: verumtamen quo proximior amans est dilectæ rei, eo magis incenditur, ejusque fames, & sitis acuuntur magis, ut rem dilectam videat, contrectetur, possideat, eaque summe fruatur. Ad hoc autem desiderium videndi summum bonum, eoque summe, sive totis viribus fruendum, natura non sufficit: requiritur igitur Dei auxilium, ut natura ipsa erigatur, potisque sit ad eam perfectissimam unionem pertingere. Sed inferes.

Igitur impossibilis est status puræ naturæ rationalis? Malim id asserere cum nobiliore schola, quam negare: nec arbitror puram hominis naturam, sensibus ornatam vivacissimis, & minime per peccatum originale obsfuscatam, posse fortissimis impressionibus objectorum, & passionum irrutionibus, & insultationibus resistere sine Dei adjutorio. Resistet quidem uni, sed agendo patitur non nihil, sensus delectationibus insolescunt, passiones audaciores fiunt, impudentiores, & tanquam spiritus nequissimi adoriuntur animæ domum, ut *ingressi habitant ibi*: Mat. 12. 15. Sed hæc provincia aliorum sit.

CAP. V.

De Regula honestarum actionum humanarum.

CEnset Hobbius, alibi datus, inaniter quæri quænam sint actiones honestæ, vel inhonestæ, nisi prius statuatur aliqua regula fixa, firmaque ad cujus examen revocentur. Ast ipse Hobbius solus, hoc ænigma, seu hanc salebrosam quæstionem, novus Oedipus solvit, cum nullus alius hanc regulam invenerit. Spretis PP., ac venerabili antiquitate, saltem, sacro verbo pepercisset, quasi nec ipsam regulam honestatis præfixerit. Id vero est ne pure præscindere a revelatione, an eam omnino spernere? Ordine debito procedamus.

§. I.

Num Deus sit colendus etiam actionibus exterioribus.

Affirmandum certissime: nam Deus auctor est visibilium, & invisibilium, utramque etenim creavit creaturam spiritualem scilicet, & corpoream; ut autem Deo reddamus quæ sua sunt, oportet etiam corpus in sui gloriam offerre. Est pariter Deus ultimus finis corporearum rerum; adeoque ne inordinate quid contingat, corporeis etiam tanquam mediis uti debemus ad eum finem; quod expressissime dicit Prov. 16. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*. Manichæorum igitur error erat, quod corpora a Deo malo creata sint; atque adeo in Dei boni gloriam offerri non debere. Honestas porro in ordine sita est; honestum quod ad debitum finem ordinatur; turpe quod ab hoc ordine deviat.

Hoc dogma in Scripturis manifestum est. Corpus nostrum servare debemus *hostiam sanctam, viventem, Deo placentem* Rom. 12. 1. Jubemur exerceri in hymnis, & canticis spiritualibus, qua de re pleni sunt psalmi; Jubemur pariter opera misericordiæ exercere; jejuniis, aliisque pænalitatibus carnem, & membra nostra mortificare, quæ certe opera corporalia sunt. Et quid Hobbio etiam Deo maledicere verbis, opus honestum est, si legibus sancitum sit, tametsi desit in animo intentio maledicendi.

Opera autem istiusmodi exteriora non nisi honesta *materialiter*, ut Scholæ ajunt, sunt. Nam proprie honestas, aut inhonestas residet, ubi residet libertas, qua possumus legem observare, vel transgredi; hæc autem in sola voluntate consistit; quare exteriora opera nonnisi imperata dicuntur.

Leges porro Civiles nonnisi officia exteriora hominum prospiciunt, & moderantur, secus vero interiores animi motus: Cum ordinentur ad societatem; & societas sit multitudo hominum, qui non vident nisi ea, quæ parent, solusque Deus intueatur cor, cujus est scrutator; consequitur honestatem quam haberent actiones Civium ob conformitatem ad leges non futuram nisi civilem, legalem, secus vero moralem, ed in genere veræ honestatis.

Opera, & sacrificia hebræorum, quæ Deus jubebat procul-

cul dubio honesta erant ; verum honestatem veri nominis non obtinebant nisi ex interioris animi affectionibus ; quare quæ ab ipsis fiebat sine honestate actuum interiorum Deus detestabatur : *Calendas vestras , & solemnitates vestras odivit anima mea* , Isaja 1. quo in capite similiter sacrificia , victimas respuit ; & cap. 58. 3. reprobat jejunia Hebræorum , quia fædata sunt a propria voluntate . Quod autem Deus detestatur , & reprobat, habere nequit veram , & legitimam honestatem . Actus igitur interiores hi sunt , qui vera honestate obumbrant opera exteriora .

Quandoquidem actio externa ad eam speciem trahitur, ad quam pertinet actus voluntatis eam imperans . Hominis occisio a voluntate prædita auctoritate justitia est ; a Latrone injustitia : pecuniæ traditio ad misericordiam , vel ad prodigalitatem pertinet , si a voluntate procedit misericordis , vel prodigi : quare si observatio mandatorum , quæ opera exteriora exposcunt sine charitate , fiant , minime ad charitatem pertinent; ac proinde præceptum dilectionis Dei minime impletur per observantiam illorum , sine amore cordis ; quam evangelicam doctrinam , quidam ausi sunt impugnare .

Universim veræ virtutes , & scelera de *corde exeunt homicidia* , *furta &c.* Math. 15. 19. Labiis non honoratur Deus , dum cor loquentis longe est a Deo ibid 8. Exterior actio minima sit , si cor devotione , & amore ardeat magni Æstimatur a Deo ; & præfertur magna operanti . Marc. 12. 43. Hinc Theologi omnes una conveniunt charitatem , & animæ justitiam formam esse virtutum , & radicem meriti . Deus igitur qui intuetur cor , & voluntatem veræ honestatis , aut inhonestatis sedem reputat , minime vero corpus , ejusque membra . Mala quidem sunt opera si a lege Dei prohibeantur ; bona si jubeantur ; sed *formalis* honestas , aut turpitudo in corde , & ex corde pensatur : quare si fiant opera exteriora quamquam intrinsece mala , si ab ignorante invincibiliter fiant , non deputantur ad demeritum .

§. II.

Num leges Civiles sint regula propriæ honestatis .

Si quidquam ratum , fixumque esse in Hobbiano sistemate , blandiri possemus , res per Hobbium decisa foret . Siquidem

ideo cogit subditum ad obediendum Principi præcipienti negare Christum esse filium Dei, quia inquit, cultus est actus interior, quem Princeps non prohibet. Si porro cultus est honestus tametsi contrarius actui exteriori jam honestas illius cultus non habet pro regula legem civilem. Quod si ea blasphemia honesta pariter est, quod sit conformis legi civili jam actus fidei, & actus fidei contrarius, verumque mendacium, erit honestum duplici honestate.

Quæ diximus §. præcedenti sufficere possunt ad resolvendum hoc dubium. Nihilominus operæ pretium existimamus nonnulla superaddere. Et primo Leges Principum subjacere secretiori legi æternæ, ut insinuat S. Augst. Dial. cum Evod. qua examinantur; quemadmodum, & Princeps examinari debet in Tribunali Dei judicis. Secunda. Potestates Laicalem, & Ecclesiasticam uniri debere in se invicem, ut bonos subditos efficiant, quod potissimum spectant leges Divinæ. Quare actio contra religionem turpis est, & si prætextu obedientiæ fiat: nec bona est actio contra obedientiam Principi debitam, etsi fiat religionis colore: virtutes namque simul sociantur amico fædere quod a pluribus ad unum tendant, eique cor uniant; ad discrimen vitiorum, quæ ab uno divergunt, & in plura contraria dispergunt, quare avarus prodigus esse nequit.

Prisci Episcopi, & veri Christiani Principibus, etsi discolis, & infidelibus obsequebantur, corporaque sua in ministerium offerentes, salvo tamen religionis capite imitantes Serpentes. Valentiniano parebat Ambrosius, in omnibus citra fidei præjudicium; resistebat, cum juberet Ecclesias tradi Arianis, Epist. ad Valentin, quod perpetuis exemplis edocemur. Igitur inhonestum est, quod Principes contra virtutem præcipiunt; atque adeo Regula justi, & injusti, honesti, & inhonesti non sunt Civiles Leges; ut blasphemant Hobbius, Saldenus, quibus, & Pufendorphius adhæsit.

Leges justæ esse debent; præcedit igitur aliqua regula ad quam examinari debent, eique conformari. Non justæ erunt si præciperent bellum in omnes, quod generi humano perniciosum admittit Hobbius. Quod autem ab alio pendet, eique subjicitur primum esse nequit. Dicant isti legum naturalium conditores, num Pompilius, aliique legumlatores juste egerint, dum Deorum cultum præciperent: Leges has Spiritus S. *Errores* appellat Sap. 14. 16. an ne populi juste agebant paren-

gendo? Reprobantur a Christo, qui custodientes mandata hominum transgrediebantur Dei mandata. Math. 15. 3. 10. Sed si ab Evangelio rubbellant, audiant Tullium 1. de Leg. *Si populorum jussis, si Principum Decretis, si Judicum sententiis jura constituerentur, jus esse latrocinari, adulterare; jus testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis, aut scitis multitudinis probarentur. Quæ si tanta potestas est, stultorum sententiis, atque jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciunt ut quæ mala, perniciosa quæ sunt, habeantur pro bonis, ac salutaribus? Aut cur cum jus, ex injuria lex facere possit, bonum idem facere non possit ex malo? Atqui nos legem bonam a mala nulla alia nisi naturæ norma dividere possumus; & solum jus, & injustitia a natura judicantur*. Nonne & Hobbius ipse pronuntiat filium non teneri occidere Patrem, etsi reum, quamquam Princeps id jubeat, quia naturæ ratio inhonestum indicat?

Si nulla sit lex Civilis prohibens homicidium sine causa justa, occidere erit injustum nihilominus, & ideo prohiberi necesse est, ait Hobbius, a lege Principis. Lex igitur Civilis si quam justitiam continet, eam a naturæ legibus mutuatur: quare scribebat Tullius 2. de Leg. *Sapientissimorum fuit sententia legem neque hominum ingeniis fuisse excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum Mundum regeret imperandi, probibendique sapientia. Ita Principum legem illam, & ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei, ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt recte est laudata. Est enim ratio, mensque Sapientis ad jubendum, & deterrendum idonea*. Quæ si vera sunt, sapientissimorum cum sit, ita judicare, justum erit ab albo sapientum radere eos, qui contrarium opinantur.

Hocler. specim. juris Socialis 67 docet pactionibus non tolli jus, quod natura concedit. Hobbius jus belli affirmat esse ligandum legibus. Pufendorph. de jur. nat., & Gent. C. III. §. 2. concedit pactionibus, & legibus hominem non ligari contra jus, quod est a natura datum. Jam vero lex, cui honeste contradicimus non est prima regula honestatis: honeste autem a lege subducimur, ut sequimur jus naturæ: igitur: Insidias, fraudes, & dolos, eaque similia, quæ Hobbius suo homini permittit lege naturæ prohibentur. *Aliter leges*, ait Cic. de Of. l. 3. c. 17. *aliter Philosophi tollunt astutias: Leges*

ges quatenus manutenere possunt: Philosophi quatenus ratione, & intelligentia. Ratio igitur hoc postulat, ne quid insidiose, nequid simulate, nequid fallaciter ... si domum propter vitia vendas ... hoc quamquam video propter depravationem consuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege sanciri, aut jure Civili: tamen naturæ lege sancitum est.

Concludamus aurea D. Aug. sententia lib. Peprædest. & Grat. *Quis ita desipiat, vel potius quis ita blasphemet, ut dicat de justitia Dei lege humanæ justitiæ disputandum? Quæ profecto si justitiæ adversatur injusta erit. Ab illo enim, qui summe justus est omne qualitercumque justum est, manere manifestum est. Quis enim est, qui incommutabiliter manentem, & omnia, quæ sunt Systemate condentem, regentem, atque servantem Dei sapientiam perdat humanæ sapientiæ arbitrio?*

§. III.

Humana imbecillitas leges expostulat.

Schmasius pag. 85. edit. Gotting. an. 1740. asserit hominem non nasci pro veritate inquirenda, sed præcise ut fruatur. *Verus usus rationis est ut inserviat voluntati: non igitur ratio veritatem quærit, sed utilitatem, & voluntatis delectationem.* Minime sentit Schmasius amorem beatitudinis, seu æternum vivere beatum, esse incitamentum naturæ; idque constans, & invariabile. Sed quale debet esse bonum, quod felicem, beatumve reddet hominem, quis nisi mens, & ratio investigare, & discernere potest? Ut ajebat Tullius 1. de Leg. n. 8.

Nec experiebatur Schmasius, quibus casibus, & lapsis obnoxia sit imbecillis humana voluntas passionibus gravata, invasa, & obruta, ut propterea sensus, & instinctus pro regula honestatis sequenda proposuerit. Schmasio aptemus verba Apostoli 1. Cor. 2. 14 *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt ... & non potest intelligere.* Eidem Schmasio sequenti, & eunti secundum passiones desiderii quadrat illud B. Judæ 19. *venient illusores, secundum desideria sua ambulantes, hi sunt, qui segregant semetipsos*, (ab utentibus ratione) *animales spiritum non habentes*. Hujus hominis doctrina, non sapientia est, quæ *desursum descendit, sed terrena, animalis, Diabolica.* Jacob. 3. 15. Filios Diaboli appellat Christus Dominus eos, qui volunt

lunt facere desideria Diaboli Joan. 8. 44. hæc autem sunt desideria carnis, sive *desideria cordis* 1. Joan 1. 24. nimirum cordis animalis, quæ *militant adversus animam*, & mentem, sive rationem. 1. P. 2. 11. hujusmodi sunt Schmasiani instinctus, quos, spreta ratione, sequendos proponit.

Odiosus debuit esse Schmasius cæteris Protestantibus, a quibus recedit; hi etenim res examinare, & ad trutinam judicii adducere gloriantur sed, & a semetipso fugit Schmasius. Nam vel suum systema examinavit, & tunc usus est discursu, judicio, & ratiocinio, adeoque & secutus est, non instinctum, sed rationem: si non examinavit, non ut homo ratione utens audiendus, sed ut rebellis lumini fugiendus.

Schmasius adoptavit instinctus tanquam leges naturales, eo quod, inquit, dictamina rationis, ut in plurimum, erronea sunt; qua causa Philosophi gentiles turpiter errarunt in assignando bono, quo homo beatus esse possit; alii etenim in honore, in dominio alii; qui in voluptatibus animi; qui in voluptatibus corporis collocant. Hanc imbecillitatem ingeniorum, utinam sincero animo, fassus fuisset, eamdem etenim, & pejorem fateretur in instinctibus. Et quid magis ridendum quam si quis ad voluptates instigetur, qui ad opus crudelitatis; qui ad avaritiam, ad rapacitatem, ad blasphemandum ec. ei respective sit summum bonum voluptas, occisio, furtum blasphemia ec.? Iidemque instinctus esse tot leges naturales, quæ ipsos inclinat ad beate vivendum illis flagitiis? Cum tamen leges naturæ eædem sint, & constantes in omnibus.

Ex hac geniorum imbecillitate orta utique sunt tot opinionum monstra, quibus ita constuprati sunt homines usque ad verticem, ut homines ex limo nili, & putredine nati existimarint: alii post Deucalionis Catachismum lapides projectos a fronte in masculos, & retrorsum jactos in fæminas conversos asseruerunt. Deitates porro ad libitum finxerunt, ut Vaccas, Serpentes, Ranas, Flores, cæpas haberent pro Diis; sed & alios creabant etiam ex sterquilinis. His medendis malis nullum efficacius remedium revelatione, ut nervose probat Lact. Firmianus lib. 5. instit. Hac etenim hominis natura ad meditationem sui ipsius revocatur, agnoscitque, qualis nam sit indoles, qualisque ultimus finis, & summum bonum, in quo solo quiescere potest, ut felix sit, & beatus.

Ad hunc finem Deus providus ducere debuit homines,

quos

quos creavit, & his officia manifestare, quibus expleti ad finem pervenirent. Id autem fit legibus; quibus per semitas rectas incedere possent; & sine quibus homo imbecillis, inconstans, & varius obnoxius esset rapi *omni vento doctrinæ innequitia hominum, in astutia ad circumventionem errorum*. Eph. 4. 14., & attendere *spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum*. 1. Tim. 4. 1. *ut spiritus manifeste dicit*. Leges igitur necessariæ erant, ut provide, & bene consultum foret hominibus.

Quærenda ratio est in omnibus, ajebat Cicero. *De Fato*. Primum principium in moralibus est ultimus finis; ne homo in hoc erraret, ex quo prolaberetur errando perpetim, partes erant Creatoris imprimere cordi stimulum, quo ad illum finem inclinaretur, ut inexcusabilis fieret, si adversus propriam, naturalemque inclinationem ageret. Hanc dicere possumus primam naturæ legem scilicet, *quærendum esse ultimum finem*. Propria etiam utilitas idipsum expostulat, cum hujus finis adeptione homo felix evadat. Quare secundam legem naturæ, asserere possimus, *procurandam esse felicitatem*. Sed quia hæc in manu nostra non est, ut a conditore obtineamus, ei est inserviendum. Sed qua via? Quibus officiis? Illis utique, quæ nobis præcipit: nimirum gratitudinis, spei, amoris, dependentiæ ab ipso, & similium.

Hæc si fecerimus modum imponemus instinctibus, insultibus; & quibuscumque impulsionibus sensuum, & passionum, quæ latrare quidem possunt, & solicitare, sed mordere, & vincere non possunt nisi volentem. Necessariæ igitur leges sunt, ut secundum hominem vivere discamus, & possimus.

§. IV.

Quænam voluptas in officiis quæri possit.

Schmasius totam humanarum actionum æconomiam reponit tandem in fruitione, & voluptate, itaut aliud nihil natura incitante, quærere debet, aut teneatur, nisi frui. Condonandum ei foret, si defruitione hominis ratione recti loqueretur; sed ipse hominem præcise animalem considerat, ejusque voluptates pro fine, a natura intento, constituit; itaut Tyrannum appellet eum, qui voluerit compescere hominem instinctu, & passione actum, ne fruatur eo, ad quod instin-

ctu

ctu compellitur. Non ita expresse loquuntur alii Protestantes sæpius enuntiati, sed in eo, quod ajunt: primam legem naturæ homini esse ut vitam felicem, quantum fieri potest, sibi curet, in Schmasianum delirium labuntur. Quid sentiat Hobbius sub illo jure in omnia satis patulum est.

Actionibus, quæ ad vitam uniuscujusque, & ad generis humani propagationem sunt necessariæ Deus apposuit voluptates, ut fierent, nimirum ut homines ad ea agenda excitarentur. Quis avarus aptiora emeret ad cibum? Quis non frangeretur ærumnis, laboribus, solicitudinibus, quæ connubium circumstant, & consequuntur, nisi incitaret natura voluptate sequestra? Sed ibi Deus non desinit, non ibi ratio, non ibi natura humani animi: perennitatem natura exposcit, ut in natis propagaretur servitus Deo debita; ratio expostulat, ut Dei majestatem multitudo veneretur; idipsum Deus jubet.

Creavit Deus Adam, fecitque ei adjutorium simile sibi, non eo fine, ut voluptatibus indulgerent corporeis, ejsque tanquam lege præstitutis instituerentur; nec eos produxit, ut præcise hac vita fruerentur, & jocunde viverent, & sibi solis: æfrenis ista voluptas, quæ mentem absorbet, ea in eo statu non erat; sed rationis erat subdita imperio, ne animum ab unione cum Deo abstraheret. Illud voluptatum dominium Epicureorum, & Millenatierum turpitudines sunt. Altius tendunt Divinæ dispositiones; aliud postulat ordinis ratio. Connubium præcipit Deus vage quidem; permittit, non jubet singulis. Adamo jussit, *crescite*, inquit, *& multiplicamini*, hic est finis connubii. His Divinis præordinationibus regi homo debet, non voluptate, ne jumentis similis fiat.

Bruta voluptatibus incitantur; sed Deus, qui eis utitur, dirigit in scopum veluti sagittarius sagittam, nimirum in gloriam suam: Ratione summa, cum sit præditus, agit propter finem; nec alium finem, cum sit summum bonum, sibi præstituere potest, nisi seipsum, alias a sua natura laberetur. Hunc eumdem finem nobis præstituit Deus, nec alium poterat; quare jubemur omnia in gloriam Dei referre; *sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite*. 1. *cor*. 10. 31. Non ergo voluptas finis est a naturæ conditore præstitutus, sed ipsius gloria. Uti igitur creatura homo debet, tanquam medio, minime vero frui tanquam fine a Deo proposito.

Sed neque voluptas est finis operis; nam multiplicitatem natura, & ratio quærunt, quod magnifice explicabat Tobias 8. 9. *Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adjutorium Hevam. Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa conjugem accipio, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.*

Finis igitur erat ei, non voluptas, sed procreatio, hujus autem propagationis finis gloria Dei erat. Sit itaque appetitus rationi, & Deo subditus, *sub te erit appetitus, & tu dominaberis illius. Gen.* 4. 7. nec Tyrannos appellet Schemasius rationem, & Deum, si jubeant inservire appetitum legibus, & ordinationibus, vetentque dominari.

Voluptas igitur medium est in officiis, non finis: aliter agere est *frui utendis, & uti fruendis, in quo magna perversitas consistit, ut docet. S. August.* Et quidem si solo Deo satiari potest homo; & aliud nihil fortius desiderat quam satiari, & jocundari, vera voluptas, & felicitas hominis in fruitione Dei collocari debet, qui suos *torrente voluptatis potabit* psal. 35. 9. Ut quid in guttis quiescendum asserunt, si torrentem suspirat Cor.?

Usque adeo homines isti voluptatem, tanquam hominis finem venerantur, ut si ea caruerit, possit sibi mortem inferre: *nec dubium mihi videtur*, ait Schmasius Dissert. 5. §. 10. *homini licere in propriam vitam ... si repente eam abrumpat tædio ejus, & miseriarum impatientia. Licet enim contra instinctum naturalem, quo vitam suam quisque carissimam habeat, mortemque tanquam malorum omnium maximum abhorreat agere isti videantur, revera tamen non agunt.* Nec homo sibi vitam abrumpens, *ulli facit injuriam, quia volenti, & consentienti nulla fit injuria.*

Mortem omnium malorum maximum natura esse docet; & tamen majus malum erit pati miserias hujus vitæ? Injuria irrogatur Reipublicæ in suicidio, & ideo leges Civiles in cadavera horum insanium animadvertunt. Crudele illud facimus, bestiis etiam exosum, inhonestum est; contrarium charitati, qua homo se diligit; Divinæ etiam voluntati, quæ nulli dat jus in vitam, atque adeo inhonestum.

Excelsi animi non est sibi mortem dare, sed vilis, & abjecti ce en is nimirum passioni, quam superare non vult, docet Aristot., virtute fortitudinis caret, qui similia operatur. Non

Non laudatur, sed punitur qui gloriatur se occidisse Saulem, etsi depoposcisset ab Armigero mortem. 1. Reg. 31. 2. Reg. 1. *Quod tibi vis fieri alteri fac* Schmasio suffragium ferret, si amenti, furioso, alterique poscenti mortem daremus. Patrem posset filius, in hoc casu, occidere; cum tamen teneatur pascere, ne moriatur; *si non pavisti occidisti*.

Nullum majus bonum, in hac vita, quam vita. In hanc nullum jus, nisi Dei auctoris vitæ, & mortis. Nulla Principi obedientia, cum ei nullum sit jus in vitam, nisi subditus reus fiat: tunc etenim illius occisio maximopere conducit, ut docet August., ad observantiam mandati *non occides*; si namque non tollerentur iniqui, insurgerent in innocentes, cum maximo humani generis præjudicio. Si vero nulli nullum jus in vitam; contra jus ageret, qui poscentem occideret: Huic juri nullus cedere potest, nisi irrationabiliter, & contra Dei imperium; adeoque nullus alium licite occidit, nisi auctoritate Dei, qui potestati publicæ id committit, quoties delictum id exigit, salvo semper præcepto: *Insontem, & justum non occides*. Exod. 23. 7.

Pauca adhuc de voluptate dicamus. Voluptas sensuum est quædam suavis motio in sensibus ex objecti delectabilis adeptione proveniens. Suis voluptatibus gaudet animus, ut verum sit illud: *trahit sua quemque voluptas*: animus non deteritur a voluptate sua, trahitur animus amore; delectatur bono virtutis, delectatur beatitudine, delectatur æterna vita, ex August.. Voluptate, non carent meditabundi illi, quos irrisoriè, vocat Schmasius, *animas cœlestes*. Voluptas mentis alia est *contemplationis*, nimirum suavissima lætitia, orta ex clara, & perspicua cognitione veritatis. Alia est *actionis*; delectatio est orta ex facili, & constanti actionum directione secundum virtutem. Alia tandem *effectionis*, & oritur ex mentis directione actuum, quibus veritas rerum comparatur.

Hinc mentis voluptas sita est in quiete, & tranquillitate animi possidentis bonum sibi conveniens. Quid autem hæc jocunditas, & delectatio sit, nullus exprimere potest; expertus solus agnoscit, & sentit, *si autem frigido loquor*, ait S. Aug. *nescit quid dico*, est illud *manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit*. Apoc. 2. 17 Scit homo sui ipsius contentum non esse, extra se plura desiderat, quia pluribus caret, ut quiescat, & felix sit: si se ipso contentus non est, aliud se

 ipso

ipso melius optat : nihil tamen præter Deum melius est homine : solo igitur Deo contentus erit ; id quidem sentit ; sed quanti sit ipsa voluptas fari nescit . Tanta quidem est quanto melior est anima , quanto melior Deus : siquidem major est voluptas , quo amans , & amatus meliores sunt : tunc etenim vires omnes exerit principium dilectionis; magis inardescit amor , quo dignius , & amabilius est objectum ; anima gaudat ferme immensa vi amandi , Deus solus potest ei coæquari ; nullum convenientium objectum : nulla igitur major voluptas, ea, quæ ex unione animæ cum Deo exurgit . Sed de ea *non licet homini loqui* . Sane Salomon , *omnia quæ desideraverunt oculi sui concessit illis* ; *nec prohibuit cor suum* , *quin omni voluptata frueretur* . . . Sed tamen vidit omnia esse *afflictionem* , *& vanitatem* . Eccl. 2. 10. In acquisitione sapientiæ , quæ Deus ipse est, sola quies, & tranquillitas cordis ; tanto differt sapientia a cæteris *quantum lux a tenebris* . ibid. v. 13. Tantoque differt voluptas ex sapientia , a voluptatibus , quas homo percipere potest in his , quæ sunt vanitas , & afflictio spiritus .

Detestemur merito Schmalium , aliosque , qui hominis deprimunt dignitatem , & excellentiam ; vocemusque eos , cum S. Timotheo 2. c. 3. 4. *proditores* , *protervos* , *tumidos*, *& voluptatum amatores magis quam Dei* . Et cum Tito 3. 3. *Insipientes* , *incredulos* , *errantes*, *servientes desideriis* , *& voluptatibus variis* .

Jure autem *insipientes* vocantur isti voluptuosi errantes etiam in philosophicis : Siquidem voluptas nequit esse finis actuum sive cognitionis , sive electionis , & amoris ; adeoque neque potest esse ipsa beatitudo . In possessione summi boni stat felicitas , non in gaudio , & voluptate, quæ possessionem sequitur, & ex illa nascitur . Mente trahitur bonum , illudque vivida cognitione mens amplectitur ; voluntate , & amore exit animus in bonum , quod possidet , in eoque veluti vivit ; quod exprimi videtur , juxta aliquorum PP. sententiam , illis verbis : *intra in gaudium Domini tui* , eo quod anima , veluti in Deum amore ingrediatur . Voluptate , & gaudio caruit ad tempus anima beata Christi , tædio, & tristitia , *usque ad mortem* transfixa , ut tenent Canus , Serry , & alii .

Effectus igitur animi complectentis suum bonum sunt voluptates , non vero primum in quo beatitudo consistat , ut docent Theologi . Miseria in carentia bonorum consistit , non in-

in tristitia quæ illam consequitur. Pœna damni in Inferno privatio est summi boni; æterna tristitia, et dolor sunt effectus, qui inde consequuntur. Peccatum pariter; quod est maximum malorum non in voluptate, sed in opere vetito totum repositum est. Qua voluptate afficitur quis occidendo Patrem, quem summe diligit, si ad id adigatur ab jubente sub pæna mortis propriæ? Hinc falluntur quidam Theologi docentes, Susannam potuisse permittere sensibus, quod procaciter petebant, ne honoris detrimentum clamando pateretur dummodo non consentiret *voluptati*. Posse pariter virginem se tradere stuprandam Tyranno minitanti excidium Civitatis, dummodo voluptati consensum non præbeat. Falluntur inquam quam maxime, nam peccatum non est voluptas, sed *dictum*, *factum*, *vel concupitum*, sive volitum *contra legem*, hoc tantum peccatum perficitur.

Nec minus falluntur in honoris idea. Honor est exterior nota optima meriti alieni. Est præmium virtutis, cui debetur gloria, & laus, ut cum Tullio 2. offic. & 3. Tusculi sentiunt Philosophi. Quæ virtus, quæ honestas consentire in opus lege vetitum? Quæ laus, quis honor Susannæ deberetur? E contra laus, & honor ei debitus foret si clamasset, ut ab opere turpi liberaretur. Publica namque fuisset ejus honestas. Honorem non amittimus si clamamus, ne vitam, opesque, invadente latrone, perdamus; & honori præjudicabit clamor ad servandam honestatem? Dehonorare cupiebant senes Susannam, & perdet honorem, ut honorem servet. Laudatur a Legislatore Deut. 22. 27. puella, vi oppressa, si clamavit: *Sola erat in agro: clamavit, & nullus fuit, qui liberaret eam*. E contra culpatur, si non clamet, & lapidibus obruitur: *Lapidibus obruetur puella, quia non clamavit*. ibid. 24. non erat igitur licitum, & gloriosum non clamare sed ingloriam, & turpe: clamare vero opus bonum, quod audientes homines glorificaturi forent Deum.

CAP.

CAP. V.

De lege Dei , & Naturæ necessaria .

HObbius , Schmasius , Seldenus , Pufendorphius , aliique ex Lutheranis , putant actiones hominum indifferentes, fierique honestas , vel inhonestas ex lege libera Dei approbantis , vel vetantis : Catholicos vero , quibus adhæret Grotius, qui oppositum docent , vocant : *tenebrosos Asinos , Sycophantas , & nebulones* , qui velint Deum necessario subjectum Fato cuidam Stoico ut non possit pro libito præcipere , aut vetare , quæcumque velit . His non parum favent incauti quidam ex catholicis , qui asserunt : *quædam esse mala quia prohibita , quædam vero prohibita quia mala* . Quod etsi verum sit , leges tantummodo positivas , & non naturales inspiciendo: tamen putare aliquas actiones ita esse malas , ut prima ratio *inhonestatis* sit aliquid præter Deum, error est . Nam ita discurrendum foret de honestate actionum , atque adeo prima honestatis ratio non foret Deus , sed ratio humana , aut aliud quidpiam . Quæ igitur intrinsece mala dicuntur , ne dum *fundamentaliter* mala sunt , sed etiam *formaliter* , & ideo mala quia prohibita , a lege , utique necessaria , & non libera Deo , quod in sequentibus patefiet . Utamur prius comparatione veritatis necessariæ.

§. I.

Veritates quædam sunt necessariæ , & invariabiles .

Non nemo judicavit essentias rerum pendere a Divina libera voluntate , allegans illam D. Augustini amantis expressionem , qua gratias agebat Deo , quod ipsum creaverit hominem , non lapidem , quasi ille idem Augustinus potuisset , si Deus voluisset , esse lapis . Hinc ex illius sententia pronum foret deducere , potuisse falsas esse propositiones sequentes : *Triangulus est figura tribus angulis constans : duo , & duo sunt quatuor : Totum est majus sua parte* , quæ propositiones expresse continent essentias *Trianguli* , *Quaternarii* , *& Totius* . Sed quid dicet de

his

his propositionibus, quarum contradictoriæ Deum destruunt; nimirum: *Deus est unus*; *Deus est justus*, *Deus est bonus*. Nam si hæ necessario veræ non sunt, sed contingenter, poterant esse veræ hæ aliæ: *Deus non est justus*, *bonus &c.* Manet igitur evidens in linea, & regno intelligibilum extare veritates necessarias, immutabilesque.

Ultra illam D. August. expressionem adducunt hoc argumentum in favorem suæ opinionis; habuit etenim ille auctor suos asseclas. Hæc veritas *totum est majus sua parte*, sicut & hæc *duo*, *& duo sunt* quatuor est veritas creata, igitur aliquod creatum erit extra Deum, æternum, & independens a Divina voluntate.

Verum sub specie religionis hoc ratiocinium immense religioni præjudicat. Monet D. August. cavendum quam maxime, asserere quidpiam in materia religionis, Scripturasque interpretari contra evidentiam principiorum naturalium; id etenim foret risui, & contemptui exponere religionem, & Dei verbum. Quis etenim infidelium persuadere sibi poterit veram esse religionem, & a Deo revelatam, si constet esse contrariam naturæ, ejusque Auctori Deo? Consulatur Clar. Muratorius *de moderamine ingeniorum*. Respondeamus nunc paralogismis.

Sensus D. Augustini is est, *gratias tibi ago Domine, quod eum potueris creare lapidem, qui tibi inserviret*: irrationabilia namque Deo inserviunt, *eo quod*, ut inquit Ambrosius; *ab officio*, propter quod facta sunt, *non recedunt*, *me dignatus es creare, ut te frui possem*. Argumentum vero a ratione petitum semetipsum confodit: Demus verum esse, & Divino libero beneplacito, sive decreto, *totum est majus sua parte*; erit etiam æterna, & Decreto coæva, istiusmodi veritas, quod in idem absurdum reincidit.

Similia ratiocinia longo tempore exercuerunt ingenia, ea quæstione, num propositiones de contingenti futuro sint veræ determinate, in signo ante decretum; in qua quæstione de *non negotio negotium fecerunt*. Siquidem tam veritate fruuntur, aut falsitate inficiuntur propositiones illæ contradictoriæ, quam vera sint hæc principia, *quodlibet est*, *vel non est*. Impossibile est *idem nec esse*, *nec non esse*: *si defuit unum contradictorium aliud suo modo esse debet*. Quare, *homo*, *qui ignoret Dei Decreta*, *aut præscientiam*, *tamen evidentissime perciperet*

Petrum

Petrum cras esse peccaturum, vel non, utrumque simul fieri non posse, ac proinde alteram ex illis propositionibus esse veram, alteram falsam, ex natura propositionum sibi contradicentium facile concluderet. N. Jacquier Instit. Philos. Log. p. 2. c. 3. a. 1.

Hanc veritatem, si diligenter perspicimus, docuit Arist. in lib. *perihermenias*: explicans propositionem de futuro nunc veram esse dummodo aliquando verum sit dicere, *res nunc est*; propositio enim de præsenti regula est propositionis de futuro, & præterito. Hæc cum negare nequiverint Philosophi putantes non nihil præjudicii creari propriæ sententiæ obscurare nisi sunt distinctione *determinate*, & *indeterminate*: Sed hanc distinctionem non patiuntur principia mox adducta; nec patiuntur propositiones de subjecto determinato; sed tantummodo illæ quarum subjectum non determinatur; ut *oculus est necessarius ad videndum*, in qua non determinatur dexter, aut sinister, aut uterque; quare hæ propositiones; *dexter est necessarius*, *sinister est necessarius*; *uterque est necessarius*, sunt omnino falsæ. Falsa pariter erit omnis affirmativa de futuro, Si necesse sit præcedere decretum. Nam deficiente aut non existente constitutivo, *aut verificativo* propositionis, quale ab ipsis supponitur decretum, non existit verificatum, sive veritas, ut per se patet.

Sed nunquid ad Medistas deficimus? Nequaquam. Summa rei Medistas inter, & Prædeterminantes in eo sita est: num sub auxilio indeterminato, sive indifferenti possit Deus prævidere Petri determinationem; quod minime sequitur ex admissione veritatum de futuro pro signo priori ad Decretum; cum, ut v. g. sit futurus Antichristus, pendeat a decreto, quo Deus in signo posteriori determinabit aliquando fore: etenim Deus, qui *omnia, quæcumque vult facit*, præscit quid facturus sit. Quod P. Palanco facile concedit, arbitraturque hac via purgari scientiam mediam ab inconvenientibus, illam vero viam non ingreditur ob duo argumenta Goudini, quæ ut ingenue fatear, tantum virum commovere non debuerant.

Timores, quibus acti sunt, qui noluerunt admittere veritatem futurorum, in signo priore ad decretum, ii sunt, qui Medistis vires dederunt, putantes rem confectam, & *scientiam mediam* manifeste demonstratam; cum revera nihil adjuvaminis, re bene inspecta, recipere potuissent. Quid autem sit veritas

ritas propositionum ostendamus, ut morosas difficultatas dissolvamus.

Veritas non est quidquam in se existens extra Deum, non enim est *quidditativum* quidpiam, aut idea volitans, quam *minuta, & humili subtilitate Aristoteles affinxit Platoni*, ut ajebat Didymus apud Eufeb. lib. 15. c. 15. Sed est ipsa convenientia atributi cum subjecto, quæ extra Deum existit dum enunciatio profertur voce, aut mente: In se autem est convenientia modo dicta existens in Deo, *qui exemplaria rerum omnium intra se habet, numerosque, quæ agenda sunt, & modos mente complexus est*; *Plenus hic figuris est, quas Plato appellat ideas immortales*. Senec. Epist. 65. similia habet D. August. explicans illud Joan. 1. *Quod factum est in ipso vita erat*: & lib.83. qq. q.46. ubi commonstrat, quidquid extra Deum ponitur, prius extitisse vitam in Deo; quod non aliter intellexit Plato, qui teste eodem August. *rationes rerum in Deo existentium appellavit ideas*. Dum igitur ajo *Deus est bonus*, ipsa formalis veritas in mea enunciatione subsistit, qua verum dico, sed ipsa convenientia atributi cum subjecto, est ipsa Divina bonitas, quæ Deus est. Quod dicendum de quacumque veritate; ut *totum est majus sua parte*, hæc etenim convenientia est in ipso Deo, in quo est omnis veritas, & rerum convenientia, necessitudo, & ordo.

§. II.

Deus est prima veritatis regula necessaria, & non libera.

Id sufficienter constat ex mox dictis. *Primum in unoquoque genere est mensura cæterorum*, ajunt omnes Philosophi; prima autem veritas est Deus, adeoque & norma, & mensura omnium veritatum. Vera igitur est enunciatio, quia conformis est exemplari in Deo existenti. Veritas ad perfectionem pertinet, & econtra falsitas ad imperfectionem, & defectum ab ordine, & vero: omnis autem perfectio in Deo est, & a summa perfectione Dei proficiscitur; igitur prima veritatis regula Deus est, non aliquid creatum, & defectibile. Rati quidem hominis res examinat, & discernit; sed non ideo res vera est, quia ita esse ab homine judicatur.

Jam vero non remanet in libertate Dei mutare, quæ in Deo ipso necessario sunt: *Bonitas, justitia, unitas, sapientia* in Deo necessario sunt, non poterit igitur mutare has propositiones veras in falsas: *Deus est bonus, unus, justus, sapiens*. Idem dicendum de cæteris veritatibus necessariis, ut *totum majus est sua parte: duo & duo sunt quatuor*. Videatur S. Th. q. *de verit.*

§. III.

In confirmationem hujus, solvuntur quædam objecta.

Primo. Si omnis veritas a Deo dimanat, Deusque est norma veritatum, utique omnis falsitas promanabit a Deo, normaque illarum erit.

Quod claritas oriatur ex efficacia radiorum solis, non inde sequitur, quod tenebræ ex radiis oriantur, aut quod Sol sit norma, & origo tenebrarum, nisi consecutione logica, quatenus verum est: *non adsunt radii solis: ergo adsunt tenebræ*. Deus lux est, & tenebræ *in eo non sunt ullæ* erroris, & falsitatis; quare error, & falsitas aliud nihil sunt nisi defectus, & recessus a norma veritatis, quæ est Deus.

Secundo. Si veritates illas Deus mutare non potest, non esset Deus omnipotens, cum aliquid efficere non posset.

Quid dicent morosi isti argutantes de iis propositionibus: *Deus non potest producere chimæram: Deus non potest falli, peccare, & fallere*: ergo non est omnipotens? Hujusmodi enunciationes ex imbecilli imaginatione prodeunt, quæ cum non possit æquis conceptionibus, & vocibus Deum comprehendere, & enunciare, cogitur plurima exprimere, quæ revera Deo non conveniunt, ut in his *Deus non potest &c.* in quibus *potentia* pro *impotentia* exprimitur. *Deus se ipsum negare non potest*, ait D. Paulus 2. Tim. 2. 13. Non potest odisse se, seque destruere, ob id non erit omnipotens? Minime, immo ideo erit omnipotens, & summe perfectus. Audiamus Augustinum serm. 213. alias 119. de temp. n. 2. *Omnipotens est ad facienda majora . . . Cœlestia, terrestria, immortalia, mortalia . . . mori non potest, peccare non potest, non potest mentiri, non potest falli, tanta non potest, quæ si posset non esset omnipotens*. Et Serm. 214. n. 2. edit. Bened. *Non potest justitia velle quod injustum est; aut sapientia velle quod stultum est; aut veritas velle quod falsum est . . . . si potest esse quod non vult, omni-*

omnipotens non est : est autem omnipotens . Et de Symb. ad Cathec. n. 2. *Si mentiri , si falli , si fallere , si inique agere posset , non esset omnipotens* . Concludamus cum D. Anselmo : *posse falli , mentiri &c. non est potentia posse , sed impotentia* . Si lux posset causare tenebras lux non foret .

Tertio . Si quædam enunciationes , falsæ, aut veræ ita sunt, ut Deus eas variare non possit , prima veritatis regula , a cujus defectione oriatur falsitas , non erit Deus , sed natura ipsa rerum talis ex se erit independenter a Deo . Chimæra ita ex intrinsecis impossibilis est , ut a Deo produci non possit ; nec a Deo peti potest ipsius impossibilitas : quare aliquid extra Deum ipsum Deum cogeret , tanquam stoicum fatum , cui subiiceretur , ne variare posset illas propositiones , & chimæram non producere .

Hæc & similia ratiocinia cogunt nos diutius immorari in expendendis plurimis , quæ ex robustiori methaphysica pendent . Interim ex his concludere possumus , & admitti debere possibiles actiones , quæ sint ita intrinsece bonæ , aliæ malæ , quæ a libera lege , & voluntate Dei non pendent . Sed de hoc infra .

§. IV.

Expenditur præcipua Methaphysices Doctrina de Deo .

Quidquid cogitare possumus aut ad rationem entis , sive rei positivæ pertinet , aut ad genus negationis , sive non entis, *quodlibet vel est , vel non est ; sive quodlibet vel est ens , vel non ens* . Quare nulla est veri nominis negatio , quæ non opponatur enti, seu quæ non neget aliquid entis . Cum vero ratio ipsa entis sit perfectio quædam ; cum melius sit esse ens, quam non esse ens, sequitur omnem veram negationem deficere a perfectione , sive ab ente , adeoque omnis veri nominis negatio imperfectio est .

Monet post P. Palanco , Emin. Cenfuego, quod dum agimus de Deo , mitigandæ , sive explicandæ sunt propositiones negativæ, & præveniendæ negationes , ne Deo imperfectiones, & entis, sive perfectionis defectus , & negationes tribuamus incaute ; Cum manifestum sit in Deo , qui est omne esse , nullum habere locum posse entis negationem , aut diminutionem ,

Ut veram Dei ideam habeamus, considerandum est *ens* universalissimum, in quo certe nulla negatio relucet, aut reperitur; cum omne *esse* excludat omne, & quodlibet *non esse*. Ipsum autem *ens* universalissimum, atque adeo perfectionum omnium complexum individuemus, & ponamus in uno, ipsum est ipse Deus; quod satis ipsemet Deus suo nomine Moysi expressit Exod. 3. 14. *ego sum qui sum*. *Qui est misit me ad vos*; sive ut vertunt LXX. *ego sum ipsum ens*.

Hinc oritur discrimen, & differentia rerum: nam Angelus v. g. a Deo differt per defectum entis in ipso Angelo, & per excessum entis in Deo. Etenim non discriminatur Angelus a Deo in eo, quod est ens; siquidem Angelus, & Deus sunt ens: sicut quantitas palmaris non differt a bipalmari in eo quod sit quantitas, sed in eo quod sit tantum palmaris, & non ultra. Ita pariter differt a Deo Angelus, quod sit *ens* hoc tantum, & non magis; & Deus sit *omne ens*, seu *ipsum totum ens*. Ajebat propterea D. Augustinus *in his*, *quæ non mole magna sunt*, *eorum melius est esse*, *quod majus est esse*, videlicet ea meliora dicuntur, quæ magis de ente a summo ente participant. Spiritualis substantia magis de Deo participat, quam materies, quam idem Augustinus appellat: *prope nihil*, *& Angelum prope Deum*. Quidquid igitur entis, & perfectionis habet creatura, a Deo, entium omnium singularium fonte habet: quod ulterius de ente non participet, a nihilo proprio habet: Lapis omnimo nihil erat, aliquid portionis entis a Deo creante participat, quidquid ei ulterius entis deest, est veluti portio sui *nihili* sibi relicta. Negationem igitur habet entis hominis, Angeli, & Dei; licet participet a Deo illud aliquod entis, quod habet.

Hinc facile dignoscitur, quod quidquid vere negativum est, a Deo non potest proficisci. Nam quemadmodum quia in Sole non sunt tenebræ, Sol eas causare non potest; sic cum Deus sit omne *esse*, & nulla entis negatio in eo sit, negationes causare non potest. Jam vero cum chimæra negationem entis dicat, & repugnantiam cum ente, ut *homo non homo*, eam creare nequit. At istud *nequit* impotentiam non significat, sed summam potentiam, quia nimirum cum sit omne ens, & omnia entia possit, solummodo ad entia extenditur ejus potentia, & ideo creare non potest chimæram, quia omnia potest. Ita recte dixeris *ideo Deus peccare non potest*, *quia potest quid-*

quid

quid bonum, & honestum est, quia summe Sanctus est. Verba igitur *non potest*, & hujusmodi, quæ negationem præseferre videntur, veras negationes non innuunt, sed summam perfectionem, potentiam, virtutem, & omne esse revera significant.

Nemo dat quod non habet, nec ulla causa potest facere, quod in se aliquo modo non contineat; Deus autem, qui est *omne esse*, non nisi *esse* dare potest; negationes autem *esse* non sunt, sed ipsi *esse* contradictorium: igitur nulla negatio a Deo oriri potest. Hinc cum Dei natura sit causa primordialis omnium possibilium, eo quod omnia contineantur in ipsa, sequitur, quod Dei ipsa natura sit norma impossibilium, quia scilicet sicut ideo possibile aliquid est, eo quod in ipsa natura, quæ est *omne esse*, contineatur, ita ideo aliquid impossibile est, quia in ea non continetur: Quod possibile est, ens esse potest: igitur quod esse potest, in *omni esse* continetur; quod impossibile est, in illo *omne esse* non continetur; erit igitur impossibile, quia in Deo non continetur. Prima igitur regula dignoscendi, cur aliquod sit possibile, aut impossibile erit ipsum *esse*, seu Deus ipse. Ideo namque chimæra est impossibilis, quia in Deo non est participabilitas chimæræ; & ideo non est hæc participabilitas chimæræ, quia Deus est *omne esse*, excludens omnem negationem, seu non esse. Quemadmodum ideo alter Mundus est possibilis, quia in Deo invenitur fœcunditas, sive participabilitas, quam alter Mundus participare potest; ideo autem in Deo reperitur hujusmodi participabilitas, quia Deus est *omne esse*.

Nec vero inferendum, ut male arbitrantur Protestantes aliqui, Deum subjici a Catholicis Fato Stoico; nisi Fatum, quo cogi Deum Stoici nonnulli incaute scripserunt, intelligatur pro ipsa summe perfecta natura Dei, quæ nonnisi bona approbare potest. *Deum servum esse necessitatis* ajebant; & Seneca: *Necessitas Deos alligat ... ipse ille omnium Conditor, ac Rector, scripsit quidem Fata, sed sequitur*. Sed quid sit ipsum Fatum, explicat idem Seneca lib. 6. Benef. c. 21. *Non externa Deos cogunt; sed sua illis in legem æterna voluntas est*: & Præf. in l. Benef. *Non posse Deum quidquam e Fatorum lege derogare, quia necesse est, ut eadem illi semper placeant, cui nisi optima placere non possunt. Neque ob hoc minus ille liber, & potens est: ipse enim est necessitas sua*. Ex qua celeberrimi Stoici sententia recte deduci potest, quædam esse bona, quæ Deus necef-

cessario amat; & ex opposito quædam mala, quæ Deus necessario odit. Ex eadem Senecæ mente permulti inter doctos dubitant, an toti Porticui sit adscribendus error tam insubidus, quod nimirum *Deus servus sit necessitatis*, sive aliqua re extra se cogi.

§. V.

Ostenditur plures actiones esse necessario bonas, alias malas.

Bonas dicimus actiones, quæ consonæ sunt regulæ honestatis, quæcumque tandem illa sit, quæque laude dignæ sunt: malas vero, quæ ab illa regula deficiunt; & propterea vituperationem merentur. Quarumdam actionum hujus generis existentiam, & characterem sæpissime ex ipsa Hobbii, & Schmasii sententia commonstravimus in hoc opere. Ut exercitium juris in omnia, perniciosum humano generi, legibus, & pactionibus coercendum. Legibus parere bonum esse, & præceptum a lege naturæ. Aliaque similia. Sed ad alias demonstrandas pergimus bonas, & malas necessario.

Judicium hoc *Deus est amabilis, justus, bonus &c.*, est necessario verum, adeoque & a Deo necessario approbatur: bona igitur necessario hæc alia enunciatio: *bonum est Deum diligere*; & hæc necessario falsa, & mala: *justum, & sanctum est Deum odisse*. Igitur Deum diligere bonum erit, & a Deo approbatum, utpote conforme suæ bonitati, & amori, quo Deus seipsum necessario diligit. Amore autem Deo tribuimus quod meretur; Odio autem auferimus, actus igitur justitiæ est Deum diligere, & injustitiæ odisse.

Quod est simile necessario sancto, & honesto, debet esse necessario sanctum, & honestum, & præcipue si illud sit participatio istius: nam æque erit conforme regulæ, & normæ honestatis. Porro amor, quo Deus semetipsum diligit, est necessario sanctus, & honestus, conformis suæ summæ bonitati, & sanctitati, quæ est regula, & norma honestatis, & sanctitatis humanorum actuum: Amor, quo Deum diligimus, est participatio ipsius amoris, quo seipsum Deus diligit, & conformis Divinæ bonitati: erit igitur bonus, honestus, & sanctus. Illum igitur Deus diligere debet, si diligit seipsum. Quod autem Deus diligit, bonum est, in eo genere, quo bonum est.

Omnia, quæ Deus fecit, diligit, quia phisice bona sunt: *Vi-*

Vidit Deus quod esset bonum Gen. 1. Jam vero amor, quo Deum diligimus bonus erit: spectat autem ad genus moris; erit igitur bonus moraliter, & a Deo dilectus in eo genere: & quemadmodum participat de amore Divino, participabit quoque honestatem, & sanctitatem ejusdem Divini amoris, & quemadmodum quod aliquod sit necessario verum oritur ex summa veritate Dei; ita ex summa bonitate, & honestate Dei oriri debet quod aliquid sit necessario bonum, & honestum. Actiones proinde, quæ huic amori contrariæ sunt, ut odium Dei, erunt dissonæ bonitati, & sanctitati Dei, adeoque necessario malæ.

Deus reprobare nequit amorem, quo amatur ab homine, nisi reprobet, aut non amet objectum illius amoris; nam reprobare actum est eum ut malum habere; nullus actus ut malus haberi potest, nisi tendat in objectum malum, aut non bonum, aut indebite, & devie ab aliqua legitima regula: actus, quo Deum amamus, non tendit in objectum malum, sed summe bonum, nec indebite in eum tendit; nec deviat a regula bonitatis; Cum igitur Deus nequeat se malum putare, *se ipsum negare non potest*. 2. Timot. 2. 13. nec amor, quo Deum amamus, a debito exit, aut a regula deviat, sequitur a Deo reprobari non posse. Non est igitur actus indiferens, qui jussione Dei fieri possit inhonestus; erit igitur bonus.

Nec potest Deus approbare, & honestum judicare odium Dei. Nam odium est aversio a malo: qui quidpiam odit, illud ut malum habet, ab eoque, quia malum censet, fugit: igitur qui Deum oderit, ut malum habet: Deus itaque approbans odium Dei, ratumque habens, judicabit bonum esse recedere a Deo, tanquam sit malum: adeoque seipsum negaret, & summum bonum, ut malum haberet.

Quis autem justus rerum est existimator, qui reprobet in aliis, quod in se summe approbat, & exequitur? Et exosum, ac odiosum habet, quod in semetipso approbat, & de eo, ut bono sibi complacet? Et econtra approbet ut bonum, quod ipsemet judicat in se esse non posse, nisi ipsemet destruatur, ut odium suæ bonitatis?

Si honestum posset Deus facere odium Dei, intellectu posset Deus assentiri ut veræ huic enunciationi. *Odium Dei est honestum*; quæ enunciatio si vera est, posset & eam voluntate approbare, & velle odio haberi; cum autem odium Dei, sit affective Dei destructio, posset velle, desiderare, & amare sui de-

destructionem. Quid etenim est odium, nisi affectus animi voluntate aversantis, quod præeunte cognitione videtur malum; quod autem videtur malum, ita existimatur dissentaneum, ut nullam cum odium habente, habere debeat societatem, & pacem: hanc autem societatem, & pacem ita aversatur, ut destrui velit inimicum.

Quid si impius quispiam blasphæmet, *Deus est injustus*; *Deus est impossibilis: non est Deus. Pereat Deus*; aut cum scelestissimo quodam ex Reformatis, qui in gabalum suffixus moriturus insaniter exclamavit, Christum alloquens, *venio nunc ad exturbandum regnum tuum*. Hæc ne Deus approbare potest ut vera, & ut honesta amare, & velle? Omnia Deus in gloriam sui condidit, & hoc fine amat: igitur amare nequit quod in gloriam sui non cedit; quod ei injuriosum, & aversum est. Igitur hæc, similiaque ita inhonesta conspiciuntur, ut Deus honesta facere nequeat: nequeat inquam, quia bonus, sapiens, sanctus, omnipotens; quia Deus, quæ si posset, non esset Deus, ut pote qui non nisi bona velle potest.

§. VI.

Idem propositum in aliis actionibus, roboratur.

Concedamus *bonum* nihil dici, nisi sit in utilitatem amantis; ita ut nullum objectum amari possit puro amicitiæ amore, sed amori semper insit utilitas amantis, cum Deus approbet omnia, quæ facit, & omnia amet: *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*. Sap. 11. 25. Ea diligere debet ut ordinata ad sui aliquod bonum, quo licet non egeat, de eo tamen complacet sibi; istud autem bonum est ipsius gloria, quæ ergo ab hoc fine deflectunt, & dedecori Deo sunt, approbare, & ut bona amare nequit Deus, qui ordinem omnibus rebus præscripsit, inordinationem amaret, velletque contrarium suis providentiis; immo & suo necessario amori. Cum Deus prudens sit propter finem agere debet: alium vero finem se minorem præstituere sibi nequit: *nam universa propter semetipsum operatus est Dominus*. Prov. 16. 4. Nec aliter agere potest, quia summum bonum, & ultimus finis est: Igitur nihil velle potest, quod in sui decorem non cedat. Non cedunt autem in sui gloriam, quæ propriam existimationem, & honorem lacessunt, spernunt, & proscindunt. Ex-

Exprobat Deus Judæis, quod ipsum non honorent, nec timeant. *Filius honorat Patrem, & servus Dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Malach. 1. 6. In qua exprobatione exprimitur non lex arbitraria, honorem, & timorem præcipiens, sed debitum naturale, quo filii erga parentes, & servi erga Dominos, premuntur. Cum igitur Deus, & Pater, & Dominus sit, ei naturali obligatione tenemur honorem præstare: nec huic propriæ prærogativæ, scilicet merito honoris cedere debet: *Non potest amittere quod naturaliter habet Divina Majestas*. Chrisost. Igitur amare nequit, nisi id, quo honoratur.

Ingratitudinis vitium pariter exprobat Deus Israeli tum in novo, tum in veteri Testamento. Duo loca afferamus tantummodo. *Multa bona opera ostendi vobis, propter quod opus me vultis occidere?* Joan. 10. 32. *Cognovit bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui: Israel autem non cognovit*. Isai. 1. 3. In iis reprehensionibus, nihil de liberis legibus, insinuatur; sed naturale gratitudinis debitum ostenditur, comparatione etiam Brutorum, quibus lex nulla est. Placere igitur Deo non potest ingratitudinis vitium ita naturæ contrarium.

Cum solus Deus auctor vitæ, & necis sit, nulli jus a natura est alium occidere, nisi Deus jus in vitam alterius concedat; quemadmodum concessit Abrahæ, cui reputata fuit *ad justitiam* Rom. 4. voluntas enecandi Isaac. Concedit pariter hoc jus Principibus, *a Deo missis ad vindictam malefactorum* 1. Pet. 2. 14. qua de causa gladium, Dei minister, *portavit*, *vindex in iram ei*, *qui malum agit*. Rom. 13. 4. Male igitur ageret, & contra jus Dei, qui vitam alteri auferret. Cum autem jus suum cogatur Deus amare, non poterit non detestare injustitiam occidentis.

Creavit Deus viventia ut multiplicarentur, *crescite, & multiplicamini*: ut creaturarum multitudine splendeat omnipotentia, sapientia, majestas, & gloria. Præcipue autem Divina atributa emicant in homine, qui capax est Deum colere cogitatione, amore; ac tandem creatus ad imaginem Dei, eo frui potest, similis ei fieri in patria, ac ita adhærere, ut sit veluti unus spiritus cum ipso. Qui igitur contra hunc naturæ, Deique finem vi agit, inhoneste operatur, & Deum offendit; quare Deus *percussit Onan, eo quod rem detestabilem faceret*. *Gen.* 38. 9. 10.

Si quis itaque in profundum malorum prolapsus semetipsum occidat, hac detestabili voluntate, ut æternum damnetur, & cum Angelis prævaricatoribus in æternum Deum blasphemet, & oderit, Deum, suumque amorem, & providentiam in homines, offendet, sive legibus arbitrariis id Deus vetet, sive non. Hobbius, qui pro prima, & præcipua naturæ lege habet conservare vitam, eamque jocundam procurare totis viribus, facilime concedet peccatum esse sibi vitam abrumpere: & tametsi animam, & Deum esse substantias spirituales neget, *quod prope accedit ad Atheismum*, ut adversus Sadducæos inquit ipse Leviat. cap. 8. pag. 41. tamen inhonestum, & contra naturam non negabit, velle æternum perire, & Marcionis voluptatibus perpetuo privari.

§. VII.

Dissolvuntur quædam objecta.

Abraham licite filium poterat occidere; Principes pariter plurimos morti tradunt; militesque suos ad occidendos hostes destinant. Hebræi licite bona Ægyptiorum occuparunt. Polygamia quondam licita fuit. Concluditur igitur Deo inesse potestatem, & jus, honestum, aut inhonestum approbare, quod ipsi lubet.

Honestum dicimus, quod jure fit: inhonestum, quod sine jure, aut contra jus alterius. Deus summo gaudet jure super omnia opera sua, quæ jure creationis ipsi subjecta sunt. Si Deus alicui tribuat jus super aliquid, ei illud honestum est, agit namque tunc ut minister, & Dei Vicarius: si illud jus Deus minime tribuat, inhoneste agitur.

Abrahæ jus Deus jubendo in Filii vitam, tribuit, honesteque fecisset si Isaac occidisset. Mesæ autem Regis Moabitarum scelus, dum proprium primogenitum, aut filium Regis Idumeæ Amos. 2. 1. occidit, ita immane, & turpe visum est Israelitis obridentibus Moab, ut orrore facinoris correpti, ab obsidione recesserint: *facta est indignatio magna in Israel, & recesserunt*. 4. *Reg*. 3. 27. Quia nimirum sino jure proprium filium, cum quo natura dedit secundam conjunctionem, ut loquitur Cicero, occidere enormis est crudelitas.

Pro-

Prohibemur proximum judicare, quia non nobis, sed *domino suo stat, aut cadit*. Rom. 14. 4. Sed Principi jus est reum judicare, & occidere; utique jure a Deo ita ordinante ipsi tributo: quare qui ei resistunt, *Dei ordinationi resistunt, & sibi damnationem acquirunt*: Rom. 13. 2. Eadem potestate, & jure instructi, jubente Moyse, Filii Levi occiderunt quasi viginti tria millia hominum, non parcentes filiis, aut fratribus; quod ita ratum habuit Deus, ut benedictionem a Deo reportarint. Exod. 32. 29.. Quod jus tunc tribuit Moysi, ut deleret reos, qui adoraverunt titulum aureum, posset nunc facere, *armare creaturas ad ultionem* Sap. 5. 18. si omnis caro corrumperet viam suam, sicut tempore Noe. Sine hoc jure qui occidit, inhoneste agit, & morti destinatur Exod. 21. 14. Naturà homines similes sumus, & pares; nullius igitur jure in alterum gaudet, ut interficere possit; sed solus Deus, qui auctor vitæ est, in illam jus habet.

Quod de vita, idem dicendum de rebus, quæ etsi alias nullius fuerint, tamen semel quod quis rem occupaverit, ita Deo disponente, ne cedes fierent, ita ipsius est, ut sine injuria ab alio auferri nequat. Nubilis nullius est uxor, at si nupserit, Mariti ita est, ut sine injustitia ab eo tolli nequeat. Deus itaque, cujus est terra, Dominus rerum Egyptiorum, opes illorum tribuit Hebræis in mercedem angustiarum, quibus ab Egyptiis oppressi fuerant.

Ab initio unum pro una, & unam pro uno creavit Deus, paresque in jure fecit masculum, & fæminam. Justis autem de causis, voluit Deus nonnihil juris uxoribus demere, quare resistere non poterat marito volenti alteram similiter desponsare. De devortio, sive repudio dicendum, quod aut Deus; si illud approbaverit, jus sustulerit fæminæ in virum; aut quod tantum permiserit in foro externo Moyses, ad *duritiam cordis*, ut ait Christus D. Math. 19. 8.

Nolim tamen jus quod contulit, aut confert Deus iis, qui honeste occidunt, extendi ad actus interiores animi, quasi occidentibus liceat odisse occidendos, omnibus etenim natura jussum est amare in proximis eam naturam, quam in nobis amamus. Quare non poterat Abraham odisse Isaacum; nec Principes, Judices, & carnifices odisse possunt reos. Ad milites quod attinet; cum Principes jus habent conservandi propria, & subditos, eorumque bona tuendi, si aliud non su-

 petat

petat medium, se, suaque tuendi, nisi occidendo injustum invasorem, miles licite potest in hostes, tanquam in reos insurgere, jure utique, & jussione Principis.

Ex his concluditur abesse a Deo libertatem contrarietatis, facere scilicet honesta, quæ natura inhonesta sunt, aut econtra. Modo inquiramus an insit Deo libertas contradictionis.

§. VIII.

Num gaudeat Deus libertate contradictionis in actiones quasdam.

Quæstio non est absoluta, num Deus possit non odisse blasphæmiam v. g. si namque hominem non creasset, blasphæmiam non vetasset; atque adeo remaneret blasphæmia in numero possibilium, quæ Deus nec amat, nec odit. Si hominem non creat ipsum non diligit actu, & veri nominis amore; amor namque si desinit operari, amor non est: & præcipue amor Dei, qui nusquam omnino inefficax esse potest, ut melior schola Theologorum docet.

Itaque asserimus non posse Deum non odisse blasphæmiam, & odium Dei si existant; nec non amare amorem; & timorem ipsius Dei, si creatura illum amet, timeatque. Jam supra vidimus, Deum non posse seipsum non amare, aut odisse. Jam igitur circa aliqua, hanc contradictionis libertatem non habet.

Idem amor, quo Deus se ipsum amat necessario, est odium, & detestatio ejus, quod opponitur summo bono, quod diligit, & amori, quo se amat. Odium Dei opponitur summo bono, & amori, quo se diligit; Si quidem odium in Deum tollit, affective a Deo boni perfectionem, & in eum tamquam in malum aversive tendit. Dum vero verum bonum si amamus, necesse est odisse malum, quod ei bono opponitur; Si sanitatem, si vitam amamus, eadem amoris mensura refugimus ægritudinem, & mortem: mensura etenim privationis est habitus, sive forma ajebat Aristoteles sicuti necessario, & non libere Deus diligit se ipsum, sic odit odium sui.

§. IX.

§. IX.

Responsio, quæ mox dicta impugnat, reprobatur.

Idcirco nos dum aliquod bonum amamus odio habemus malum, quod ei bono opponitur, quia illud bonum nobis utile esse potest. Sic ægritudinem mortemque oderimus, quia sanitas, & vita nobis jocunda, & utilia bona sunt. Sic odio habemus peccatum quia nos privat æterna beatitudine, quæ utilimum bonum est. Deo autem nihil utile, cum perfectissime beatus sit, & *bonorum nostrorum non eget* ps. 15.

Plura complectitur hoc argumentum; ne tamen prolixiores simus compendio utimur. Amorem amicitiæ distinguunt optimi Theologi ab amore, in quo nonnihil boni nostri miscetur: Amor puræ amicitiæ totus est ob bonum amici, nihilque in amantem reflectit. Hoc modo sancti quandoque amant Deum, qui ita bonus est, & amabilis ut nihilominus amari mereatur tametsi nihil boni nobis fecisset, aut facturus esset; ut docet S. Th.; possumus itaque odisse peccatum sive nostrum, sive aliorum quia turpe est, & offensa Dei, sine ullo respectu ad utilitatem, & bonum nostrum.

Deum improvidum, humanorum actuum incuriosum, qui *circa Cardines Cæli ambulet, & nostra non consideret*. Job. 2. 14. Qui hominem creaverit, & quasi Struthio privatus sapientia, qui parit ova sua, & derelinquit, duretur ad filios suos, quos creavit quasi non sint sui Job. 39. 14. etc. ac propterea de hominum felicitate non curet, asserere summa insania est.

Deus infinite prudens necessario agit propter finem. Finis, quem sibi præstituit inferior Deo esse nequit; alias subordinatus alteri foret: vult igitur, si creat, necessario quod creata in sui gloriam agant; sive ut tanquam media ad seipsum ordinentur: velle est amare, si igitur vult hominem sibi inservire, & ab ipso coli, necessario amat, approbatque tanquam bonum cultum, & servitutem hominis: colitur autem Deus præcipue amore: igitur necessario Deus amat amorem, quo homo ipsum diligit. Ac per consequens detestatur odium, balsphæmiam, omneque scelus, quod a præstituto fine recedit, eique adversatur, utpote contra sui ipsius gloriam, ob quam omnia creare debet, si creat.

Vellit

Velit Princeps a militibus custodiri, & defendi Civitatem obsessam, ob idque arma illis provideat; reprobet autem, aut non amet, expugnare vellet, & nollet, stupidus, insipiens, et imprudens. Qui amat finem amat necessario, & media.

Sed inquiet quispiam, placere ne debent necessario Deo actiones inanimatorum, & Brutorum, & displicere eorumdem actiones, quæ a legibus deviant?

Irrationales creaturæ cum ratione, intentione, & electione, sive vera libertate careant, in eorum actionibus nulla vera reperitur honestas, aut inhonestas. Quare respectu ipsorum nulla fertur lex sive necessaria, sive libera. Diriguntur itaque a Deo prima causa, tanquam a sagittario sagittæ ad scopum, eique inserviunt sine ulla libertate obsistendi. Suo tamen modo Deo inserviunt in hoc quod *ab officio suo non recedunt*, ut jam cum D. Ambrosio diximus. Ad agendum ea imperio vocat, & quasi audierint, obediunt. *Emittit lumen, & vadit; vocavit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt: adsumus: & luxerunt ei cum jucunditate, qui facit illas*. Baruch. 3. 33. Hinc Regius Psalter, & tres pueri in fornace omnes creaturas invitant ad laudandum, & benedicendum Creatorem.

Harum autem creaturarum actiones amat Deus, qui nihil odit eorum, quæ fecit: quæque vidit omnia *valde bona*. Dei autem dilectio, sive amor, creaturas non elevat ad genus moris; sed in regno naturali, & physico relinquit. Nihil autem odit, cum nihil casu eveniat, & contra, aut præter beneplacitum suum. Licet etenim quædam putent homines fieri casu, & contra, aut præter leges naturæ, tamen, Deo sic volente, eveniunt juxta leges primarias naturales; itaut etiam monstra, quæ contra ordinarias dispositiones, quas observamus, fiunt, quare Plinius ea vocat, *peccata naturæ errantis*, tamen eorum causæ ab officio suo non recedunt; & leges gravitatis, præssionis, motus, inertiæ, cæterasque adamussim observant. Quare ea monstra non odit Deus; & sunt, sicut cætera *valde bona*.

CAP.

CAP. VI.

De Regula Honestatis .

SAnctiſſimi PP. in ſuis Apologis adverſus Gentes optimum judicarunt uti doctrinis, placitiſque Gentilium ad eos revincendos , qui eaſdem ſectas ſequebantur ; quod & fecit Apoſt. Paulus Act. 17. 28. Cum impiis nobis res potiſſimum eſt , qui Scripturas , & PP. in pretio non habent , ſed ſolam naturam , ut ajunt . Quid natura , etiam Gentilibus inſtillaverit , ſi oſtendamus , & ſimul eorum placita conſona eſſe revelationi , optimum , & nos facturos juſte arbitramur . Tamen *non ſtoicam , nec Platonicam , aut Epicuream , & Ariſtotelicam , ſed quæcumque ab iis ſectis recte dicta ſunt , quæ docent juſtitiam cum pia ſcientia , hoc totum ſelectum dico Philoſophiam : Quæcumque autem ex humanis amputata cogitationibus adulterarunt ea nunquam Divina dixerim* . Clem. Alex. 1. ſtrom. Quod & Euſebius , Arnob. Theodoret. aliique PP. dixerunt .

§. I.

Quænam præcipua cenſenda ſit norma vivendi .

Inter Ethnicos bene multi arbitrio vivebant : *malum , & bonum pro arbitrio , ac libidine interpretantur : alibi bonum , quod alibi malum , & alibi malum , quod alibi bonum* . Tertul. de ſpect. Ariſtoteli hanc vivendi rationem tribuit Gaſſendus , ſed injuria , ajunt Waliſerus , Schellerus , & Rachelius apud Zentgr. pag. 46. Cenſent autem D. Hieronymus , aliique PP. illuxiſſe , & Gentilibus , præcipue Philoſophis , lumen Dei , ut probant inter alios Huetius , Corn. a Lapide , Jo. Lamius, aliique . Certe Deus ſapientiam ſuam *effudit ſuper omnem carnem , ſecundum datum ſuum* . Eccl. 1. 10. Unde haberet omnes judicare , licet rebelles lumini , eam detinuerint *in injuſtitia , & dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt : obſcuratum eſt cor eorum* . Rom. 1. 22. Quare monet idem Hieronymus eam ſapientiam , & veritatem , quæ ſordibus fœdata fuit in lecto ſordido ipſorum , purgandam eſſe a fæcibus lumine fidei , & illumi-

luminatæ rationis. Cæterum veritas est panis communis omnibus, ut docet August. a Patre omnium traditur. Quare quæ dicturi sumus, non Philosophorum doctrinam sapiunt, sed Cælestem.

Præmittimus cum Tullio 3. de fin. arbitrio non esse vivendum, ut recte vivamus, sed secundum aliquam normam; *Histrioni actio, saltatori motus, non quivis, sed certus quidam est datus: sic vita agenda est certo genere, non quolibet.* Illud autem genus vivendi est assimilari pulcro, & bono, videlicet Deo: & hæc est summa Philosophiæ Platonis, qui ideo Divinus appellatus est, quia de Deo optime disputavit, Laert. vit. Totus igitur Plato est, ut ostendat in idea, et exemplari *Boni* exprimi honestatem: *justum natura honestum, & temperatum existit.* Non aliter Civitatem docet fore *Beatam, quam si eam, qui Divino utantur exemplo, pictores forment* 6. de Rep. *Et virum prudentem, sanctum, & justum esse Deo similem. Ex eo mores quatenus homini licet Dei participem fieri.* Phæd.

Hanc fuisse Platonis mentem judicant Clem. Alex., & August. ille quidem 2. Strom. ajens: *Duplicem esse finem dixit:* (Plato) *unum quidem quod est participabile, & primum in ipsis formis, quod quidem nominat BONUM: alterum, quod est illius particeps, & quæ ab eo proficiscitur, accipit similitudinem; quod quidem est in hominibus, qui virtutem, & veram Philosophiam sibi vindicant.* August. autem 8. de Civ D. c. 9. *Nunc satis sit commemorare, Platonem determinasse finem boni esse secundum virtutem vivere; & ei soli evenire posse, qui notitiam Dei habeat, & imitationem, nec esse ob aliam causam beatum.* Cum Platone sentit ejusdem schola; & præcipue Plotinus Ennead. 4. l. 7. c. 10. de mente *humana*, ubi probat animam non esse corpus, quia cognata Deo est virtutibus: *Prudentia enim, & virtus vera, cum Divinæ res sint, non possunt rei vili, mortalique inesse; sed necesse est Divinam esse rem ejusmodi, quippe quæ facultatibus Divinis referta ipsa est, propter cognationem, & substantiæ communionem.* Probat igitur ex virtutibus animam non esse posse, nisi generis Divini. Quod & Aratus jam dixerat: *ipsius enim & genus sumus.* Sed ne infiniti simus legatur Huetius Alnetan. Quæst. lib. 3. c. 2. de Beatitud. Ubi probat Pithagoram, ejusque discipulos docuisse virtutibus homines fieri Deo similes, & beatos. Quam Philosophiam adoptant

etiam

etiam Porphyr. Jamblic. Stoici. Ariſtoteles, cujus textum ex 6. æthic. nonnemo affert, *Habentes iſtud exemplar nobis propoſitum* (nimirum Deum) *facilius ea quoque, quæ nobis bona ſunt, conſecuturos*.

§. II.

Hanc eamdem normam verbum Dei, & ratio expoſcunt.

Hominis beatitudo in ſumma unione cum ſummo bono ſita eſt: hæc unio mutuo amore completur; qua fit viciſſim amantem, & dilectum invicem transfundi, & transformari. Id porro non contingit ſine aliqua uniformitate, & ſimilitudine, ſine qua amor non viget, tepeſcit, aut fervet, ſi minuitur, aut augetur uniformitas. Hinc illud commune: *amor aut pares invenit, aut pares facit.*

Cum autem natura compellat ut beati ſimus, ſolicitamur ab eadem natura, ut ſummo bono ſimiles evadamus. Has naturæ ſolicitationes Tullius Tuſcul. qq. appellat, *parvos igniculos, ſemina virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret*. Et 5. de Finib. *Ingenuit natura ſine doctrina notitias parvas rerum maximarum . . . tanquam elementa virtutum*. Hæc virtutum ſemina fovere nobis onus incumbit, ut ignis amoris accendatur, & ardeat. Id autem perficiemus, ſi a rebus ſenſibilibus, quæ animum obumbrant, & veluti viſco obliniunt, nos abſtrahamus, & ad Deum unice amandum erigamur.

Nihil autem, ut ait Plato 6. de Rep. in hac progreſſione eſt, quod ſecundum naturam non ſit; nam cum Deus puriſſimus ſit actus, & ab omni materiei contagione ſecretus, quo plus homo a materialibus rebus ſeparatur, eo purior evadet, Deo ſimilior, magiſque diſpoſitus, ut ſuo principio, finique copuletur. Jam homo ad imaginem Dei formatus eſt; indecens proinde, ac turpe eſt, ſi actiones naturam non ſequantur: quod a natura deviat diſtortum, & a cauſa vitiata procedit: Archetypum imitari debet homo; inſpicere, & facere ſecundum exemplar, quod in animo inſculptum eſt, ſi vivere ſecundum naturam volumus, *omnes autem ita vivere debent*. ait Tul.

Cum autem Deus ſit illud ſummum pulcrum, & bonum,

nimirum eadem ipsa honestas, & sanctitas, quisquis eum imitatus fuerit, non nisi pulcher, honestus, & bonus evadet. Non poterit igitur Deus illum odisse, ejusque actiones non approbare. Et hæc quidem naturali deductione plana, & clara videntur: sed *habemus firmiorem propheticum sermonem*, cui bene facimus *attendentes* 2. *Petr.* 1. 19.

Finis, ad quem evecti sumus, est æterna beatitudo, clara scilicet, & visio Dei *facie ad faciem*; hac visione formamur perfecta similitudine cum Deo: *Cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. 1. *Joan.* 3. 2. Filii Dei sumus; filius similitudo Patris est. Eccl. 30. 4. Præmium hujus imitationis erit in *eamdem imaginem* transformari. 2. Cor. 3 18.: ad hoc præmium non vocamur nisi evadamus similes Christo; quos enim prædestinavit, conformes esse opportet *imagini filii sui, qui est splendor gloriæ, & imago bonitatis illius*. Quonam autem modo formamur ad imaginem Dei, ejusque filii? Præceptum utique Dei implentes *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum*. Lævit. 11. 44., & huic simile repetitum a Servatore: *estote perfecti sicut & Pater vester Cælestis perfectus est*. Mat. 5. 48. Id vero non aliter efficere possumus nisi sanctis actionibus.

§. III.

Quænam sint illæ actiones, quæ nos Deo similes efficiunt.

Cum jubeamur imitari Dei sanctitatem, & Patris perfectionem, in id tantum incumbere præcipimur, quod ad sanctitatem, & perfectionem pertinet; non autem in id quod cætera respicere possunt; sunt etenim pleraque quæ nobis impossibilia sunt, ut creatio, futurorum præscientia, aliaque infinita, quæ caratheristica Dei dicere possumus. Conari igitur tantummodo cogimur, ea virtutum semina, quæ in cordibus nostris Deus naturæ auctor, servit, excitare, colere ut tandem in honestas actiones prodeant: quæ ut excellentiora sint, propiusque ad imitationem Dei accedant, gratia Deus nos excitat ut petamus, quæ natura non possumus, adjuvat ut possimus, & perficiamus.

Quia vero salvare nos sine nobis non vult, qui sine nobis nos creavit; libero arbitrio, atque manui nostræ reliquit arripere aquam vel ignem, vitam, aut mortem, ut nobis ad meritum proficeret, quod gratiosus creando nobis indidit.

Om-

Omnem autem actionem turpem prohibet, sed non omnem virtutis actum præcipit: *Discite a me*, inquit Christus Dominus propositus nobis ad exemplum, *quia mitis sum, & humilis corde* Math. 11. 29. non autem jubet omnia re, & facto relinquere, flagellari, spinis coronari, & crucifigi. Hæc, & similia Redemptori propria sunt, & intenta ab ea providentia speciali, quæ voluit summe extolli, Dei gloriam, ex summa ejusdem Dei caro facti humilitate, & abjectione.

Inter ea, quæ Deus jubere summa sua bonitate debet, præcipua est charitas, sive amor, quo homo tenetur ipsum diligere. Deus se ipsum necessario amat, quia est summum bonum, nec odisse, aut reprobare potest hominis in ipsum amorem propter hoc ipsum, quod Deus est summum bonum. Natura hominis bona est, bonusque ipsius instinctus, fructus bonæ arboris, si tendat, inclinetque necessario in summum bonum, nihil est a quo vitietur, & inhonestus fiat.

E contrario nihil est unde honestetur odium Dei. Odium recessus est a malo; ut igitur justum foret, & honestum, approbatumque a Deo, necesse foret ut Deus judicaret se malum esse, a quo proinde homo jure recederet. Homo tenetur amare alium hominem, quod se ipsum amet, eadem natura præditum: Cum autem Deus seipsum amet, odisse non posset hominem sibi similem, nec ejus amorem, suo amori similem. Sicut igitur absonum est humanæ naturæ odisse Deum, a quo ipsa procedit tanquam fructus in ipso præxistens, ut loquitur S. August. in illud Joan. c. 1. *quod factum est in ipso vita erat*; ita, & Deo dissonum esse debet. Peccatum etenim in naturam rationalem, peccatum est, & in Deum, ex damnatione peccati Philosophici. Quod radiusculo solis opponitur, & soli adversatur. Quod naturæ rationali, quæ est scintilla Divinæ bonitatis, adversatur, & summæ bonitati opponitur. Deus autem sibi contrarium amare non potest, sed sicuti semetipsum necessario amat, ita necessitate eadem detestatur odium, sive optatam ab homine sui destructionem.

Quod de amore in Deum diximus, idem dicendum de fide, & spe in ipsum, sive de conversione in summum bonum; ad Deum etenim accedimus *non gressu corporis, sed fide, spe, & charitate*, S. August., & quod de odio Dei asseruimus, idipsum da blasphemia, infidelitate, desperatione, & similibus est asserendum: nec etenim amare, & approbare

ea potest Deus, & in ipsis complacere; posset autem si præcipere posset, & honesta esse quirent.

§. III.

Amor erga homines alia est etiam operatio, qua similes Deo efficimur; atque adeo nec Deus odisse eam potest.

Cumberlandius adversus Hobbesium nervose probat benevolentiam jure naturæ hominis præceptam, nec exportandam arbitrariam legem, ut honesta sit. Ex hac benevolentia socialitas ipsa dimanat. Si etenim homines natura inclinantur ad mutuam benevolentiam, utique, & ad mutuam beneficentiam: si namque bonum alteri amor non operatur, amor non est, cum amare sit velle bonum. Ne vero detineamur in discrimine inter charitatem, amorem, & benevolentiam, quærendo, tria hæc nomine amoris comprehendimus. Videatur Maussolie tract. *de amore Dei*.

Inter veteres, qui summum unum numen agnoverunt, imaginati sunt, ab ipso effluxisse intelligentias quasdam, quod bonum sit suipsius diffusivum. Ex qua imaginatione prodiit Rabbinorum quorumdam commentum de Zephiris seu intelligentiis necessario emanantibus a Deo. Utamur pro nunc hac falsa imaginatione ad nostrum intentum probandum.

Si anima hominis particula Dei foret ex ipso exiens, cogeretur Deus ipsam diligere: Cum etenim totum se ipsum necessario diligat, quia undequaque bonus est, & sui partes diligere debet, quia bonæ sunt. Jam vero anima hominis tametsi non sit, ut de Zephiris loquuntur Rabbini, particula avulsa veluti a Divinitate, aut ei necessario unita, est tamen participatio summæ suæ bonitatis, ut in se ipsa bona sit, & amabilis, ac a Deo dilecta.

Nihil Deus odit eorum, quæ fecit, Sap. 11. 15. sed videt omnia esse bona Gen. 1. potiore jure diligere debet animam ad sui ipsius imaginem factam. Anima igitur refert Dei imaginem; & Deus omnium, quæ facit, & facere potest imagines continet. Id agnoverunt inter Gentiles Plato de *pulcro* l. 6. Seneca, Apulejus, Plotinus, Diidimus, & Philo, Hebreorum sapientia dictus. Sic & PP. loquebantur, & præcipue

Clem.

Clem. Alex. Eufeb., & Auguft. Has imagines vocat Dionifiafter *exemplaria, & rationes fubftantificas rerum . . . præexiftentes, qui Divinus fermo vocat prædefinitiones*; de Divin. nom. c. 5. Jam vero & Deus has imagines in fe ipfo præexiftentes diligit neceffario, & homo pariter femetipfum amore neceffario amat: idem autem eft motus in imaginem ac in imaginatum, ut tandem Proteftantes confitentur: igitur & Deus fe ipfum amando homines diligit; & homo fi femetipfum, ut Dei imaginem amat, Deum diligit. Hominem autem Deus diligit amore amicitiæ, fi in eo peccatum non regnet, quo avertatur a Deo: *Jam non dicam vos fervos fed amicos*. Joan. 15. 15. Cæteras Creaturas amat, fed ut fervos, quibus utitur ad minifterium. Hoc mutuo amore Deus manet in homine, & homo in Deo. 1. Joan. 4. 16.

Ex hac dilectione, qua Deus nos diligit, nafcitur juffio, qua Deus nobis præcipit proximos diligere, quam deductionem exprimit Chriftum Dominum. Joan. 15. 12. *Hoc eft præceptum meum, ut diligatis invicem ficut dilexi vos*. Et ipfius difcipulus 1. Joan. 4. 11. *Si fic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere*. Hinc etiam oritur debitum odio habendi peccatum, & quia malum eft hominis, & adverfum Dei fummæ bonitati, & amabilitati. Hinc recte inferendum, quod ficut homo odiffe debet peccatum, quod fi amat inhoneftus efficitur, ita & Deus illud odiffe debet, quia eft regula honefti.

Sicut autem Deum imitari debemus in amore, ita & in cæteris virtutibus. Sunt autem quædam, quæ imperfectionibus admifcentur, ut fides, quæ obfcuritatem importat, & fpes, quæ boni abfentiam expofcit. Hæ in Deo fedem non habent; Sed noftræ fidei loco fumma in Deo fapientia exiftit, & loco fpei fummi boni poffeffio. Sunt autem in Deo juftitia, mifericordia, longanimitas &c.. Sicut igitur amare Deum Deo nos, fimiles efficit, & veluti unus fpiritus cum ipfo fumus. 1. Cor. 6. 17. ita exercitium aliarum virtutum.

Cum autem nulla aptior via, et regula fit judicandi de honeftate actionum, quam fimilitudo cum Deo, ea actio honefta dicenda erit, quam agnofcimus exiftere in Deo, qui ipfa honeftas, et fanctitas eft.

Velim autem, ne concludas a Deo neceffario amari poffibilia, et peccata, quorum Deus imagines continet: nam poffibilia

bilia in se ipsis nihil sunt, sed pura participabilitas, sive Deus ipse, qui continet portionem illam entis, quod forent, si Deus ea crearet. Peccati autem ideam Deus non habet, sed ea cognoscit in sua sanctitate, a qua peccatum deviat; sive est ipsa deviatio. Scire tenebras aliud nihil est, nisi scire ibi lucem non esse, ita et peccatum cognoscere, est scire hanc operationem a rectitudine debita deficere.

§. IV.

Quodnam officium exerceat in Deo ejus sanctitas; quodque in creaturis mente præditis.

Ut Deum concipiamus, necesse est ejus divinitatem ei affixam consideremus, et veluti in genere causæ *formalis*, ut loquuntur Scholastici. Ipsa autem eadem Divinitas est efficiens causa creaturarum, quæque nisi continue eis assisteret in nihilum redirent. Hoc ferme modo concipienda est Divina Sanctitas; ut nimirum Deum ipsum sanctum faciat, sive constituat: & si minime tanquam regula, & norma operationibus humanis assistat, hæ ad inhonestatem gerent. Quod veluti sanctitas operatur in Deo id necessario facit, cum ipsa sanctitas sit Deus ipse. In operando ad extra non cogitur Deus; at si velit operari, non nisi ordinate operari debet; & quemadmodum nihil producere valet nisi quod de se ipso participare potest; ita in genere morum nihil potest nisi quod sua sanctitate potis est participare. Furta, aliaque inhonesta, honesta putabant illusæ, & collusæ gentes, quod judicarent a Mercurio, & Jove perpetrari. Tam alte infixum naturæ est, non nisi sanctum esse, quod a Deo fit.

Sanctum vocamus, quod honestum; id autem honestum, quod ordinatum. Hoc respicit ipsa lex æterna Dei, ut nimirum, *omnia fiant ordinatissime*, ut docet August. l. 1. de lib. arbitr. c. 12. Deus autem est omnium finis, nec aliter esse potest, ut jam demonstravimus. Sicuti autem efficere non potest, quod creatura non sit ab ipso pendens; ita neque quod illa non sit medium ordinatum ad ipsum. Igitur Deus sancte operatur, quod operatur.

Quod Deus necessario operatur necessario vult, voluntas enim ejus potentia est; velle autem amare est: si igitur necessa-

cessario vult hominis operationem in ipsum dirigi, & in ipsius gloriam, necessariò amabit quod homo ad ipsum dirigatur, eum suis operationibus colat, amet, & revereatur: oderit propterea necesse est, quod homo sibi non subjiciatur; quod ipsum blasphæmet, & oderit: *odio sunt Deo impius, & impietas ejus. Sap.* 14. 9.

Sed nunquid Deus in sui gloriam non ordinat, & peccata? Non ne Deus *Universa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum? Prov.* 16. 4. Itaque concludent (Barbeiracius, Pufendorphius, aliique) omnes actiones ex se indifferentes erunt, & amari possunt a Deo, atque a Deo honeste fieri, & juberi.

Deus igitur erit causa peccati, quod tamen vetat, in hac providentia saltem, & adversus illud supplicia præparat? Ita quidem affirmare coguntur istiusmodi naturalium legum pessundatores. Sed Ecclesiæ, & Evangelii doctrina alia est. Poterat Deus, cum sit omnipotens omne peccatum impedire, sed infinite sapiens maluit ea permittere, & malis bona inducere. Nunquid Judeorum perfidia, qua Filium Dei occiderunt, placuit Deo, pro qua Christus postulabat ipsis ignosci? Venia non indiget, quod bonum, & honestum est. Mala igitur voluntate, quam Deus permittit, utitur Deus in sui gloriam, sed illam non amat. Non amat Princeps Prædonum facinora; sed tamen commissa ordinat ad justitiæ, & suæ majestatis gloriam, puniendo; ut ita perversa eorum voluntas pænis redigatur in ordinem, justitiæ, a quo peccando, recesserant.

Quæ in hac, & superioribus §§. explicavimus, proficiscuntur tum ex Dei sanctitate, quæ aliter operari non potest, nisi sancte, tum ex hominis hinc excellentia, inde imbecillitate: ad aliud bonum homo ordinari non potest, nisi ad illud, quo possit satiari ejus appetitus amplitudo, quod est Deus: quia vero flexibilis est ad malum, legibus regi debuit. Appetitum ad summum bonum Deus homini implantavit; nec aliter, nisi ordine hoc facere poterat. Ordo igitur gloriæ Dei, & hominis naturæ postulat, ut Deus necessario amet coli, & amari ab homine; quare non potest inhonestum facere Dei amorem, cultum &c., & honesta reddere odium Dei, blasphemiam, aliaque scelera.

§. V.

§. V.

Quid dicendum de distinctione , malum fundamentaliter , *& malum* formaliter .

Putant nonnulli Theologi inter Catholicos odium Dei, v. g. prævie ad legem Dei vetantis illud esse inhonestum , & malum tantummodo *fundamentaliter* , non vero *formaliter* . Si ab eis exquiras , cur tandem odium Dei sit malum , respondent, quia a Deo lege vetatur. Si iterum quæras, an potuerit Deus ab illo odio non abhorrere , sed jubere , et honestum facere , reponunt , non posse, sed necessario debere vetare, quatenus prævie ad legem Dei præcedit ratio , cur debeat a Deo prohiberi . His responsionibus haud quaquam video quomodo vitari possit circulus vitiosus , & petitio principii , quæ objicit Pufendorphius l. 2. de jur. nat., et gent. c. 101. §. 4.

Percunctemur autem , num prævie ad legem , odium Dei, mendacium , et his similia , sint dissona Divinæ Sanctitati , et voluntati Divinæ , ita ut dissimilia sint , dissona formaliter , et opposita , nec ne ? Si sunt ; erunt formaliter inhonesta , cum sint opposita Divinæ honestati , et sanctitati . Si non sint opposita , et disconvenientia e diametro , erunt formaliter indifferentia , et adiaphora ; nec inde videtur propter quod non possint approbari , et juberi . Concedunt teneri Deum ea vetari , sed cur tenetur , nisi quia ea odit , damnat , et detestatur ; seu quia mala esse dignoscit ? Cur leges feruntur a Principe , nisi quia quod tandem vetatur , videt malum esse Reipublicæ , bonoque comuni ? Ac tandem quid timendum, si admissa necessitate in Deo ea vetandi, dicatur lege a Deo necessaria vetari ? et præcipue cum minime intelligatur , nec explicetur quid sit illa ratio , quæ legem prohibentem expostulet , nisi quia malitia , et inhonestate infecta sunt .

Quæ præcise convenientia sunt , Deum non ligant : Conveniens fuit , ut Deus homines crearet , ut cultores haberet suæ majestatis , sed tamen non tenebatur : Conveniens fuit incarnari Divinum Verbum potius quam Spiritum Sanctum , ut ratiocinantur cum S. Thom. Theologi , nec tamen necesse erat . Aliud igitur , quam pura convenientia , et congruitas , necessarium est ad obbligandum Deum , ut lege vetet *odium Dei*

etc.

etc., quod esse nequit, nisi deformitas, qua inficiuntur ex natura sua actus illi, ut ex dictis superius satis apparet.

Ratio illa, ob quam Deus teneatur peccatum vetare, affinis est *rationi sufficienti* Leibnitianæ, cui nec ipse consentit, ut ad amicum significaverat. Deus a nullo extra se cogi potest ad melius, ut excepto Lullo, et Granados, docent post S. Thomam omnes Theologi. Si quæ igitur necessitas admittenda est in Deo, oriri, et peti debet ex ipsa natura summe perfecta Dei; se ipsum amare necessario vult; se posse res producere, et cognoscere se posse, amat, et vult, ut loquitur S. Thomas de Ideis, in qq. disp. a. *6.* ad 3. sed omnia hæc a se ipso habet, quod sit *omne esse*.

Vel ea ratio, ob quam Deus tenetur odium Dei vetare, pertinet ad ipsius odii essentiam, vel non; si non pertinet; odium Dei, ex se indifferens foret, et non teneretur Deus illud vetare: si pertinet, rursus quæritur, num sit petita ex aliquo charactere malo, quod in eo *odio Dei* reperiatur, aut non: si non, erit intrinsece indifferens; si jam quid mali in eo odio reperitur, cum non sit malum physicum, erit malum morale, vituperio dignum, ab aliqua regula devium, et dissonum: hoc autem aliud nihil est, quam esse inhonestum *formaliter*.

Actio, quæ revera, et physice posset Deum destruere, physice mala esset, et Deo inimica, eique obsisteret Dei natura: cum autem odium Dei sit affectivè Dei destructio, erit Deo contrarium, Deusque affective ei obsistere debet, ne dum libere, et arbitrarie, sed necessario. Obsistit autem necessario, quia semetipsum necessario amat. Tam igitur odium Dei est *formaliter* malum morale, quam foret *formaliter* mala physicè actio Dei destructiva.

§. VI.

Conciliantur DD. Catholici explicatis notionibus Legis.

Nihil communius auditur hac super re, quam quod plurima sunt mala, quia prohibita; plurima vero prohibita, quia mala: Sed *cum dicitur*, docet S. Th. 1. 2. q. 71. a. *6.* ad 4. *Quod non omne peccatum ideo est malum, quia prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per jus positivum. Si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primo quidem in lege*

æterna, *secundario vero in naturali judicatorio rationis humanæ*, *tunc omne peccatum est malum quia prohibitum*. *Ex hoc enim ipso*, *quod est inordinatum*, *juri naturæ repugnat*.

Lex autem *æterna est ipsa divina ratio*, *vel voluntas divina ordinem naturalem conservari jubens*; *perturbari vetans*, ita definit S. August. lib. 22. contra Faust. c. 27. sive, *æterna lex ea est*, *qua justum est*, *ut omnia sint ordinatissima*: Lib. 1. de lib. arbitr. Hanc legem incommutabilem asserit idem S. Doctor ibid. c. 6. ita ut *injustum* esse nequeat, *quod mali miseri sint*, *boni autem beati*.

Id ipsum de lege naturæ, quæ est *participatio legis æternæ in rationali creatura*, ut inquit S.Thomas, dicendum est; nam eadem est apud omnes, ut docet S. Isidorus lib. origin. c. 6. et nulla *gentili diversitate variari potest*, S. Aug. lib. 3. de doctr. Christ. c. 14. cum omnes *naturaliter ea*, *quæ legis sunt*, *faciant*, etsi scriptam *legem non habeant*. Ad Rom. c. 2.

His constitutis, quæ apud omnes vera esse debent, plura colligere est, quæ lex complectitur, nimirum *ratio*, *voluntas*, *& pubblicatio*; si namque lex rationabilis, et ordinativa non foret, lex nequaquam esset, quia in bonum subditorum non esset. Pariter vim non haberet obligandi, si jussio, imperium, et voluntas Legislatoris deesset; foret namque pura, putaque meditatio, et speculatio superioris; nemo autem obligatur ad operandum id, quod a Principe cogitatur. A voluntate igitur Legislatoris lex vim habet obligandi. Denique, et intimatio necessaria est, ut subditi obligentur; cum etenim voluntas in incognitum ferri nequeat, non potest subditus velle servare legem, quam ignorat. Quare ajebat Ulpianus *leges instituuntur dum promulgantur*, videlicet vigorem obligandi, ultimo tandem acquirunt, dum subditis intimantur. Intimatur autem lex æterna, et lex naturæ, non scripto, aut voce, *sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur*, eisque innascitur, ut loquitur S. Ambrosius Ep. 73. ad Irenæum.

Ordinatio, porro, ista rationis est eadem Divina ratio agens secundum eas ideas, quæ ipsius Dei natura sunt, juxta quas agere, sua summa perfectione, & sanctissima necessitate cogitur: nimirum, cum sit omnium finis, & omnium summum bonum, omnia ad se ipsum ordinare debet; & quia bonam creavit naturam rationalem, quæ non nisi bonum appetit, si juxta suam naturam operetur, non ei præcipere potest, nisi

quod

quod ad summum bonum conducit. Hanc autem ordinationem amare, & velle cogitur Deus, si eam exterius producere velit; nimirum si subditos sibi creare decernat.

Qui Auctores tantummodo, speculando rem examinarunt, & veluti honestatem, aut turpitudinem actionum considerarunt ut possibilem, sive, ut ajunt, *secundum se, & signate*, affirmarunt in ipsis actionibus inveniri quod a Deo juberi, aut vetari debeant; & ideo malas appellarunt *fundamentaliter*, non autem *formaliter*, eo quod in eo signo, sive in ea consideratione adhuc non eluceat Divina voluntas, a qua putant oriri, *formalem* honestatem, si jubeat; aut *formalem* turpitudinem, si vetet: quare ajunt plures actiones prohibitas esse, quia *malæ*, nimirum fundamentaliter. Sed lis hæc ad purum nomen devolvitur. Plura tamen sunt notanda ad rem nostram.

1. Actiones eo modo consideratas dici non posse *actu fundamentaliter* malas, nam actio pure possibilis, *actu* nihil est; nihili nullus character, attributum nullum. Homo possibilis, *actu* nihil est, nec bonus, nec malus, nec ens, aut res quæpiam. Et quemadmodum ratio, ut dicunt Scholæ, *a priori* est Divina natura, quæ in se continet eam rationem entis, & boni, quo homo constitueretur, si crearetur; ita amor Dei, v. g. pro principio, & radice suæ honestatis, habet ipsammet Divinam naturam, in qua invenitur ordo ille, et sanctitas, quam participat ille amor, si cordi hominis infundatur a Spiritu Sancto, & sicuti ratio a priori, cur chimæra sit impossibilis, non est quodpiam, quod prohibeat, aut impediat a Deo creari; sed quia in Deo est *omne ens*, & nullum *non ens*, ut alibi diximus; adeoque nihil participabilitatis a chimæra, quæ composita foret *ex ente, & non ente*, in Deo reperitur: Ita pariter blasphemia purè possibilis nihil in se continet, quod Deus oderit, aut cogat vetare, sed natura Dei, quæ ipsa sanctitas est, dum semetipsam amat, cogitur odisse blasphemiam, *si existat*. Non est autem malitia blasphemiæ quidpiam in Deo, quod ipsa blasphemia a Deo participare possit; sed ipsa natura Dei, quæ summus ordo est, & honestas per essentiam, speculum est, in quo Deus agnoscit quidquid ab illo ordine, & honestate deviat, ut docet S. Thomas alibi datus.

2. Quod est advertendum, legem esse actum rationis, sive mentis; non vero proprie voluntatis: Nam supposita voluntate volente finem, ad mentem pertinet præcipere media ad

eum consequendum: ordinato itaque homine in gloriam Dei, Divinæ Sapientiæ est præcipere, quæ ad eam conducunt, & vetare quæ ei adversantur. Ipsa autem Divina ratio regula est humanorum actuum, cui regulæ si conformentur, honesti sunt; si ab ea declinent, turpes. Ita docet S. Thomas 1. 2. q. 91. a. 1. Pertinet igitur ad mentem præcipere, & vetare. Sed quia hæc Divina ratio, sive mens, aut mentis judicium in objectum tendit, nec facit honestum judicando; oportet, ut assignemus, quodnam illud objectum sit, quod honestum dicimus, aut inhonestum: constat namque quod Legislator dum quidpiam præcipit, jam illud cognoscit bonum esse ad finem præstitutum, aut si quid vetat, jam videt esse noxium, & incongruum.

Quidquid autem Deus cognoscit in semetipso agnoscit, in quo tanquam in exemplari Archetypo omnia continentur. Sicuti igitur videt in sua natura aliquid esse possibile, quia ipsa participabilis est in hoc, vel illo gradu; aliud autem possibile non esse, quia in ipsa Dei natura nihil chimæræ, v. g. participabile invenitur; ita videt in sua eadem natura, quæ est ipsa honestas, & sanctitas, quidquid participabile est: v. g. amoris in Deum honestatem; non videt autem honestatem blasphemiæ, & ideo eam inhonestam judicat, & deviam, ac oppositam honestati Religionis, quam in se continet.

Hinc dici potest quodam in sensu, actus inspectos prout præcise repræsentantur in natura Divina esse *fundamentaliter* bonos, aut malos, *formaliter* vero, quatenus ita a mente judicantur, sicuti dicimus creaturas possibiles esse tantum *radicaliter* in natura Divina; proxime in Divina Omnipotentia. Nam omnipotentia, ea est, quæ creaturas proxime producit; sicuti *lex æterna est ratio ipsa Divinæ Sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum* ad debitum finem, ut inquit S. Thomas 1. 2. q. 93. a. 1. in c. Cæterum si formalis honestas a conformitate cum regula prima honestatis sumenda est; & inhonestas a deformitate ab eadem regula; cum nulla sit distinctio naturam Divinam inter, & ipsius rationem, sive mentem, tam est formaliter inhonestus actus, qui dissonat a natura, & sanctitate Divina, quam qui dissonat a sapientia: hoc autem mox explicato modo conciliantur relatæ opiniones inter Catholicos.

Male autem ratiocinaretur, qui ipsum fundamentum honestatis, vel inhonestatis collocaret in ipsis actibus; sicut longe a vera philosophia erraret, qui quæreret in rebus ipsis possibi-

sibilitatem, aut impossibilitatem. Sed nec melius sentiret, qui ipsam humanam rationem, sive naturam rationalem, ut fontem honestatis, vel turpitudinis consuleret.

§. VII.

Num humana ratio, sive rationalis natura sit prima honestatis regula.

Reprobandi minime sunt illi Auctores, qui honestatem, & turpitudinem humanorum actuum, ex conformitate, aut dissonantia cum ratione, sive rationali natura venantur; quandoquidem, ni necesse eis sit a quacumque Religione præscindere, ut infideles convincant, aliam inire viam non possunt, nisi petant principium, nimirum revelationem postulent, quod eis illico negabitur. Optimum igitur erit a notioribus, & quæ uniuscujusque hominis naturam spectant, exordium disputationis sumere. Hoc modo processisse Burlamachium putamus, quem nonnulli insimulant *naturalismi*, quasi voluerit naturam, sive rationem rectam, esse primam honestatis regulam; Quod si ex illius doctrina id colligere censent, non immerito, ab ea criminatione purgari potest, asserendo rationem esse primam regulam *quoad nos*: ad ea etenim dignoscenda, quæ sunt in Deo ascendimus per visibilia, sive per creaturas, quod non nisi cum labore assequimur; facilius autem dignoscimus, quæ in nobis sunt: ut diserte asserit Apost. 1. Cor. 2. 11.

Ratio, & caracter Regulæ honestatis aliquod bonum est; adeoque, & a Deo descendens, in quo jam præexistit quidquid ab ipso creatura participat: igitur erit in Deo, ratio ipsa, & caracter regulæ honestatis; non quidem ut secunda regula, & dependens ab alii: igitur ratio non erit prima regula.

Peccatum, cum D. August. omnes definiunt *actio contra legem*, si regula honestatis est ipsa natura rationalis, sive ratio; actus, qui adverfetur rationi, erit malus; non erit autem contra Divinam legem, si Divina ratio, aut lex non sit ipsa prima honestatis regula; erir peccatum igitur quia contra rationem, sed non erit offensa Dei; sive erit peccatum philosophicum, quod nedum Ecclesia Romana, sed & Protestantes detestantur.

Regula honestatis idem est ac lex directiva actuum, nisi veli-

velimus de nomine disceptare: Lex non fertur nisi a Superiore in subditum: homo, sive humana natura, aut ratio, nec sibi Superior est, nec sibi subditus: igitur homo sibi lex esse non potest, & regula honestatis, nisi in eo sensu, quo Apost. loquitur Rom. 2. 14. quod nimirum *Gentes ipsi sibi sunt lex*, quia habent legem Dei scriptam in cordibus suis.

Asserere porrò homini jus in omnia, & quod propter ipsius *excellentiam conditionis*, nihil sit vetitum, non longe abest, quin potius pronunciare est, hominis naturam sibi esse honestatis regulam, quam sequi licet, etiam adversus leges, a Deo promulgatas, utpote quæ sunt odiosæ, destructivæ juris naturalis, quo homo præditus est, & legitimus possessor propriæ, adversus eas leges, libertatis. Semel autem constabilitis his principiis modum ignoro, quo quis possit leges positivas, & evangelicas, quin & naturales demonstrare infideli, & assertori propriæ libertatis: si quidem nec lex per revelationem tradita, nec naturalis unquam ostendetur, si contrariam juri a Deo, & a natura tradito, admittamus.

Altius rem producit S. August. lib. 1. retract. c. 1. *Quantum attinet ad hominis naturam, nihil est in eo melius, quam mens, & ratio: sed non secundum ipsam debet vivere, qui beatè vult vivere; alioquin secundum hominem vivit, cum secundum Deum vivendum sit*. Beate vivere repositum est in adhæsione, & unione cum ultimo fine; Homo non est sibi ultimus finis, nec summum bonum; cum ei infinita bona deficiant. Ultimus finis prima est causa motrix humanorum actuum: non igitur homo ea regula est, ad quam respicere debet, secundum quam si vivat, beatus esse non potest. Hanc doctrinam ubique in suis operibus spargit S. D.

Et sane si secundum propriam rationem vivere possumus, quinam fines præscribi possunt? Tollerantes, aliique Protestantes innumerabiles sectas inter sese pugnantes, justificabunt. His proxime accedent Reflexistæ, qui quamlibet actionem a vitio purgant, si secundum judicium, etiam minus probabile fiat. Hobbius non damnabitur, qui sequendum proprium judicium docet. Ac tandem, ne infinita producamus, *bonitas objectiva consistet in convenientia objecti cum natura rationali*; nec homo teneretur amare Deum, cum ei sufficiat primæ regulæ honestatis conformari, nimirum naturæ rationali; quas opiniones falsas, & erroneas damnavit Ecclesia.

Per-

Percuntari liceat a melioristis, num quando ita decretorie asserunt *homini, propter excellentiam suæ naturæ tributum esse jus in omnia* diligenter meditati sint hominis naturam; & an Deum odisse, Patrem occidere, aliaque piacula, dissona rationali naturæ agnoverint, sine ullo ad Deum respectu: si ita eis contigit, damnent necesse est PP. Theologos, et Philosophos, qui ex actionum dissonantia cum natura rationali, sibi evidens fit eas prohibitas esse a lege æterna Dei. Si vero cum cæteris recte sentientibus, ita & ipsi sentiunt, morosiores esse debent, cautioresque in perniciosis illis opinionibus docendis, & spargendis.

§. VIII.

Lex Divina est prima honestatis regula.

Satis superque ex dictis patulum factum est, adeoque assertum hoc nostrum, potius recta deductio est, quam quæstio. Nihilo tecius ad majorem explicationem nonnulla addere operæ prætium judico. Lex iterum dicimus a D. August. lib. 22. contr. Faust. c. 17 Finitur *ratio Divina ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*. Ordinem naturæ ita Deus constituit, ut inferiora superioribus ita subjecta sint, & vicissim adjuventur, ut servato eo præstituto ordine Orbis conservetur; destruendus, si perturbetur iste ordo, quo omnia disposuit Deus *Mathematicum agens*, ajebat Gassendus, *in numero, pondere, & mensura: sed rationalis creatura excellentiori modo Divinæ providentiæ subjicitur....* Unde & in ipsa participatur ratio æterna 1. 2. 9. 91. a. 2. ait S. Th. Per hanc autem participationem rationis æternæ, *habet noturalem inclinationem ad debitum actum, & finem.*

Si homo ab hac æterna regula alienatur, subjectionem refugiat, *quantum in ipso est, perturbat in se ordinem naturalem, quem lex æterna constituit* inquit S Aug l. 22. contr. Faust. Cum etenim amor proprius, ille nimirum, qui promovet contemptum Dei, *mille* habeat *nocendi artes, & nomina mille*, vias perversitatis, conquisitis coloribus, etiam pietatis, cordi hominis corrupti rectas si præsentet, facilimum est eas ingredi, sine præscientia, quod *novissima ducunt ad mortem*. Prov. 14. 12.

12. Ut igitur homo non feratur omni vento, nec omnibus spiritibus credat, statuenda erat regula una firma, immobilis, æternaque, cui figeretur hominis, tum volubilitas, tum imaginandi fluxa proclivitas. Hæc autem est lex æterna, quam participare debent leges humanæ, ut sanctæ sint, & ad bonum commune promoveant subditos.

Homo non subjectus legibus *pessimum animalium est*, ajebat Arist. Quid in Orbe perniciosius quam legibus non subjici? Quot Provinciæ, quot regna, imperiaque dejecta sunt, quod homines dominari cupientes, servitutis osores, a Principe, ejusque legibus rebellarint, & servire renuerint? Deus, qui humilitatis cultorem hominem vult, Principum potestatem ab ipso derivatam comtemni impatiens, dissipat rebellantium superborum consilia, infatuat, & dementat. Quid nunc dicendum de his, qui docent, cum Hobbio, homini a natura, & consequenter a Deo auctore naturæ, datum esse ut dominari peroptet, & pro viribus contendat, ut dominium adipiscatur? Conformatur ne doctrina hujusmodi legi Dei, qui hominem, ad propriæ pusillitatis meditationem propellit; an potius instigationibus Dæmonis, qui caput superborum est, cædium, perturbationum, & omnium ordinum subversionum? *Quidquid bonum fit ab homine* inquiebat S. August. l. 4. cont. Julian. c. 3. *si non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, & si officio videatur bonum, ipso non recto fine, peccatum est*. Præcipit vera sapientia, ut cum omnia sint media conducentia ad ultimum finem, qui est Deus, omnia dirigantur ad eumdem finem. 1. Cor. 10. 31. Colos. 3. 17. Quis porro est sincerus humilitatis cultor, sine qua virtute nulla actio placere Deo potest, qui desiderium dominii, ejusque aquisitionis, industrias, & conatus in gloriam Dei ordinare, & dirigere valeat?

Dicamus tandem. Deus homines amat, sapientia summa præditus est: igitur legem hominibus constituit: Hæc lex subordinata, sive subdita non est rationi humanæ; cum autem duæ primæ regulæ existere nequeant, sicut nec duo summe bona, neque duo Dii, si etenim *Deus unus non est*, *Deus non est*, ait Tertul., necesse est asserere naturam rationalem non esse primam honestatis regulam, sed secundam, Divinæ legis æternæ nimirum participationem, ut nervose probat S. Th. 1. 2. qq. 91. 92. 93.

Stupi-

Stupidum, & amoris expertem nobis exhibet Struthium B. Job. c. 39. *qui duratur ad filios suos, quasi non sint sui*. Decet igitur Divinam sapientiam, & amorem, quo prosequitur Deus hominem, ut legem statueret, qua eumdem hominem dirigeret, quod sæpissime commonstravimus. Jam vero, cum Deus sit necessario sapiens, providus, & amans necessario legem constituere debuerat.

Lex autem præcipiens amat, & bonum approbat, quod præcipit: odit autem, & malum damnat, quod vetat. Concludendum itaque est, Legem æternam existere; primam honestatis regulam esse, eamque necessariam esse, & non liberam Deo.

CAP. VI.

Insana Protestantium in Catholicos criminatio propellitur.

IMponunt Criminosi Catholicis Protestantes, quod Deum subiiciant Fato stoico, quod doceant, Deum necessitari ad quædam præcipienda, & ut honesta approbanda; aliqua vero vetanda, & ut inhonesta reprobanda, quasi Deum velint libertatis, & potentiæ expertem, saltem in aliquibus: si autem quidpiam Dei potentiæ adimitur, omnipotentia deiicitur, & pessundatur. Ipsi potius impotentem, & sacrilegum faciunt, ut in omnibus liberum faciant: ut mox visuri sumus.

§. I.

Plura non potest Deus, quæ si posset, non foret Omnipotens.

Assertum hoc est D. Augustini alibi datum; cui consentit S. Th. q. 1. de pot. a. 7. in corp. *Quæ defectum important ea posse, Deo est non posse*. Ac ab eodem S. D. Augustini discipulo sic demonstratur a. 6. Deus non potest facere, quod non potest velle: Deus necessario, & naturaliter vult suam bonitatem, nec contrarium velle potest: peccatum autem est contra Dei bonitatem, igitur Deus nec velle, nec potest facere.

cere. Si autem posset, Deus non esset, nec omnipotens.

Quædam sunt, quæ *secundum nomen* potentiam important, quæ *secundum rem* sunt potentiæ defectus, quando vero hęc potentia facere malum non potest, dicitur ab Arist. 5. met. *Potentia perfetta*: Hinc patens fit impotentiam deficiendi, a perfectione potentiæ prodire. Sic dicitur quod Deus alium Deum facere *non potest*, quod videlicet sit *omne esse*, extra autem *omne esse* nihil est, atque adeo istud *non posse*, ex summa perfectione nascitur.

Eo quod Deus necessitetur, si creare velit, omnia in sui gloriam efficere, & ad se ordinari, cum non possit non esse summum bonum, & finis ultimus omnium, consequitur velle, & approbare non posse, quæ suæ gloriæ adversantur, & pervertunt ordinationem mediorum ad finem; sicuti nec reprobare, quæ in sui gloriam vergunt, & rectum ordinem servant, igitur approbare nequit odium ipsius, & contemptum, blasphæmias, & hujusmodi; nec reprobare sui ipsius amorem, & cultum. Sicuti, quod non inficiantur Protestantes, quia homo necessario amat felicitatem, debet odisse miseriam; amare cibum ad sui conservationem, & odisse venena ut doctrina D. Th. q. 1. de pot. a. 5. omnibus pervia, prodit. Cogitur igitur Deus aliqua amare, & aliqua odisse; id autem ex ipsius summa excellentia promanat, non ex aliquo defectu, sive libertatis, sive potentiæ. Hac eadem ratione nequit Deus se ipsum odisse, falli, nec fallere potest, quia summe bonus omniscìens, & ipsa veracitas. Non igitur subjiciunt Catholici Deum Fato Stoico, scilicet cæcæ ordinationi, & cogenti catenæ causarum, cum ipse sit causarum causa, cuncta movens immotus, pro sua liberrima voluntate.

D. August. lib. 1. contra Maximinum Arianum disputans hoc ei proponit argumentum: *ad hunc articulum res colligitur, ut Deus Pater æqualem sibi gignere filium aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit infirmus: si noluit, invidus invenitur*. Cum autem invidiæ vitium esse non possit in Deo, sequitur a Patre filium, sibi æqualem, gigni, itaut non gignere *non potuerit*. Verum isthæc impotentia defectus non est libertatis, & potentię, sed summæ perfectionis, ut probat D. Th. q. 2. de pot. a. 4. Ex hoc autem D. Augustini colligit S. Th. quod cum Filius a Patre genitus non sit *invidus*, *non possit generare*; quę similiter *impotentia*, *secundum rem*, est Dei summa

per-

perfectio. Quare impotentiam generandi in filio D. Th. appellat negativam, non privativam appellat. S. Th. de pot. Dei.

§. II.

Duplex producitur, & solvitur argumentum.

Cum omnia, quæ extra Deum fiunt libere, a Deo fiant, congruum, & justum videtur asserere, quod sit in manu, & libertate Dei prohibere v. g. amorem sui, & jubere sui odium, nec deficere ei modum, quo in sui gloriam utrumque ordinet, & dirigat.

Deinde, nec in ipsis actibus, qui *ad intra* in Deo, dicuntur, deficere libertas videtur Augustino lib. contra Marcel., ibi etenim dissertissime asserit Filio potentiam generandi sibi filium, sed ab ipso minime gigni, quia *immoderata* foret personarum Divinarum propagatio, & productio. Si autem a necessitate liberatur Deus in his actibus, nulla ratione subjicimus Deum necessitati approbandi, vel reprobandi actus hominis.

Ad primum objectum respondemus, omnia, quæ a Deo fiunt, libere fieri, & voluntate præcedente, sive antecedente, quæ & facere, & non facere potens est: sed ex hipothesi quod fecerit, aut permiserit, debet amare quod bonum est, & odisse quod malum. Voluntate etenim concomitante respectu *omnium bonorum vult, quæ sunt tam in ipso, quam in creaturis*. D. Th. q. 2. de pot. Dei a. 3. ad. 2. Potest itaque Deus hominem non creare: at ex suppositione quod produxerit, & ad sui gloriam ordinaverit, reprobare nequit, quod in ejusdem gloriam vergit, aut approbare, quod eidem gloriæ præjudicat: & id propter ipsius infinitam bonitatem, quam cum necessario amet, amare debet media ad illum finem; ut ex D. Th. probabamus §. antecedenti.

Ad secundum asserimus non parum obumbrari sapientiam tanti Doctoris, si ita mentem illius interpretemur. Protestantibus condonandum (si errores infide indulgentiam mereantur) nam non consueverunt recte de Trinitate sentire, tametsi sub fidei colore Calvinus flammis tradiderit Servetum; cum tamen nomina *Personarum* respuerit: atque ab eo edocti ipsius discipuli male de hoc Summæ Trinitatis articulo, qui basis est Christianæ Religionis senserunt, sentiuntque dum om-

nem necessitatem ablegant a Deo; eorumque aliqui mutationem, & novitatem adstruunt, puta quod Verbum fuerit in sinu Patris, tanquam calyx, quod postea statuto tempore, instar Floris se se explicuerit. Ut refert, refellitque Ill. Bossuetus.

Quid Hobbius de Trinitate judicarit, jam vidimus: Sabellii namque Surculus personas in Divinis multiplicabat, aut multiplicare debuit secundum officia, *secundum quod ratio nostra infinitis modis de Deo cogitare potest ex variis effectibus, & eum diversimode nominare. Sola autem Catholica Fides ... ternarii numeri rationem in Divinis potest assignare ... licet non possit sequi tertia processio*. D. Thomas q. 9. de pot. a. 9 corp.

Novitatem, ac mutationem inficiari non possunt Eutichiani blasphemantes, in incarnatione, ita naturas confusas, ut humana idem facta sit cum Divina. Ab his dogmatibus abhorrent PP. ac Theologi Catholici, in quos propterea debacchatur Hobbius; *Scholasticorum, aliorumque isto de grege morem rejecerat, qui otiosi in Musæis suis sedentes juxta imbecillem ingenioli sui captum naturæ Divinæ incomperta fingunt attributa*. Ita Auct. v. Hob. pag. 38.

Non defuit inter Catholicos, Theologos, Dogmaticus quidam, negotium suum agens, qui tribuerit S Augustino, possibilem in Trinitate novitatem, videlicet aliarum personarum processionem, malè intelligendo ipsius textum adversus Maximinum lib. 2. c. 12. Sed eamdem, ferunt, nactos esse sortem PP. Antenicænos, traductos tanquam delusos philosophia Platonis; quasi Ecclesia Christi ab iis acceperit Trinitatem Platonicam, non veram, quam fides profitetur: quod ansam præbuit Jo: Clerico in suo *Platonismo revelato*, Arianismum, & Socinianismum primitivæ Ecclesiæ Christi imponere; a qua calumnia, & PP., & Ecclesiam purgat Baltus S. J. in aureo opusculo Gallico, cui latine titulus: *Defensio PP. Platonismi insimulatorum*. Eamdem imposturam propellunt cæteri Dogmatici Catholici, qui propterea cum necessitatem in Divinis aliquam venerentur, *Asini* appellantur a pluribus Lutheranis. Ab iis non recedit Hobbius, qui Theologos, & PP. non pluris facit, quam Platonem, & Aristotilem; patenter carpens D. Augustinum Platonicum, & D. Thomam Aristotelicum, duo Scholarum Magistri, & Capita. Velint tamen nolint hi Hætherodoxi.

§. III.

§. III.

Aliquam necessitatem in Divinis omnes fateri debent.

Facile est id ostendere ne dum ex notionibus, quas fides de Trinitate, suggerit, sed etiam ex principiis rectæ methaphysices. Nam in Deo nihil est pure possibile; sed quidquid ei convenire potest necessario in ipso *actu* est. Cum etenim quidquid ei convenire potest, perfectum esse debeat, & ipse Deus, qui est omne esse, cuique existentia natura est, necessarium est in ipso esse; alias perfectio aliqua in ipso desideraretur. Hoc argumento utitur S. Thomas q. 2. de pot. a. 4. arg. 5. ut respondeat objecto sibi textu August. quo insinuari videbatur possibilem esse aliam in Divinis processionem. *In Deo nihil est in potentia, quod non sit in actu, esset enim imperfectus: si ergo in potentia Patris est, quod plures filios generet, nullo inconvenienti prohibente erunt plures Filii.*

Ex eodem argumento profluit, quod Deus necessario cognoscat, & amet semetipsum: nam cognoscere, & amare Deum, est summa perfectio, cum sit *melior ipsa, quam non ipsa*: igitur in Deo hæc perfectio existit. Generatio pariter unici Filii, & processio Spiritus Sancti perfectiones sunt naturæ Dei; his namque fœcunditas Divinæ naturæ explicatur, & veluti expenditur, mente quidem generando verbum æquale Patri, & amore spirando Spiritum æqualem Patri, et Filio: quare necessario in Deo sunt, et non libere, aut contingenter.

§. IV.

Refertur Textus D. Augustini ex lib. 2. contr. Maxim. cap. 12.

Objicit Maximinus Augustino, quod si Pater est Omnipotens, quia generat Filium sibi æqualem, Filius non erit omnipotens, cum similiter non generet Filium alium sibi æqualem. Poterat & Hæreticus poscere, ut verbum generet se ipsum, cum ipsum a Patre generetur: poterat & arbitrari, quod Spiritus Sanctus ut foret Omnipotens, generet verbum, & alium Spiritum spiret. Videamus quid respondeat Augustinus. *Absit, ut quomodo putas, ideo sit Pater Omnipotens, quia Creatorem genuit*

nuit Pater , Filius autem non genuit Creatorem . Neque enim non potuit , sed non oportuit . Immoderata enim esset generatio , si genitus Filius Nepotem gigneret Patri : quia & ipse Nepos , nisi Avo suo Pronepotem gigneret , secundum vestram mirabilem sapientiam impotens diceretur .

Monent Maurini , quod in plerisque , ac melioris notæ MSS. legitur : non quidem : *nec enim non potuit* , sed *neque enim potuit* . Sed admittamus textum qualem legimus in edit. Antwerpiensi an. 1700. Hujus textus duplex esse potest intelligentia . Prima quidem ut potentia filio detur generandi alium filium . Secunda , quod non adimatur potentia Filio , tametsi generare non valeat . Hanc secundam tenet Magist. in 1. dist. 7. *Nec enim non potuit : idest , non ex impotentia , sed ex rei natura venit , ut Filius non generet .*

Primam intelligentiam impugnat S. Thomas tum citata q. 2. de pot. a. 4. arg. 5. tum ibid. ad 6. ubi asserit , quod propter vitandum inconveniens , ne *sit generatio infinita* , non debet excludi generatio aliorum filiorum : *non oportet quod propter hoc solum non sint plures filii ne sit generatio infinita .*

Utamur , necesse est , venerabundi erga tantum Ecclesiæ Doctorem , cui nullus est præferendus , ut monet Canus , ea regula , quam ipsemet tradit ep. 143. olim 7. *Si manifestissimæ, certæque rationi Scripturarum sanctarum objiciatur auctoritas, non intelligit , qui hoc facit , & non Scripturarum illarum sensum , ad quem penetrare non potuit , sed suum potius objicit veritati ; nec quod in eis invenit , sed quod in se ipso invenit pro eis, opponit* . Hac eadem regula utendum in interpretando Augustinum , aliosque PP. præcipit Angelicus : 1. cont. G. *si aliqua in dictis antiquorum DD. inveniuntur , quæ cum tanta cautela non dicantur , quæ a modernis servatur , non sunt contemnenda ; aut abjicienda ; sed nec etiam extendere oportet , sed exponere reverenter* .

Rectissime id de scripturis asserit D. August. . Nam aliter derisui exponeretur religio ; & cum *verum vero nusquam sit contrarium* , ut ajebant PP. Lateran. sub Leon. X. Sess. 8. concludet infidelis falsitatem in Scripturis , & Deum revelantem, aut naturam condentem esse mendacem . Non minus recte loquitur Angelicus ; nam si PP. auctoritas vilescat , & præcipue in summi momenti articulo Trinitatis , traditio tollitur Doctorum , quos Deus constituit ad regendam Ecclesiam , &

in

in *consumationem SS. in opus Ministerii* Eph. 4. 12. Pandamus in antecessum quam fatua sit possibilitas aliarum processionum in Divinis, quamque alienam ne dum a fidei documentis, sed etiam sanæ Philosophiæ.

§. V.

Ostenditur impossibiles esse in Divinis alias personas præter tres.

Si processiones aliquæ, præter eas, quas tenet Ecclesia, possibiles forent, cum de facto non sint, forent liberè. Verendum, ne idipsum dicant Ariani, & Sociniani de verbo, nec possimus cum Jo. 1. dicere *Deus erat verbum*. Nam quod libere produci potest, est contingens, *potens esse, & non esse*, ei necessario non debetur existentia, non est Deus, & *omne esse*, & ipsi consubstantiale. Illæ igitur personæ producibiles non forent ens necessarium, & Deus. Nec D. August. responderet Maximino poscenti æqualitatem cum generante; nec fidei Catholicæ faveret: & insuper turpiter erraret in principiis Methaphysices, quæ docet impossibile esse quod duo contradictoria existant simul: simul autem essent; nam necessarium esse, & possibile esse, vel non esse apertissima contradictoria sunt. Quare asserit D. Augustinus *filium non generari voluntate*, id est voluntatis imperio, ut explicat S. Th. q. 2. art. 3: de pot.

Præterea nullum principium, causa, potentia, aut virtus potest præcontinere quod est impossibile: siquidem præcontinere debet terminum, quem potest producere; impossibile autem producere nequit; cum ideo aliquid possit, quia illud præcontinet. Sed præcipue Deus, qui est *omne esse*, & negationem nullam continet, præcontinere nequit impossibile, quod componitur ex affirmatione, & negatione. Jam vero alia processio in Divinis est insigris chymæra, ut probatum est.

Et ulterius demonstratur. Si persona alia præter P. F., & Spiritus Sancti foret possibilis, hæc foret æqualis producenti; si ita est personæ possent esse infinitæ in numero. Nam *processio, quæ non de necessitate est certo numero non terminatur* S. Th de pot. q. 9. a. 9. Si illa processio non est de necessitate, sed non est, quia *non oportet*, & sola æconomia Filius abstinet a generando, non est cur præfigatur Deo terminus, cum

Deo

Deo infinitas non præjudicet : erunt ergo personæ infinitæ : Verum cum Spiritus Sanctus procedat ex amore mutuo Divinarum personarum procedere deberet ex amore illarum infinitarum personarum. Addo quod si in Filio, aut Patre sit potentia gignendi alium Filium, non video, cur nunc, & in tempore alii filii non generentur, aut generari non possint, sicuti possunt alii mundi creari.

Dices sequeretur inconveniens, quod scilicet immoderata foret productio. Sed Respond. S. Th. q 2. a. 4. ad 6. *Si est in potentia Patris, quod plures filios generet, nullo inconvenienti probibente erunt plures filii in Divinis; quod est contra fidei documenta*, ut In ead. q. dicit. Eodem modo dicendum est si sit in potentia Filii, quod alium generet.

Eamdem personarum aliarum impossibilitatem probat Angelicus duobus testimoniis D. Augustini adhibitis. q. 2. de pot. a. 4. *Si Pater posset generare, & non generaret esset invidus*, verba sunt D. Aug. subsumit autem Angelicus, *sed filius non est invidus : ergo cum non generet non potest generare* : Ubi evidenter commonstrat quod si processio alia non est in Deo, non est necessaria, & ideo impossibilis, *cum non generet filius, non potest generare*.

Refert pariter Augustinum dicentem unicus filius sufficit ad complendam generationis seriem : ait etenim M. Eccl. Parens contra Max. *non impleretur generationis series si semper alter ex altero nasceretur : nec eam perficeret ullus, si non sufficeret unus*. Sufficit autem unus quia cum verbum *adæquet infinitatem Patris quia est intellectus infinitus*. q. 2. a. 4. ad 5. Nihil deest Filio cum sit *verbum perfectum secundum Augustinum*. ibid. sed contr. 3. Cæteræ igitur personæ, & processiones in Divinis, sunt superfluæ. Quod autem Deo ad intra superfluum est, est impossibile : siquidem extra, & ultra *omne esse*, nihil est possibile, nihil operari, aut excogitari potest, nisi Chymera; & utique Chymæra est Deus, qui non sit, sed possit esse.

Inquies : Non ne potest aliquod in se esse impossibile ab intrinseco, licet tamen in Deo sit potentia illud producendi? Cumulus v. g. omnium possibilium existentium *in actu* est impossibilis, & tamen Omnipotentia Dei omnia possibilia potest.

Responsio obvia est. Possibile id est quod potest esse, & produci, seu esse producibile : nihil autem est producibile *a se*, cum quod non est, agere nequeat : igitur est possibile, sive pro-

producibile ab alio, seu potens, habere existentiam ab alio: igitur manifeste repugnat aliquid esse possibile, & esse impossibilem causam, quæ illud præcontineat, & producere possit. Posse producere, & esse producibile sunt relativa; relativa autem *sunt simul intellecta*, ut ex Arist. docet S. Th. unum sine altero intelligi nequit; nec etenim intelligi potest Pater, quin intelligatur habere Filium, & econtra. Contrariorum eadem est ratio; quare impossibile est, quod produci non potest, sive in nulla virtute principii continetur, nulli potentiæ subest, & nihil est quod illud producere possit. Jam igitur verum est posse a Deo produci cumulum possibilium (si impossibilis sit) quam verum sit a Deo posse produci Chymeram. Nequit igitur Deus producere cumulum illum, juxta meliorem sententiam, quia est impossibilis. Qui Auctores judicant eum possibilem, videant ne eum cumulum evehant ad esse Divinum; nam *licet non exhauriatur Divina potentia in generatione Filii, nec detrimentum patiatur*, quo exemplo isti DD. utuntur, tamen *Filius adæquat totam Patris virtutem*. S. Th. q. 2. a. 4. ad 5. Impossibili igitur dato eo cumulo, impossibilis est potentia, quæ illum præcontineat. Alibi jam prævenimus hoc objectum: nam demonstravimus possibilitatem *intrinsecam* oriri ex *extrinseca*, nimirum ab ipsa participabilitate Divina: possibilitas intrinseca actu nihil est. Hinc inferebamus quod ideo aliquid est impossibile *intrinsece*, quia in Deo, qui est *omne esse*, non invenitur participabilitas; & nulla negatio veri nominis.

Aliud objici potest. Cum D. Augustinus asserat, quod si Pater generare non potest, non est omnipotens, ut refert S. Thomas q. 2. a. 1., sed contr. inferri potest, quod si Filius generare nequit, non est Omnipotens. Ut satisfiat huic argumento, fit.

§. VI.

Natura, & Omnipotentia sunt communes Divinis Personis, sed tamen aliqua potest una, quæ alia non potest.

Æqualem Potentiam, Majestatem, Virtutem, Divinitatem, cæterasque prerogativas esse in tribus Personis, D. August. cogit Maximinum ad admittendum lib. 2. c. 7. Quæ omnia si Pa-

ter Filio dare non posset *ubi est Omnipotentia Dei Patris?*

Verumtamen Paternitatem dare non potest Filio. Dat *Filio id quod est ipse, quia infirmus* non est, *nec invidus*, nec tamen Paternitatem tribuit, igitur si Filius æqualis est Patri, & æque omnipotens Patris, non est defectus potentiæ, si Paternitatem non donet; nec Filio si non accipiat. Si porro Filius Paternitatem non accipiat, qua Pater esse possit, a quo non distingueretur si acciperet, Filio est impossibile esse Patrem, & generare. Accipit Filius a Patre spirationem activam, per quam a Patre non distinguitur, sed una utriusque est, & ideo spirat sicut Pater Spiritum eumdem. Si ergo posset esse generans, a Patre paternitatem acciperet, foret idem cum Patre Paternitate, sicuti idem est Divinitate. Quod de Filio idem dicendum de Spiritu Sancto, cui cum non communicetur Paternitas, & spiratio activa, nec generare, nec producere potest. Non esset illis æqualis, secundum erraticam sapientiam Maximini.

Objicit sibi sæpissime Angelicus, quod cum potentia generativa in Divinis dicatur pertinere ad essentiam, Filius generare posset, sicut & Spiritus Sanctus. Sed ipsemet objectis satisfacit dicendo quod Potentia generativa determinatur a notione Patris, ut ipse solus possit generare.

Hanc Angelici Doctoris Doctrinam fusius prosequamur; ut testimonium Augustini clarissime intelligatur. *Omnia*, inquit S. Th. *quæcumque potest Pater, potest, & Filius, quamvis generare non possit, & licet Pater possit generare, non autem filius, non sequitur quod aliquam potentiam habeat Pater, quam non habeat Filius, eadem enim est potentia Patris, & Filii, per quam & Pater generat, & Filius generatur*. De pot. q. 9. a. 9. ad 3. Quibus verbis insinuat ad Omnipotentiam non pertinere, quod Filius generet. Quod idem colligitur ex D. August. loc. cit. contr. Maxim. *Omnipotens omnipotentem genuit Filium, quoniam quæcumque Pater facit, hæc similiter, & filius facit. Filium quippe ipsum genuit, utique Patris natura; non fecit*. Non est *factus* Filius, sed naturæ fæcunditate genitus, ideoque omnipotens, & æqualis Patri est genitus, licet non generet sicut Pater; quia Omnipotentia minime expostulat, ut filius generet; & generare possit.

Si Filius factus *esset, potentia generativa non finiretur ad illum, quamvis alius Filius generari non possit; quia ipse infinitus*

nitus est . Quia autem alius Filius in Divinis esse non potest , id contingit , quia ipsa Filiatio est proprietas personalis . . . . . hæc autem est incommunicabilis . q. 2. de pot. a. 2. ad 19. Hinc evidenter concluditur, quod filius alium generare non potest, aliàs Filius generans a Filio genito non distingueretur , quia deberet ei communicare filiationem , ut esset Filius . Id autem est impossibile .

Distinctio in Divinis non ex divisione nascitur , sed ex oppositione , ut ex PP. Doctrina contra Græcos disputabat Jo. Theologus in Concil. Florentino ; estque hæc doctrina inter Theologos communior : nulla autem inter personas oppositio esse potest , præter eam , quæ est inter Patrem , & Filium , & inter utrumque cum Spiritu Sancto . Ratio vero hæc est , quia personalis proprietas , cum sit quædam , ut ita dicamus cum D. Th. , *individuatio* , ita personam sistit , ut incommunicabilis sit , quatenus persona est : cum principia individuantia *sint soli sibi : alias sequeretur , quod persona esset communicabilis* , loc. mox cit. ad 10.

Ex præstabilitis , quod scilicet nihil superfluum , nihil contingens possit esse in Deo , sed quidquid ei competit , necessario convenire ei debet, manifestum fit aliter esse nequire , quam quod est . *Unica* autem est Persona Patris , *unica* Filii , & *unica* Spiritus Sancti ; Quare potentia , quæ est in Deo est potestas , ut *unicus* sit Filius, & *unicus* Spiritus Sanctus . Eamdem potentiam habent Pater , Filius , & Spiritus Sanctus ; igitur Filius eamdem habet potentiam ; & per consequens generare non potest , alias non haberet illam potentiam , quæ non exigit , nisi *unicum* filium , præter quem omnis alius est impossibilis . Concludamus itaque plura Deum *non posse* , *quæ si posset non esset omnipotens* , ut ait S. August. quam rem explicat sequens .

§. VII.

Explicatur textus Augustini contr. Maximinum lib. 2. relatus §. IV.

Postquam D. Th. rejecerat textum D. Augustini secundum eam intelligentiam , qua videbatur astruere in Filio potentiam generandi , amplectitur alium sensum , ut nimirum intelligatur Augustinus , quod non generet Filius , non eo quod ei

desit potentia. D. Th. de pot. q. 9. a. 9. ad 1. *Dicendum quod dicit Augustinus: quod non est dicendum, quod filius non potest generare: sed non oportuit, quia non ex impotentia Filii est, quod non generet: ut hoc quod dicit NON POTUIT sumatur privative, & non simpliciter negative; Per hoc autem quod dicit NON OPORTUIT, significat quod sequeretur inconveniens si Filius alium Filium generaret*. Quatuor autem rationibus probat S. Th. inconveniens quod sequeretur; quæ omnes concludunt impossibilitatem alterius processionis..

Ab Augustino agnitam esse impossibilitatem alterius processionis constat ex contextu. Nam negat Filium generare, tum propter superfluitatem; tum propter *immoderantiam*. Et sicut D. Th. ut auferat a Filio invidiam tollit a Filio potentiam generandi, ita D. Augustinus eamdem tollit, ut *immoderantiam*, & *superfluitatem* a Deo eliminet; cum utraque in Deo indecora, & impossibilis sit. His tamen non obstantibus, quod nimirum Filius non generet, idest generare non possit, quod enim in Deo non est, nunquam esse potest, concludit in Filio omnipotentiam, quia facit Filius *quæcumque Pater facit*, licet Pater generet, minime vero filius; deridens sapientiam Maximini quod Filium neget esse Omnipotentem, quia non generat sicut Pater.

Putare ne possumus latuisse Augustinum Paternitatem filio esse incommunicabilem: a Filio communicari non posse Filiationem alteri; necessarium esse quidquid est in Deo; nec aliud adventitium Deo, esse in ipso posse; cæteraque sequi, quæ evidentissimis demonstrationibus patefecimus? Quid ergo voluit D. Augustinus illis verbis: *nec enim non potuit*?

§. VIII.

Terminis explicatis manifesta fit mens D. Augustini.

Jam vidimus ex Magistro Sent., noluisse D. Augustinum asserere impotentiam aliquam illis verbis, quod & asserit S. Th. qui duplicem distinguit impotentiam *privativam* scilicet, quæ reperitur quidem in subjecto capaci, sed ab aliquo contingenti impeditur ne transeat ad effectum: & hanc, quam dicit contrariam potentiæ, non admittit in Deo, in quo contrarium inveniri non potest: & *negativam*, quæ est in subje-

cto incapaci : quomodo dicimus Deus *est impotens creare alium Deum a se distinctum : peccare, deficere, & producere chimæram*: hancque impotentiam generandi alium filium agnoscit, & in Patre, & in Filio.

Committamus cum Augustino Faustum, qui cum Mamete astruat *Deum malum*, probetque a Deo induratum fuisse cor Pharaonis. Exodi 9. 12. Reponat Augustinus non indurari a Deo cor hominis impertiendo malitiam, cum sanctus sit, qui autem *facit peccatum, iniquus est; Deus vero peccatum non facit, sed justus est*. Replicet Faustus : ergo *Deus peccatum facere non potest : igitur non est omnipotens*. Huic deductioni recte respondere potest Augustinus, Deus est Omnipotens : quod non faciat peccatum causa *non* est, quam affers, *quia non potuit*, quia ei non minuitur potentia ex eo, quod non faciat peccatum, sed quia sanctus est; & hæc est ratio *a priori*.

Ita dicendum in concertatione Augustini cum Maximino, *non quia non potuit*, causa est quia non generet, sed quia superflua, immoderata, & excedens fœcunditatem Divinæ naturæ alia processio, adeoque, & chimærica. Profecto quando asserimus a Deo non produci chimæram, non est quia *non possis* quasi deficiat ei aliqua potentia, sed quia in eo non præcontinetur negatio; non igitur *propter defectum potentiæ*. S. Th. q. 1. a. 3. Impotentia itaque ad producendum impossibile est secundum *nomen*, & *negativa*, non secundum *rem*, & *privativa*. Ibid. a. 6 in corp. Potentiæ dicitur contraria privatio; scilicet impotentia; *non tamen de contrario mentio facienda est in Deo, quia nihil, quod est in Deo habet contrarium*, q. 1. a. 1. ad 17. non *posse* quandoque privationem potentiæ significat, & idem est, ac est *impotens, deficit illi virtus*, & hanc impotentiam excludit a Deo D. Aug. quando dicit : *nec enim non potuit*, quasi ex eo, quod non generet, *tua o Maximine mirabili sapientia concludere possis defectum virtutis*; cum Filius sit Omnipotens, licet non possit Paternitatem producere, aut aliam filiationem, *nec enim non potuit; nec enim desinit esse Omnipotens*; quæ phrases sunt synonimæ.

Advertit Angelicus, quod *posse ea, quæ defectum important, est Deo non posse*, q. 1. de pot. a. 7. corp. Posse autem generare plures filios in Deo est maxima defectio, cum hi filii, præter unicum, sint chimerici : igitur Deus non potest. Potuit D. Aug. asserere impotentiam *negativam* in Filio, sed maluit nega-

negare privativam, quam affirmare umbram aliquam impotentiæ etiam secundum *nomen*, ne vel etiam voce cum Maximino conveniret; nisi velimus sequi litteram emendatiorum Exemplarium, de quibus locuti sumus supra.

Contextus autem S Doctoris rem elucidat; finis pariter, & intentio sermonis hanc D. Thomæ, & Magistri explicationem manifestat. Objecerat Maximinus, quod Filius non esset omnipotens si non generaret. Respondit, quod non generet, non est quia Filius patiatur impotentiam aliquam, habet enim eamdem, quam Pater; sed non generat, quia alia persona est incongrua, superflua, immoderata, & impossibilis: Cæterum omnipotens est, non quia generet, sicut generat Pater, sed quia facit quæcumque Pater facit, licet non generet, quemadmodum Pater. Si facit quæcumque facit Pater, nec tamen generat evidens argumentum est, generare in Filio non pertinere ad omnipotentiam, licet secundum *mirabilem sapientiam*, falsam scilicet Arianorum, non sit omnipotens si non generentur Nepos, Pronepos, & infinitæ aliæ Personæ. Hæc itaque generatio ex illis multis est, *quæ Deus non potest, quæ si posset, non esset omnipotens*, ut dicit idem S. P.

§. IX.

Differitur de necessitate.

Si procacissimi quidam non parcunt Catholicorum Scholis, quod necessitatem aliquam in Deo docent, nec parcent his duobus illarum Magistris DD. August., & Thomæ, qui eamdem necessitatem agnoscunt, & præcipue in Divinis processionibus; ac eis pariter inter Asinos Fati Stoici, sedem dabunt. Falluntur tamen, ut consueverunt.

Necessitas presse talis significat Fatum, vim, & coactionem ab aliqua causa illatam. Hæc in Deo locum non habet, cum sit causa causarum, nulli subjectus, sed cuncta immotus movet, & ordinat. Aliquando necessitas capitur pro actione, quæ libertati contradictionis non subjicitur, ita ut ab ea quis nequeat abstinere, ut visio aperto, & sano oculo necessaria dicitur: nec etenim ab ea abstinere possumus. Primam PP., & Theologi necessitatem detestantur; secundam asstruere coguntur tum a Fide, tum a ratione naturali. Necessario existit Deus, ne-

necessario sanctus est, nec liber ad peccandum, *mutari aliqua conversione, nec potuit; neque poterit aliqua mutatione peccare.* Aug. contr. Maxim. l. 2. c. 12. Mutabilis autem esset Deus, si possent esse in Divinis alii Filii præter unicum.

Quærens Angelicus q. 2. de pot. a. 2. *Utrum Potentia generativa producat per imperium voluntatis*, concludit testimonio Divi Augustini: *Pater neque voluntate, neque necessitate genuit Filium*: non voluntate, id est libertate, non enim est in libertate Patris non generare Filium, alias Filius Deus non esset, & ens necessarium. At neque necessitate, quia a nulla causa, aut vi cogitur, quæ ei violentiam faciat: Ex ipsa igitur summa fæcunditate nascitur, non ex aliquo Fato sive stoico, sive Turcico, quod debeat Deus seipsum cognoscere, & diligere; itaut necessaria sir in Deo persona, quæ diffundatur mente generando Filium, & voluntate, sive amore spirando spiritum. Hæ autem qq. *de nominibus sunt potius quam de rebus*, ut advertit L. Murator. de Moderam. Ingen. lib. 3. c. 7.

Sicut autem solliciti fuere PP. sollicitique sunt DD. Catholici hujus temporis, ne turpe necessitatis, aut servitutis nomen Deo tribueretur; ita nimis procaces sunt hi, qui eos Asinos appellant, & amaris scommatibus proscindunt; imponuntque, quod Deum subjiciant indignæ necessitati, dum asserunt, creduntque, quod cum *Deus se ipsum negare non possit*, debet necessario amare se ipsum, odisse peccatum, diligere justitiam; atque ex summa sui excellentia, quam a se abdicare nequit, quod ei naturaliter competat, non nisi quod justum est, sanctum, ordinatumque velle, amare, atque agere debet, aliterque facere nequeat. *Potentia aliqua dicitur esse perfecta, quando ista* (videlicet defectuosa) *non potest*. S. Th. q. 1. de pot. a. 6. in corp.

Sed illis dimissis, quibus si mala fides malus est animus. Ad te, in finem properans, Benevole Lector, sermonem converto: diutius fortassis te detinui, & extra, aut etiam ultra tramitem, quem postularet regula examini subjecta, cucurrisse arbitraberis: non sine tamen causa id me fecisse judicaveris, si argumentum Caramuelis propositum initio P. III. mecum perpendere velis acri, quo polles ingenio: statim namque dignosces, quo me urserit ob necessitudinem, quam habet cum principiis Hobbesiani Systematis, quod propterea coactus sum,

vel-

vellicatim saltem, examinare, & prodere quantum Religioni noxium, & æquitati rationis contrarium sit, ut excitarentur nonnulli, quibus religio est a præconceptis non discedere, ad diligentius consideranda, quæ vel a Magistris, vel ab AA. propriæ sectæ bona, vel mala fide accepere. Si namque sint obfirmati spiritu partis, & illi argumento pia, fidelis, & firma ratio non obsistat, duci possunt incauti, & oscitantes ad Hobbiana deliramenta; aut saltem ad spernendas leges cum Principum, tum Evangelii, Dei, & Naturæ; quibus certissime minus obsequuntur, quam par sit, qui eas odiosas esse affirmant, & læsivas, ac destructivas humanorum jurium, quibus *propter excellentiam conditionis*, a natura donati homines, inconsiderate potius, quam malo spiritu asserunt.

Quæ autem ex hac impotenti doctrina monstruosa enascantur, satis, ut reor, proditum est in hoc opere; & potissimum parari viam ad *jus in omnia*, quod basis est, & fundamentum Epicureismi, ut optime observat N. Jaquier; aut adminus suppetias, & auxilium præberi Hobbesianis ut adhibitis etiam opinionibus Catholicorum, omnem legem facilius submoveant, effrænatæque hominis corrupti libertati habænas laxent, & in præceps jam ruentem stimulo urgeant. Quibus ut obsisterem quoquo modo possem, in votis habui, hac mea qualicumque Opella. In hac plura offendes, quæ indigesta, & resumptione redundantia fatigare te poterunt. Mihi nihilhominus blandior a te condonatum iri, quod pluribus distractus, non junctim, & continuo, sed intermisso, fractoque studio vacare debuerim.

Quodsi me dignum venia non reputes submisso feram animo. Unum tamen a te nihilo secius poscere audeo, ut me monitum velis de his, quibus potuissem fortius, validiusque opinionis adversæ fundamenta concutere, & radicitus extirpare. Dum interim hoc, mihi gratissimum beneficium avide præstolor, avidius opto ut optime valeas, & optime valens vivas diutius.

FINIS.

INDEX PROPOSITIONUM.

Quæfi-

FINIS.

ERRATA		LEGE
Pag. V.	Lin. 12.	Futuram.
VII.	Lin. 12.	& una
19.	27.	Jam igitur.
28.	4.	Cum non
	31.	Grassatoras
30.	21.	minus probabilis
31.	5.	minorem
33.	24.	Pardus
34.	7.	objectionem
36.	18.	indubie
37.	35.	non juvat
42.	20	quare ipsis
43.	32.	ex infinitis
46.	29.	enucleanda
47.	17.	exprobant
	24.	non stat tunc
	33.	belle quidem
48.	2.	ejerat ut
	14.	in quo
49.	25.	expulsis
54.	11.	tunc assentitur
	12.	exceptis principiis.
55.	22.	non excusatur
	26.	confidarare
56.	10.	Episcopium
58.	20.	probabili
60.	26.	testium
65.	13.	Euchbolins
66.	27.	quispiam
	31.	aducatum
67.	14.	purgandum adducit
72.	12.	explosa
73.	28.	familiarius
76.	25.	mantem
78.	3.	non assant
80.	9.	indicat P. V.
	11.	canat
81.	29.	dicenda
87.	19.	notissimi
88.	30.	quas
91.	17.	quos Christus
94.	6.	Pontificum
98.	13.	præmissis
107.	6.	attigerit
	16.	incerti

ERRATA		LEGE
111.	14.	Prætoris
113.	17.	in injustitia
116.	28.	applicari
	36.	affectus
135.	26.	fecere
144.	27.	præscribit
145.	24.	verum Deum
147.	12.	quis
157.	3.	indigentiis
164.	30.	nui argumento
177.	32.	affectu
182.	5.	Cromuelianæ
184.	7.	non mirandum
185.	26.	novos ex sordibus
191.	5.	irrita mentis
193.	6.	Platone
202.	27.	utrisque communes
212.	29.	Nathan
218.	21.	occisione
221.	14.	Molinosium
224.	5.	Si Biblia hæc
227.	18.	pretium
231.	11.	nullæ sint
235.	28.	*Persecutores*
236.	34.	*concitetur; Judæus sit, & ad sacrificandum in Excelsis*
237.	19.	Idololatra
238.	12.	Athenis.
	14,	cæterarum intrusam
241.	15.	exeisi
243.	32.	procacibus
254.	24.	participantia
278.	32.	ex Arato
284.	32.	palmo potast
293.	21.	cogamur
302.	2.	caret
324.	9.	infringendam
334.	6.	consantanae
	22.	affirmemusque
335.	27.	ut varissime
340.	8.	objectum
342.	16.	petant
343.	30.	homine moribundo
352.	3.	causa te
362.	19.	Et quidem
368.	31.	tenaatur homo,

ERRA-

ERRATA		LEGE	ERRATA		LEGE
370.	34.	facinus	387.	14.	nullus
372.	9.	convenientius	388.	24.	bonum amamus
	12.	voluptate	397.	17.	Christus Dominus
373.	8.	Senibus	398.	18.	inhonestatem accedent.
	26.	servet ?			
375.	21.	ingenior	399.	26.	recesserat
377.	34.	ratio quidem			

005673908